EPISTOLA
ANATOMICA, PROBLEMATICA, QUARTA & DECIMA.

Authore

MAURITIO à REVERHORST

Med. Doct. & Anatom. Professore.

Ad Virum Clarissimum

FREDERICUM RUYSCHIUM.

DE

Nova Artuum decurtandorum Methodo.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1701.

Clarissimo Doctissimoque Viro

FREDERICO RUYSCHIO, &c. &c. &c.

S. P. D.

MAURITIUS à REVERHORST.



Itteræ tuæ nuper ad me datæ gratissimæ fuêre, præcipuè quum ex adjectis relationibus circa Methodum secandi Fratris *Jacobi de Beaulieux*, vulgò Eremitæ, intelligere licuerit, qualem successum in suis patientibus, vestrâ in civitate, habuerit, quum de illo tam variè apud varios disseratur; hi enim Manum ipsius in secando tanquam optimam, dexterrimam & quasi cœlitus datam deprædicant; alii contra ipsam pariter cum famâ ipsius rejiciunt, fœdisque proscindunt conviтiis, quum nos tamen æque ac illi, quibus Lugduni Batavorum cura illorum patientum mandata fuerat, satis felices in curatione fuerimus; quippe è tredecim diversi sexus & ætatis, tam a Calculo, quam diversâ Herniarum specie sectis, non nisi duo fatis cesserunt, ambo quinquagenariis majores; quorum prior a diuturno Vesicæ ulcere, macie confectus, quin & Calculo ipso satis magno, aspero & inæquali, non nisi cum insigni Hæmorrhagiâ extracto, intra novem hebdomadarum spatium, usque eò pristinæ valetudini fuit restitutus, ut ille, qui antea nimiis doloribus, continuisque vigiliis & Vesicæ ulcere attritus, & penè consumptus erat, jam multò obesior appareret, quin etiam jam urinam ad aliquod tempus retineret, & per cubiculum suum obambularet, & mu-

nia sua in ipsâ officinâ (faber enim ferrarius erat) utcunque obiret; adeoque, si in ullo patiente salutis spes affulgeret, hic in nostro fuit, qui tamen ex Incendii alicujus terrore è lecto suo prosiliens, variisque in diæta erroribus commissis, incidit primò in Febrem continuam cum tussi, a qua corporis vehementi agitatione, vulneris labia, jam fere coalita, iterum disrupta fuêre, & variæ Calculosæ incrustationes, ab urinâ perfluente sese continuo lateribus apponentes, nostræ curationi remoram injecêre, dum interim in urethrâ ipsâ, variis in locis Carunculæ obortæ, liberum urinæ effluxum prohiberent; sic ut reliquis Symptomatibus cum Febri auctis, hic noster patiens vitam cum morte commutaverit: quid autem in corpore ipso latuerit, Cultro Anatomico indagare nobis non licuit: Quid verò notaverimus in altero nostro patiente, itidem ab illo a Calculo secto, cujusque cadaver a nobis inspectum est, a Petro Adriani Verduyn, ejusve Filio absque dubio intellexisti, tam de statu ipsius corporis morboso, utpotè anteà Apoplectico, Mictu cruento, & nonnunquam Urinæ suppressione laborante, nec non Herniâ ejus intestinali, operationis tempore prolabente, ut & altero rene ab ulcere consumpto, cæterisque præter naturam in corpore repertis, & observatis, unde hoc infelix omen satis prævisum fuit: hæc & pleraque alia, hunc casum spectantia, & notatu dignissima, non dubito quin intellexeris, quocirca longiori narratione illâ de re hic supersedebo, cum adhuc ex dictis illis tredecim patientibus, D. T. O. M. sit gloria! undecim qui vivunt valentque, satis de illâ secandi Methodo testari possint; interim nullus etiam dubito, quin suo tempore aliquis Gallus, aut alius, qui ipsius secandi Methodum pernoverit, quique politioris styli est ac dictus Eremita, hanc ejus methodum contra sinistros ejus famæ obtrectatores sit defensurus. uti ex nuperis litteris ex Arce Versailliâ ab ipso ad nos missis non obscuré colligere potuimus, ubi simul, sed obscurius, loquitur de novâ Hernias (absque Testis jacturâ) secandi Methodo, quam se jam aliquoties instituisse perhibet, quæque multas ob causas antiquæ præferenda foret, uti

dies

dies docebit : Sed hæc de Eremitâ ejuſque litibus, quas uti meas non facio, ita quoque illas componere nolo; progredior ad aliam, & novam quoque, ſeu nuper propoſitam in illâ arte (videlicet amputandi) Methodum, quam P. A. Verduyn nuper propoſuit, variiſque experimentis ab illo tempore, ipſi oblatis, confirmavit, quâ de Methodo tanto lubentius tecum agam, quoniam illam nuper Amſtelodami Te preſente a P. A. Verduyn, ejuſque Genero & Filio, præclaris illis Rei Chirurgicæ luminibus, ipſam inſtitutam vidi, eademque Amputatio apud nos quoque paulo poſt, non in Manu, non in Juvene, non novâ illâ Methodo, ſed in Pede, in Virgine, idque antiquo modo inſtituta fuit a Stephano de Rouw, & Adolpho Stukery, juvantibus Abrahamo van Kervel, & Everardo van Ourik, Chirurgis apud noſtros in ſuâ arte non parum verſatis, ſpectantibus verò, ſeu potius patientis curam habentibus, Jacobo de Bye atque me M. D. S.

Caſum noſtrum prius ego hic exponam, deinde quid a Te, veſtro in Caſu, deſiderem, addam,

Virgo triginta duorum annorum ante hos decem undecimve annos ab uſtione dextri pedis circa talum diu malè tractata, & ut in aduſtis nunc his, nunc illis remediis adhibitis, aluit ab illo tempore, hac in parte, ulcus cum Carie tam Apophyſis ipſius oſſis Tibiæ, Fibulæque, quam reliquorum adjacentium oſſium totius Tarſi, interim jam hac, jam illâ in parte, aliqua curationis ſpes affulgebat, ſed quod ad cæteras corporis functiones rectè ſeſe habebat, & quamvis uſu hujus pedis malè affecti (utpotè pleriſque Ligamentis, quæ hæc oſſa alias continent, jam ab ulcere conſumptis digitiſque verſus terram omninò & præter naturam protractis) deſtituta eſſet, tamen beneficio ſcipionis ſatis benè ſeſe movebat, adeò ut Scalas quoque prompte conſcenderet, cæteriſque ſuis muneribus alacriter fungeretur; interim neſcio quo malo lapſum patitur, ex quo oſſa illa, præcipuè Calcis, non tantum fracta, ſed & tota corporis mole deſuper incidente, omninò comminuta fuerunt, cum tanto Sanguinis profluvio, ut vix evaſura videretur, quo tamen ſublato, & vulnere pro temporis ratione

tractato, nec ullâ reſtitutionis ſpe, nec pedis uſu affulgente, unanimi conſenſu in illud omnes convenêre, ut ille pes paulò infra Genu reſcinderetur; quæ Operatio quamvis dextrâ pariter atque celeri manu inſtituta fuerit, quinetiam ipſa Curatio ſatis feliciter pro tempore ſuccederet, optatumque eventum polliceretur, contrarium tamen videre coacti fuimus; nam præter continuos & ferè intolerandos dolores, tam in parte affectâ, quam jam ablatâ, de quibus continuò conquerebatur, incidebat primò ante juſtum tempus in Menſium fluxum, cum magnis inteſtinorum Cruciatibus, & aſſiduis dejectionibus, qui ſimul ac componebantur ac ſiſtebantur, ſtatim conquerebatur de Faucium anxietate, & Reſpirandi difficultate, quod in principio pro Paſſione Hyſtericâ, utpotè malo ipſi familiari, habebatur; ſed Colli dolore, ejuſque motu moleſtiore, & Maſticatione æque ac Deglutitione aliquo modo impeditâ, cum aliquâ oris Clauſurâ, & Muſculorum Faciei diſtorſione, aliud cogitare cœpêre, præcipuè illi, qui una nobiſcum ex patientibus, ab Herniâ Inteſtinali ab Eremitâ Sectis, quique jam ſaluti proximi videbantur, nihilominus lethale utplurimum extitiſſe, fuerant comperti, illi, inquam, qui hoc antea nobiſcum notarant, non ſine ratione utut laudabilia omnia in vulnere apparerent, nihilominus aliquid ſiniſtri ominabantur, præcipuè cum enarrata Symptomata neque externis, neque internis remediis minuerentur, ſed contrà febris magis intenderetur, quinetiam jam quoque de difficultate tam in reddendâ urinâ, quam in excludendis alvi fæcibus conquereretur, quod malum tamen applicatis Clyſteribus aliquo modo levari videbatur; hoc non obſtante, doloribus tam in abdomine, quam in parte jam ablatâ (præcipuè ubi Ulcus fuerat, hæc enim pars continuo ipſi in animo verſabatur, utpote nervi, nervoſæque partes terminum ſuum jam in vulnere ipſo obtinentes, & aëris incommodis aliiſque injuriis externis obnoxiæ, jamque male affectæ, hanc menti ideam obtulêre) his, inquam, cum febre & delirio magis auctis, huic noſtræ patienti Mors ſæpius optata finem dolorum impoſuit.

Quid

Quid jam dicemus de dextra in operando manu? Curatione ad tempus satis felici? Si tam tristem eventum obtineant; quare non tantum cum Hippocrate in suis Aphorismis notare debemus *Experimentum periculosum esse*, atque idcircò alia excogitanda media, quibus tam infelici successui, cæterisque Symptomatibus enarratis obviam eamus; hæc enim omnia quis dicet non provenire ex Nervorum Nervosarumque partium consensu atque cohæsione? Quæ in hac extirpatione vel continui Solutionem patiuntur, vel alio modo malè affectæ, disruptæ, dilaceratæ, vel ab aëris injuriis minus sunt vindicatæ; an non illa Methodus, quam P. A. Verduyn nuper proposuit, quamque in Tua præsentiâ ab ipso satis feliciter institutam vidi, an non illa, & quibus modis, antiquæ præferenda foret, utpotè ubi Curatio non tam diuturna, neque dolor post operationem tantus, nec tum quoque talis Hæmorrhagiæ metus, nec ossis separatio expectanda venit, & Nervi Nervosæque partes, Tendines earumque Fibræ & Vasa ipsa jam tecta, & a frigore cæterisque molestiis & incommodis externis ab applicatâ Musculosarum partium mole satis conservata videntur: non quod ego hic novam illam Methodum, solum quia nova est, introducere velim, sed quod in curatione sit minus dolorifica, paucioribusque Symptomatibus stipata, an non ideo amplectenda, veterique præferenda videretur?

Jam nihil est quod avidius expectemus, quam ut tua illa Observatio in lucem prodeat, & quid in Curatione ipsâ acciderit, & quot quibusve modis antiquæ Methodo aut præferenda aut postponenda veniat hæc nova, tam respectu doloris, & moræ in Operatione ipsâ, quam reliquorum Symptomatum post ipsam institutam, nec non intumescentiæ illorum Musculorum, quibus Ossium, & reliquarum partium extremitates tegendæ veniunt; quod ad reliqua non dubito, quin Manum ipsam amputatam dexterrimâ tua Methodo contra omnem interitum defensurus, ærique, uti assoles, incidendam daturus sis, idque si fieri possit, formâ naturali, cum alias Judicium non tam accuratè ferri possit, uti in Severino Lib. de nov. observ. absc.

Simi-

ſimilem ferè Caſum proponente liquidò apparet : certiores ſine dubio nos quoque facies de qualitate illorum tumorum, qui ſeſe in manu offerebant, & an Cartilagineæ, an Oſſeæ, an verò (uti Cl. Pechlin. Obſ. Lib. III. Obſ. XLVI. habet) Glandulosæ indolis fuerint, nec non quibus cum partibus cohæreant, ſeu potius, unde primum originem ſumpſerint, cuique natales debuerint, an propriis vaſis ab ipſis primordiis, una cum forti imaginatione tempore Geſtationis, his tumoribus a naturâ datis, an ex communibus, an ex tendinibus earumque involucris, an ex perioſtio, an verò ex oſſe ipſo, tanquam ex fonte, & primâ Scaturigine principium ſuum duxerint; uno verbo, quid ſolita tua ſolertia in eruendis corporum abſtruſiſſimis myſteriis ulterius detexerit, avidi a Te expectamus; interim ut diu vivas, valeaſque, & Artem Anatomicam novis & hactenus inauditis tuis inventis ulterius ornes, ex animo precor.

Hagæ-Com. xij. Kalendas
Martii, CIƆ IƆ CCI.

FREDERICI RUYSCHII

RESPONSIO,

Ad Clarissimum Virum

MAURITIUM à REVERHORST,

Med. Doct. & Anatomiæ Professorem.

SUPER

Nova Artuum decurtandorum Methodo.



Itteræ Tuæ, Vir Clariſſime, & longè chariſſime, ad meas quidem pervenerunt manus; arduum autem mihi erit, nodum, in iis propoſitum, diſſolvere: Si enim ulla in re judicium difficile ſit, ut ait magnus ille ſenex, certe illa, à Te exhibita, haud exiguam hactenus crearunt Medicorum filiis moleſtiam.

Quod ad relationem attinet, de operationibus Lithotomicis, Hagæ-Comitis, à Fratre *Jacobo Beaulieux* inſtitutis, jamdiu eſt quod veram hujus rei relationem deſideravi. Gratulor quod inter 13, quos à calculo Veſicæ, Herniaque liberavit, 2 tantum fatis conceſſerint; quot hic Amſtelodami, poſt calculi ſectionem evaſêre, ex relatione, typis mandata, cernere quoque licuit.

Novam methodum amputandi membra quod ſpectat, in ea varia conſideranda veniunt, quæ, ſi conferantur cum antiquo exſtirpandi modo, longe inter ſe differre, palam erit; Uter horum ſit præferendus, Tibi, aliiſque in Anatomicis & Chirurgicis verſatiſſimis, judicandum relinquam; ego interim, quid ſentiam revelare non detrectabo, poſtquam ſuccincte retulero operationem non ſolùm, in juvenis brachio inſtitutam, in Tua, mea, & aliorum præſentia, verùm etiam quicquid in curatione ſeſe obtulerit, in qua Te præſentem ſiſtere haud potuiſti.

Juvenis quidam, cui nomen Chriſtianus Veldmet, 16 annos præter propter natus, nuper ad noſtras venit ædes, correptus non ſolùm tumoribus magnis in dextra, verùm etiam ſiniſtra manu, uti & in utroque pede, eorumque digitis, qui tumores admodum duri, extrinſecus accurate Radices Cyclaminis, aut potius Chryſanthemi Americani, radice tuberoſa, æmulabantur, ſicuti in annexis figuris repræſentantur.

Hujus mali cauſam nobis expiſcantibus, retulerunt ægrotus, ut & anus quædam, quæ dicebatur ejus matertera, quod

 mater

mater imprægnata impensè appetiverat dictas Radices Chrysanthemi Americani, quas tamen impetrare haud potuerat; fœtu jam in lucem edito, reperti sunt, uti ajebat anus, exigui tumores in manibus atque pedibus, qui temporis successu in tantam excreverunt molem, præsertim in sinistra manu, ut brachium diutius sustinere vix potuerit, imò coactus fuerit dextra sinistram suffulcire. Tandem, cum unus ex istis tumoribus ulcerosus factus, emisisset aliquoties multum sanguinis, & patiens manus ponderositatem, doloresque immanes diutius perpeti haud posset, totius manus extirpationem nobis proposuit. Nos autem, consideratis considerandis, annuebamus quidem ejus petitioni, ast vero absque Magistratus consensu, variorumque Expertissimorum Medicorum & Chirurgorum adstipulatione, operationem non aggressus est Magister Petrus Verduyn, auxiliantibus ejus Filio, ut & genero Gomaro à Bortel.

Die igitur constituta ad dictæ manus amputationem, præsens fuisti Clariss. Vir, præsentes quoque sese sistêre Medici expertissimi Vlackveld, Smedingh, Schyn, Valentyn, La Grue, Smit, nec non exercitatissimi Chirurgi, Aurick, Deutelius, Pothuysen, &c. Patiens brodio confortatus, adadmodum erat animosus, operationemque perpessus est fere absque ejulatu, ut omnes, qui operationi interfuêre, admirati fuerint.

1. Humeri pars superior circumducebatur splenio quadruplicato, superimposito splenio longitudinali, lateri interiori brachii & quidem secundum longitudinem, ut hujus & funiculi seu cinguli constrictorii ope, vasa tutius & minori cum noxa inter operationem comprimi possent.

2. Hoc facto Dn. Smith Hafniensis injungebatur cingulum constrictorium bacilli ope leniter, & in operatione ipsa, fortius contorquere, partim ad sanguinis profusionem inhibendam, partim ut pro tempore, brachii stupor excitaretur, & dolor arceretur.

3. Ansâ gracili arctè circumducebatur cubitus infra juncturam

ram. Hisce peractis, Magister van Bortel, gener Magistri Petri Verduyn, partem musculosam sinistrâ arripiens, dextrâ cultellô ancipiti & mucronatô eam perfodit, quam proximè fieri potuit, ad ossa cubiti & radii. Hæc initio facta latere interiore Brachii, quem locum quoque occupabat Operator dictus. Perfossâ parte musculosa, cultrum ulterius adegit, incisionem continuando donec sufficere videbatur pro vulneris tegmine, & sic ulterius transversim carnem abscindebat. Porrò Magister P. Verduyn cæteram partem carnosam circulariter & celeriter incidebat cultro falcato ad ossa usque, & periostio abraso, utrumqne os serrâ dividebat: Interim ne caro propendens à cultro aut serrâ offenderetur Mag. Adrianus Verduyn prospiciebat.

Manu amputatâ & spongiâ madidâ rasurâ ossium ablatâ, vulnus, & per consequens utriusque ossis exstremitas tegebabur quidem à dicto Magistro carne propendente & reservata; ast verò propter carnis contractionem, quæ illicò fit post incisionem, totum vulnus ex voto contegi haud potuit: itaque, quod restabat vulneris, ut & totius membri amputati truncus frustô planô fungi Orbicularis, obducta & contecta fuerunt, super impositâ Vesicâ madidâ, & super eam alterâ madefactâ, quæ priori aliquantò major erat: Hæ binæ Vesicæ, ut firmius cuti adhærerent, comprimebantur & stabiliebantur circulariter frusto Emplastri conglutinantis, cujus latitudo erat unius unciæ, longitudo autem Spithamarum duarum.

Hoc facto tertia quoque Vesica madefacta superimposita fuit, hæmorrhagiæ metu. Isthæc præcedentibus longior & eodem modo stabilita altius brachium coöperuit.

Hisce ita munitis, lamina concava, splenio quadruplicato intus obducta, membri extremo applicata fuit, ea intentione ut deligatione peracta, famuli manu laminâ comprimeretur truncus, hæmorrhagia inhiberetur, & ligaturæ laxius applicari liceret; ut autem dicta lamina cava trunco cohæreret, duo frusta Empl. conglutinantis cruciatim adhibita sunt, e-

 jusdem

jusdem naturæ ac supra citatum. Hisce peractis & cingulo constrictorio (Gallicè *Tournequet)* issdoluto, membri extremo applicatum fuit alterum splenium ex linteo confectum, præcedenti majus & crassius, illudque firmatum fuit fasciâ simplici capite præditâ.

Deligatione ita peracta composuit se patiens in lecto ad quietem; quam ut facilius acquireret, Emulsio ex hordeo ad Crep. cocto, Sem. Cucum. & Amygdal. præscripta fuit, additâ Syr. Diacodii dimidiâ unciâ; sub noctem sese mediocriter habens & alimentum petens parum dicti brodii exhibitum fuit, & sic sese ad quietem composuit, noctemque transegit satis tranquillam, nullo sanguinis profluvio suborto.

Die insequente brachium bene videbatur constitutum, nullo tumore insigni obsitum, patiens quoque immunis ab omni febre.

Hisce visis consultum duximus, patientem ex ædibus Magistri Verduyn transferre in locum quietiorem, ubi illum inviserunt Magister van Bortel & Verduyn, qui deligationis exteriora abstulerunt, vulnusque mitius deligarunt, id quod levamen patienti adferebat. Tertia die sub meridiem integra deligatio simul cum Vesicis ablata fuit, invenimusque separationem Epidermis, seu Hydatidem onustam humore loturæ carnis æmulo, idque parte anteriore juncturæ cubiti, eaque aperta, reperimus subsitam cutim nonnihil quoque infectam & gangrænam ulteriorem mentientem; eodem quoque tempore patiens non immunis erat ab omni febre, & membri extremitas, justò magis tumefacta: Vulnus tamen magna ex parte carne, quæ in amputatione conservata fuerat, coöpertum invenimus, sine sanguinis profluvio. Quia autem omnis hæmorrhagiæ novæ metus nobis nondum erat ademptus, in deligationis renovatione haud omissus fuit Fungus Orbicularis, munitus Empl. Diapalma dissoluti, spleniô quadruplicatô & ligaturâ convenienti.

4. Die pulsum invenimus concitatiorem, & vulnus non minus extumefactum, itaque ablatô fungô leniter tantum addu-

ducebatur caro in amputatione conservata, idque fasciola Empl. Glutinoso oblinita, vulgò sutura sicca dicta, porrò totum vulnus tegebatur Empl. Diapalma dissol. plumaceolis, ex linteo carpto confectis, haud neglectis. Die insequente quæ erat quinta ab amputatione, res eodem fere modo sese habuit, nec febris quoque mitior facta: itaque eodem ritu remissius deligatum fuit vulnus, ast verò eo loco, ubi Gangrænæ metus fuerat, sc. circa juncturam cubiti, Gangræna jam prodiit levis, quapropter consultum videbatur cautius prospicere huic symptomati, quam trunci integumento carneo: itaque lenissime tantum adductâ carne reservatâ, Cataplasma ad Gangrænam sistendam applicatum fuit. Die insequente vulneri prospeximus digestivo Cataplasmate superimposito: die autem 7 truncus non nihil detumuit & vulnus quoque humidius apparebat, interim locus, Gangrænâ obsessus, magis magisque intumuit, doluitque, nec patiens à febre immunis, ita ut magis metueremus abscessum quam Gangrænam profundiorem, qui tamen haud supervenit. Altera die, eodem modo res sese habuit, excepto, quod nonnihil mollior pars tumefacta nobis obveniret, die autem 9 haud pejus res sese habuit quoad truncum, Gangræna verò in pejorem statum erat redacta: Itaque post ablutionem cum Sp. Vini calefacto factam, applicati sunt plumaceoli, tetrapharmaco cum digestivo permixto, illiti, nec non in Sp. Vini humectati, superimposito Cataplasmate, Spirit. Vini asperso.

10 Autem die febris remissior facta, trunci vulnus pure cocto obsitum, Gangrænæ tumor quoque minus durus: hoc tempore nihil immutatum fuit circa deligationem, patiens verò eodem die, prima vice questus fuit de dolore pollicis membri detruncati, & præsertim quidem, [cum inopinatò pollicem extendere conaretur aut mentiretur, non autem cum in animo haberet eum flectere; de cæteris digitis nullæ erant querelæ, illud enim distincte interrogavimus.

Die undecima major spes affulgebat, quandoquidem omnia

in

in melius vergebant, pus enim laudabile promanabat de vulnere trunci, tumor diminutus, escaræ periphæria humida cum aliquali separatione : in hac renovatione omissa fuit Cataplasmatis applicatio supra truncum, non autem supra partem Gangrænâ infectam : Caro autem reservata, quæ ob symptomata supra citata, haud satis erat adducta, & propterea retracta, jam denuò fasciolis Emplastro Glutinoso oblinitis reducta & vulnus maxima ex parte coöpertum fuit.

Die 12 patientis status non erat quidem deterior, sed verò Gangrænam, profundiores egisse radices, videbamus, utpote separatione partim facta, imò tendines musculorum non fuisse immunes à dicta Gangræna, ita ut varii quoque separarentur. Jam à Cataplasmatis usu destitimus, dicto loco prospeximus digestivo, & carnem reservatam dictis fasciolis, ut antea, adduximus.

Die 13. patiens immunis erat ab omni febre, placidè dormiverat, cibum appetebat, truncus carnis adductione maxima ex parte coöpertus erat, & quod restabat vulneris, applicuimus Unguentum, *fac totum*, dictum, ut cicatrice ulterius obduceretur vulnus : quicquid autem emortuum & Gangræna infectum fuerat sub cubiti juncturam, partim forcipe excisum, partim à natura separatum erat, adhibitis plumaceolis Ung. Digestivo, Basilico permixto, oblitis Diebus insequentibus melius atque melius sese habere cœpit patiens; imò paucis post diebus prorsus fuerunt curatæ dictæ solutiones continuæ, quin etiam quò magis appropinquarunt earum curationes, eò majores erant querelæ de dolore amputati membri, & nunc quidem circa volam manus, nunc verò de dolore totius manus, & quoties quis leviter tantum comprimeret cicatricem infra juncturam, ubi Gangræna fuerat, summis cruciabatur doloribus; interrogatus, qua in parte? regerebat indigitis amputatæ manus, compressa autem in parte dictæ cicatricis confinio, nullum sentiebat dolorem.

2. Consideratione dignum esse censeo, nos nullam sensibilem separationem extremitatum ossium cubiti, & radii in curatione

ratione offendisse, quia minus aëris injuriis exposita fuerunt dictæ extremitates ossium.

3. Comprimendo trunci extremum, cicatrice obductum, dolor sursum vergebat versus brachium.

4. Truncum flectendo, sibi imaginabatur, quod simul quoque digiti flecterentur, idque sine ullo dolore: pollex verò videbatur illi rigidus & sine motu.

5. Quum dextrâ fricaret, supra juncturam trunci, idque parte exteriore, dicebat nobis, sese non solùm sensum motumque hujus fricationis in digitis membri detruncati percipere, verùm etiam cum fricaret sese in latere Thoracis sinistro: id quod (quamvis non obscure nobis arguere videatur consensum membranarum, nervorumque in corpore nostro,) magis mirandum, quam explicandum.

6. Contractionem singularem præstare poterat in trunci cicatrice; quam quasi corrugabat, dicens, jam mihi videor digitos flectere, jam denuò extendere.

Hisce à nobis observatis, imposterum expiscandum, utrum dicti dolores, quos videbatur passus in manu extirpata patiens, & à quibus haud immunes sunt homines, quorum artus vulgari modo extirpati sunt semper superveniant patientibus, quibus eo, quo retuli modo, extirpata fuit manus, an verò hisce ansam dederit Gangræna, circa cubiti flexuram prognata, an ex alia causa ortum duxerint, occasione data inquirendum esset, quandoquidem Magister Petrus Verduyn testatur in Epistolari sua Dissertatione, sese quidem bis hanc operationem in pede instituisse, idque eadem methodo, & quod tales dolores Sympatheticos nondum offenderit. Verba ejus hæc sunt, *denique silentio præterire non possum aliud quoddam emolumentum, nequaquam pœnitendum; nimirum quod hoc modo restituti non conquerantur, ut quidem alii, de dolore sympathetico in pede cruris, ablati, &c.*

Hæc sunt Cl. Vir, quæ nobis in, & post exstirpationem, observare licuit. Quid autem de hac exstirpationis methodo sentiam, à me scire cupis, in qua, ut recte censes, *curatio non tam diuturna, neque dolor post exstirpationem tantus, nec*

tum

tum quoque talis hæmorrhagiæ metus, nec ossis separatio exspectanda venit, & nervi nervosæque partes, tendines, eorumque fibræ, & vasa ipsa jam tecta, & à frigore cæterisque molestiis & incommodis externis ab applicata Musculosarum partium mole satis conservata videntur, &c.

Hisce concessis, ut revera concedenda esse putem, amplectenda videtur hæc nova extirpandi methodus.

Fateor quidem in manus aut brachii amputatione nos semper sollicitos esse, ut tantum membri conservetur, quantum fieri potest, quia ad nonnulla munera obeunda illud inservire potest, & si velimus truncum membri amputati mole carnea tegere, quæ in cubiti extremo nimis exigua, quam ut ea contegi possit, necesse foret in altiore loco membrum decurtare, sicuti, ut fateor, in hoc patiente, factum. Verum enim verò in posterum minus sollicitus ero, de coöpertione trunci carneâ mole; existimo enim sufficere, si truncus tegatur cute manus, quæ toto dorso vel vola manus separari & conservari posset; Contra in pedis exstirpatione necesse est partem detruncatam carne furali integere, uti olim factum à Magistris Exercitatiss: Petro Verduyn, Wilhelmo à Vleuten, & Adriano Coenerdingh; dico *necesse esse*, sc: si per insitionem curari, & parti detruncatæ, non verò genu insistere atque incedere velint homines: caro enim reservata mutilatæ parti pulvinaris loco est.

Circa hancce hactenus inusitatam amputandi methodum, nonnulla adhuc consideranda veniunt, &

1°. Quidem, si in crure facta operatio, & patienti in animo sit per insitionem ulterius curari, an non obstaculo erunt excrescentiæ seu exostoses, quæ in homine vegeto observantur aliquando è trunco emergere.

2°. Si in cubiti extremo instituenda sit operatio, an cutis, quæ in manu est, sufficiens est pro vulneris integumento?

3°. An in nova hac methodo major aut minor gangrænæ supervenientis ansa detur?

Quoad 1um, nempe ossium excrescentiam: Resp: in cubiti aut manus amputatione non est cur de ea solliciti simus, membro

bro enim detruncato non incedit homo : verum enim verò in amputato crure ejuſmodi excreſcentiæ admodum nocivæ forent, hæ enim carnem conſervatam compungerent incedendo continuè, ſi nempe per inſitionem ulterius incedere vellet patiens. Hoc incommodum, ſi Magiſter Petrus Verduyn inter curandum inhibere valeat, (ſicuti affirmat) idque ſuo apparatu novo, ſoluta eſt iſthæc difficultas.

Demonſtravit quoque nobis puerum, qui crure amputato, crure artificiali incedit, currit, genu flectit, extenditque pro lubitu. Vide ejus diſſertationem Epiſtolarem de nova Artuum decurtandi ratione Anno 1696 in lucem editam; in qua exhibetur Inſtrumentum retentivum, ut & lamina excavata, quibus facta amputatione in pede aliquot poſt diebus, cum dicta excreſcentia metuenda ſit, trunci extremum ita comprimitur, ut illud incommodum inhibeatur.

Quod ad 2^m. attinet, ſc: an cutis manus ſufficiens ſit pro vulneris integumento, propter retractionem cutis? Reſp. ſi non ſufficiat omnino, ſaltem magna ex parte truncum coöperiet, id quod de vulgari amputatione dici non poteſt,& quò magis nervi, tendinesque abſciſſi proprio tegmine conteguntur, eò remiſſiora exſpectanda ſymptomata; præterea curatio citius quoque abſolvetur; imò Auctor eſſem, ut in eo caſu carnoſum & cutaneum volæ manus arriperemus, & in auxilium vocaremus, pro trunci nervorum ac tendinum tegmine. Præterea amputato membro Chirurgi applicare aſſolent pulv: adſtringentes, quos inter varii Pulv: Eſcarotica recipiunt ad ſanguinis hæmorrhagiam inhibendam, id quod plane rejiciendum cenſeo, propterea quod illi ſua acredine nervoſis partibus nocere valeant: in hac autem operatione tale quid non adhibetur, ſed vulnus tegitur proprio involucrô.

Quod ad 3^m. attinet, ſc: an in hac nova methodo, major aut minor Gangrænæ metus adſit? Reſp. ſi non minùs Gangrænam minatur operatio iſthæc nova, ſaltem haud major erit, hujus ſymptomatis metus, modo deligatio rite peragatur. Fateor quidem illam in ſupradicta curatione nobis obveniſſe, ve-

rum illud non in trunci extremo, verum circa cubiti flexuram sedem fixit, forsan à ligatura, justò arctius circum ligatâ, id quod multum negotii nobis facessivit, & hoc præcaveri poterit in posterum, præstabitque laxiorem adhibere ligaturam, & per 12 imò 24 horas truncum manu continere & comprimere, & hoc ut æqualius fieri possit, in auxilium, ut dixi, revocanda lamina excavata, quæ ante compressionem applicanda.

Pergam ulterius ad ea, quæ Cl. Vir me admonet, sc: brachii amputati conservationem, ut & naturali magnitudine delineationem, *cùm alias judicium tam accurate ferri nequeat, uti in Marco Aurelio Severino, de Nov. observ. abscess: similem fere casum proponente, liquido apparet.*

Recte adstruis, objecta naturali magnitudine semper esse delineanda, si quis proposita accurate demonstrare satagit, & hoc quoque in omnibus meis Epistolis Anatomico-Problematicis observavi. Est mihi in animo hanc manum amputatam ita sepelire, ut quicquid in figuris expressum fuerit, semper demonstrari possit. Porrò unum ex istis tumoribus in manu existentibus, ut me monuisti, examini subjeci, reperique, illum neutiquam esse Glandulosæ indolis, ast Cartilaginosæ, imò & Osseæ; eratque quasi ex innumeris minoribus tumoribus partim Cartilaginosis, partim Osseis, compositus; singuli autem eorum denuò ex innumeris minoribus humore succoso, gelatinoso repletis Vid. Tab. XVIII. fig. 2. Impossibile autem mihi fuit indagare, an ex ossibus manus, tendinibus, aut periostio, tanquam ex fonte, & prima scaturigine originem duxerint: Omnia enim ita sunt confusa & connata, ut ulteriori indagini haud fuerit locus; cum illud perscrutarer, sub cute conspicienda sese exhibebant vasa sanguinea, quæ cum ceraceâ materiâ replevissem, distinctè videre licuit eorum cursum, & capacitatem: Venæ per dorsum manus disseminatæ, calami scriptorii capacitatem adæquant: horum ramuli minutissimi à naturali cursu quoque recedunt; quin etiam circa cutem observatu dignum esse censeo, sc:, quod cutis in hac ingenti tumorum excrescentia, tenuior facta aliquid visui offert, quod in cute

sana

ſana non tam accurate occurrit : Imò cutis de ſua integritate & compoſitione aliquid in via amittit, quod cutis incrementum inſequi non poteſt. Id quod jam ſeſe videndum luculenter exhibet, ſunt papillæ cutaneæ, extra cutem nonnihil protuberantes : Vid. Tab. XVII. Fig. 4. ut & Fig. 5. Lit. C. ubi ordine naturali diſpoſitæ: illud autem, quod in excreſcendo amittit cutis, ſunt eædem papillæ cutaneæ, quæ circa baſin tumorum non in apice videri poſſunt. Plura ob cœli ſerenitatem non addam, illa enim me invitat, ut hiſce diebus æri incidi curem, quæ in ſtomachi ſtructura, ab aliis nondum ſunt detecta. Præterea multum moleſtiæ mihi creavêre hiſce diebus, quæ in oculo adhuc ſunt oſtendenda, puta vaſa ſanguinea per tunicam humoris cryſtallini diſſeminata, &c. hæc enim Theſauro ſecundo inſerere mihi in animo eſt. Hiſce Vale, Vir Celeberrime; & ut artem Anatomicam magis magiſque nobiſcum promoveas, ex animo optat, Celeberrimi Nominis tui

Cultor

FREDERICUS RUYSCHIUS.

Amſtelod.
10 Juny 1701.

TAB.

TABULÆ XVII. Expoſitio.

FIGURA I.

A. Pars Brachii amputati cum manu, in qua pars ſupina videri poteſt.
B. Pollex.
C. Index.
D. Digitus Medius.
E. Annularis.
F. Minimus.
* Arteriolæ cutaneæ.

FIGURA II.

Digitum exhibet parte ſupina, cum ſuis papillis cutaneis, ordine debito ſitis.

FIGURA III.

Demonſtrat digitum parte prona.

A. Papillæ cutaneæ epidermide deſtitutæ, & confuſo ordine compoſitæ.
B. Pori cutanei, ſitu, nullum ordinem ſervantes.
C. Papillæ cutaneæ naturali ordine ſitæ.

Circa has Papillas conſiderandum, ſc. eas epidermide artificioſè deſtitutas, extra cutem nonnihil prominere.

TABULÆ XVIII. Explanatio.

FIGURA I.

Demonſtrat partem Brachii ſupracitati cum annexa manu, parte ſupina.

A. Pollex.
B. Digitus medius.
C. Index.
D. Tumor maximus.
E. Ulcus.
* Arteriolæ cutaneæ.

FIGURA II.

Repræſentat Tumoris maximi portionem abſciſſam, ut conſtitutio intrinſeca compareat, quæ partim cartilaginea, partim cartilaginoſæ ſubſtantiæ æmula, cellulosa, & mucaginoſa.

Fig. 1

F


E


G

*

A

B





C. Huiberts, ad vivum Sculpsit.



C. Huyberts. ad vivum Sculpsit.

DE MORTE CAVSSA PARTVS MEDICA QVIDEM DISPVTATIO

SED FORENSIBVS NEGOTIIS tractandis necessaria.

Auctore
MARSILIO CAGNATO.




ROMÆ, Apud Aloysium Zannettum. MDCII.

Superiorum Permissu.

DE MORTE CAVSSA PARTVS DISPVTATIO

AVCTORE

MARSILIO CAGNATO





N contractibus ſocietatum ab officio nomen habentium (quod eſt tam frequens, quam Vrbi Romæ, & Romanæ curiæ peculiare) ſi vita mulieris alicuius nominata ſit, illius periculo, qui pecuniam commodat, ea ſolet exceptio apponi; dum neq; ex partu, neque cauſſa partus moriatur; eaq; de cauſſa ſæpe Medici requiruntur, qui cognoſcant, & iudicent, vtrum mulier ex huiuſmodi cauſſa interierit. Itaque non erit minus vtile, quam iucundum inueſtigare, & definire, quæ nam mulieres dici debeant ex partu, & cauſſa partus decedere. Et quia magna eſt partus, & grauiditatis coniunctio, atque cognatio, & ſolet in eiſdem contractibus exceptio grauiditatis adhiberi, & par vtriuſque ratio videtur eſſe, de grauiditate quoq; diſſeretur.

Videtur autem in primis ſtatuendum,

Vtrum partus & grauiditas cenſenda ſit res naturalis, an præter naturam, namque, hoc ignorato, non

potest vere, ac firme id, quod proponitur, definiri.

Grauiditas videtur morbus.

Quæ igitur mulieres vterum gestant, neque non eæ, quæ pariunt, vel peperere, tot affliƈtantur laboribus, tãque grauia patiuntur, vt videri possit vtraque res præter naturam. Sane constat, grauidis casus eiusmodi euenire, cuiusmodi passim exercere solent ægrotos, horrores scilicet, fastidia, absurdarum rerum appetitionem, vomitiones, doloresque varios, & febres ipsas: quæ, symptomata à Græcis dicta, morbum vt vmbræ corpora (trita ex Gal. similitudine lib. de symptomat. differ. c. 1.) comitantur. quamobrem grauiditas morbus quidam videri potest, à quo sæpe mulieres interficiuntur.

Partus videtur morbus.

Sed & partum sæpe casus sequuntur grauissimi, & mors ipsa alias dum pariunt, in ipso scilicet partus articulo, alias simulatque peperere, alias serius. solent autem puerperis accidere purgationes immodicæ, vel nullæ, vel non pro naturæ modo, item febres, dolores ad vterum, ad lumbos, ad corpus vniuersum, vlcera, & apostemata, (vt à medicis dici solent) quæ sequitur animi defeƈtio, & nonnumquam interitus. Nec defuere, qui diserte, & palam docuerint partum esse morbum, vt Aponensis Conciliatoris diff. 106. ex Auicennæ vi. 3. tr. 1. c. 2. quoniam est cuiusdam articuli magna, & singularis disiunƈtio: itaque & in ægris puerperis decretorios dies nonnulli dicebant obseruandos inita ratione à die ipso partus, non à die febris, statuentes febrẽ illam esse partus veluti symptoma. Hipp. *autem, tã grauiditatem, quam partum, docuit, statis dierum periodis*

dis perinde atq; morbos iudicari. Sed noui etiã quosdã Iurisconsultos existimasse prægnantem mulieré ægrã esse.

Verum è contrario grauiditatem, & partum res esse naturales, & naturæ consilio congruenteis, debet earundem finem considerantibus persuasum esse; nam procreatio est opus maxime naturale, quod & satis est per se manifestum, & est ab Arist. traditum lib. 2. de anima loco vulgatissimo, quamobrem tum grauiditas, tum partus est maxime secundum naturam, nec per se vmquam est præter naturam, sed ita solum, si quid, quod naturæ aduersetur, ei adiungitur, vt febris, dolor, vlcus & similia, qui vel morbi sunt, vel casus morborum comites; at grauiditas & partus morbi non sunt, cumq; auctores, cuiusmodi Aponensis diff. 106. & reliqui, quos enumerare superuacaneum sit, recipiant, partum alterum esse, alterum non eße naturalem, eo demonstrant, partum sua natura morbum non esse, cum enim alter sit naturalis, non potest esse morbus, nam res est morbus, omnium confessione, præter naturam.

Grauiditas & partus nõ sunt morbi, sed res naturales, & per se num quam præter naturã.

Nec probatur, eße partum, & grauiditatem morbos, argumento ab ijs casibus sumpto, qui grauiditatem, partumque sequuntur: nam fastidia, horrores, vomitus, & reliqua ante memorata, etsi possunt dici symptomata, vt nomen hoc symptoma omnem affectum significat, (quod & ipsum notum est, ex lib. de symptom. differ. c. 1. apud Galenum) non tamen est grauiditas morbus, nisi translate velimus dicere, morbum eße naturalem, vt de senio dicebat Arist. lib. 5. de gen.

Symptomata, grauiditatẽ, & partum comitantia, vt accipienda.

Grauiditas translate dici potest morbus.

ani-

animal.c. 4. sed quemadmodum victum, & disciplinas cum labore adipiscimur, quarum tamen consequendarum principia nobis à natura tradita sunt (ne quis omnem existimet laborem esse præter naturam; nisi ignauus homo sibi persuadeat, & vitam, & valetudinem, & virtutes ab hominis natura alienas, quo nihil magis absonum dici, cogitariue potest) ita natura comparatum est, vt animalium præstantissimum, magno parentis labore gestetur vtero, & maximis doloribus edatur in lucem, atq; adeo summum gaudium ex sobole nobilissima singulari laboris, & doloris genere compensetur; hoc, inquam, naturà comparatum est, eoque efficitur, grauiditatem, & partum res eße naturales. Quod si tandem illa, quæ prægnantes, & puerperæ patiuntur, statuamus proprie dici symptomata, non idcirco tamen grauiditatem dicemus, aut partum esse morbum, sed prægnantibus, aut puerperis vere morbum aliquem adesse, quem dicta symptomata sequantur, ipsam vero grauiditatem, atque partum inter caussas potius, referri oportere, vt paullo post explicabitur. Etenim, concepto semine, tamquam re aliena, virtus naturalis mulierum præsertim, quæ nondum huic sunt labori adsuetę, nouitate quasi deterrita, suo languidius munere fungitur, calore scilicet ventris insito nonnihil fracto, & remisso, quę frigida intemperies quædam est, quam sequitur vitiosa concoctio alimenti, quamobrem citantur vomitus, fastidia, rerum alienarum appetitio, & reliqua, quæ dicta sunt, & symptomata vocabantur.

Grauiditas, & partus possunt dici caussæ morborum.

Nec

Nec mouet etiam Iuriſprudentum opinio, quoniam è contrario alij non minus probati eiuſdem auctores prudentiæ negarunt grauiditatem eſſe morbum, immo rem eſſe naturalem (vt ante dixi) acceperunt, & omnino conſtituerunt. Itaque non eſt præter naturam conceptus & grauiditas, ſed morbi ab ea exorti, & ſymptomata, quæ illos comitantur: quæ ſæpenumero tam leuia ſunt, vt omnino negligantur, & eo ſolum æſtimentur, quo ſunt conceptus, & grauiditatis indices, eaq; ſimpliciter grauiditas naturalis vocatur. aliquando vero tam grauia ſunt, vt fœtus corrumpatur, & mulier periclitetur, ac nonnumquam moriatur. eaque dici poteſt grauiditas præter naturam. quibus ſimilia eſt de partu accipere: non eſt enim partus morbus: Verum qui caſus partum ſequuntur, alij verius morbi ſunt, alij vero ſymptomata, quæ morbos ſequuntur à partu, tamquam à cauſſa, profectos, nam febres, vlcera, inflammationes, quæ à partu relinquuntur, morbi proprie ſunt, purgamenta vero vel nimia, vel iuſto pauciora, aut nulla, dolores, animi defectiones, tamquam ſymptomata, morbos modo dictos ſequuntur. Nec mouet idem Aponenſis, cum Auicennam interpretatur, de partu, quaſi de morbo, locutum; quoniam dixit, fieri quandam maximam articuli diſiunctionem; nam licet primo animaduertere, & declarare, cuiuſnam articuli diſiunctio illa ſit, deinde morbus ſit, an non. Os igitur vteri inſigniter aperiri, hoc eſt quidem neceſſarium, & à Galeno cum admiratione traditum lib. xv. c. 7. de vſu partium,

Grauiditas aliqua præter naturã.

Symptomata partũ ſequentia.

Aponenſis opinio.

Cuius articuli diſiunctio in partu fiat.

„ *tium , cum inquit , Quod os quidem eo vſque aperi-*
„ *tur, vt poſſit fętibus facilem prębere exitum, nemo igno-*
„ *rat , ſed quo pacto id accidat , mirari poſſumus , intelli-*
„ *gere non poſſumus . at natura tum hæc, tum alia omnia*
„ *in partu animalis admiranda machinatur commenta .*
„ *etenim diligenter prouidit , quo pacto fœtus, qua conue-*
„ *niebat figura, ad collum matricis perueniret, nec minus,*
„ *quo pacto , dum ipſum peruaderet , nullam partem ſau-*
„ *ciaret , neue colon luxaret . Os ergo vteri maxime in*
partu pandi neceßarium eſt. quod pari cum admiratio-
ne Auicenna loco eodem repetijt, inquiens, Aperitur ma-
„ *trix apertione tali, cuius ſimilem non valeat efficere in*
alia hora . Verum adiecit alterum , cuius mentionem
Galenus non fecit , ſcilicet , Et neceſſarium eſt, vt ſepa-
„ *rentur quædam iuncturę , & ſuſtententur adiutorio*
„ *Dei excelſi præparante, vel diſponente eas ad illud, dein*
„ *de reuertente eas ex proximo ad continuationem natu-*
ralem. vult hic Auicenna, præter vteri aperitionem, fie-
ri cuiuſdã articuli diſiunctionem, & continuitatem in-
tercipi , quem articulum non nominauit , ſed iactatur
vulgo , pubis oſſa diſiungi : hoc tamen, vt ſenſus teſti-
monio caret , ita eſt à naturæ conſilio alienum, quæ tan-
tam adhibuit diligentiam ad coniungendum oſſa Ilij in-
teruentu chartilaginis in parte antica , vt hoc ſolo in-
telligamus, nullam debuiße fieri eiuſmodi oſſium diſiun-
ctionem. contra vero in parte poſtica eadem Ilij oſſa, qua
parte propinquiſſima ſunt , infima ſcilicet , minime con-
iunguntur , & in feminis quoque (quod Veſalius di-
ſerte

ſerte ſcripſit lib. 1. de hum. corp. fabrica cap. 29.) magis, quam in viris diſiunguntur. quo licet intelligere, ſi qua fiat oſſium de ſua Sede demotio, in poſtica fieri parte, Ilij oſſibus ad exteriora modice repulſis: itaque & ſummum parientium dolorem in parte poſtica circa eadem Ilij, ſiue coxendicis oſſa percipi. teſtaturq; Ambroſius Paræus lib. 23. cap. 13. ſe pubis oſſa, diſsectis à partu ſtatim puerperis, numquam diſtracta reperijſſe, Ilij quidem oſſa ab oſſe ſacro digiti interuallo diuulſa: & ſe ſe interdum difficulter parientibus adſtantem auribus ſonum diuulſionis, & manu oſſium diſtractionem percepiſſe. itaque articulorum hæ fuerunt diſiunctiones ab Auicenna indicatę, qui non temere plurium numero dixit, quædam iuncturæ, quia vt Ilij duo ſunt oſſa; inter quæ ſacrum os intercedit; ita duos neceſſe eſt articulos eſſe. Sed & Gentilis Auicennæ interpres, & Gabriel Zerbus ſcribens de partu naturali, hoc de femoris oſſe, ideſt, coxendicis, ſiue Ilij, non de oſſe pubis, accepit, & probati anatomes auctores hanc omnes ſententiam ſubſcribunt. Qualis autem cumque ſit ea diſiunctio, morbus certe non eſt: quod nec Auicenna dixit, nec ratione probari poteſt: Sed è contrario, rem eſſe naturalem (eſt autem morbus præter naturam) eo accipimus, quod ſponte, ac momento tollitur, nec opem medicam poſtulat: neque enim Galenus vocat morbum, niſi tempus aliquod affectus permaneat, trito, & peruulgato documento ex lib. de diff. ſympt. c. 1. & in verbis ante repetitis ex lib. 15. de vſu part. c. 7. ſatis hoc demonſtrauit, cum

naturæ studium exposuit ad fœtus egressum ex vtero, & illarum partium tutelam, per quas egreditur. quo percipitur, partum esse functionem prorsus naturalem. vt omittam interim, mulieres esse non paucas, quæ partus laborem floccifaciunt, eumque se facilius ferre asseuerant, quam cum semel panem conficiendo, aut vestium sordes abluendo laborant. Quodque à nonnullis dicitur, a die partus, tamquam morbi, ineundam dierum, quos vocant decretorios, rationem in affectibus, qui partum sequuntur, hoc ab Hippocratis sententia alienum esse, ostendi in propria de ea re disputatione, ipse enim Hippocrates à die morbi per se, a die partus ex accidenti, supputabat.

Dies decretorij supputandi à die partus per accidés, nõ per se.

Quod vero idem doceat statis dierum periodis morborum instar grauiditatem, & partum iudicari; hoc non magis probat, hos morbos esse, quam si fructuum exortum, & maturitatem dicerem morbos esse, & omnium rerum exortum, & perfectionem item esse morbum, si quidem omnia hæc suas habens periodos, vt morbi suas. Auctor est Aristoteles lib. 2. de ortu, & interitu, inquiens, „ omnium est ordo, & omne tempus, & vita „ mensuratur periodo. vanum ergo est, si dico, morbum esse quicquid periodo mensuratur. nec Hippocrates voluit significare, partum esse morbum, sed illam periodorum rationem, quam in partu docuerat, morborum similitudine confirmare. Itaque nec grauiditas, nec partus morbus est, sed res vtraque per se naturalis est.

Tria nos rerum genera immutant.

Verum scire expedit, tria esse rerum genera, à quibus

bus permutamur, quorum primum est, in quo, vt viuamus, necessario versamur quidem, ab eo tamen non lædimur necessario, sed plerumq; iuuamur, ea vero sunt, de quibus Galenus libro art. med. c. 8 s. aer, alimentum, excrementum, somnus cum vigilia, labor cum quiete, animi affectus; alterum vero est, in quo non versamur necessario, sed à quo necessario, cum nobis occurrit, lædimur, vt venenum, verbera, & quę sunt huiusmodi: tertium est, cui conuenit cum secundo, quoniam in eo non versamur neceßario, vt viuamus, & cum primo, quoniam ab eo, non lædimur necessario, sed pro eius modo alias salutare, alias noxium est. Hęc *ipsa est, Venus, à qua non longe abest gtauiditas, & partus, sed Veneris commoda & incommoda sunt à nobis explicata libro de* Continentia. *grauiditatem quoque & partum (etsi labores magni sunt) si pro naturæ fiant modo, salutares esse, cum docemur illarum experimento mulierum, quæ dum liberis operam nauant, melius valent, viduę vero, & continentes frequenter ęgrotant: tum suadet grauissimorum auctoritas scriptorum; nam* Hippocrates *lib. de Virginib. inquit.* Ego *vero has iubeo,* „ *quæ hæc patiuntur, cum viris quam citissime habitare; si enim conceperint sanæ fiunt.* „ *quibus illi similis accedit ratio, qua Socrates mortem naturalem docebat esse iucundam, quoniam naturæ lege quadam iucunditas ijs rebus adiungitur, quę secundum naturam fiunt: sic igitur quę secundum naturam fiunt, ea salubria quoque esse, censemus.* Ergo *tum grauiditas, tum partus*

Grauiditas, & partus salutares sũt.

si secundum naturam fiat, salutaris existimandus. Itaque nec moritur mulier vel grauida, vel puerpera si secundum naturam hęc eueniant.

Grauida, & puerpera quādo moriatur.

Moriuntur cum alienum quid & præter naturam, & illud graue, contingit: quamobrem tum grauiditas, tum partus dicitur fieri præter naturam.

Origo rerū præter naturā in grauidis & puerperis, interna.

Quæ vero aliena contingunt grauidis, alia internam alia externam originem habent: interna est origo, si ob hiatum vteri menses grauidis singulis mensibus prodeant, si acetabula sint plena pituitæ, si acris pituita in ventrem à capite delabatur, & alui fluorem excitet, si lumborum & ventris dolores oriantur, si biliosa sit, & inde febres fiant, & regio morbo afficiatur, si repente mammæ gracilescant, & lac non appareat, si pituitosa sit, & caput idcirco doleat, febriat, & corpus colore plumbeo perfundatur, si lienosa sit, si vteri flatuosi, densi, magni, parui, & quacumque ratione ad abortum faciendum proni. Extrinsecus *vero nascuntur similes affectus, si mulier onus leuauerit, si percussa fuerit, si saltauerit, si abundantius, aut parcius alimenta, potusque acceperit, si timore, & consternatione correpta fuerit, si vociferata sit, & alias intemperanter vixerit, si quoque præter consuetudinem, acria, amaraue comederit, aut biberit: nam ex omnibus commemoratis fœtus corrumpuntur, & mulieres in periculo versantur. Quod & magistra experientia innotuit, & ab* Hippocrate *proditum est libro primo de morbis muliebribus.*

Origo earundem rerū externa.

Non

Non solum autem ab his fœtus corrumpuntur, & ipsæ prægnantes intereunt, sed nonnumquam eadem hæc ad tempus partus perducuntur, ipsumq; partum difficilem reddunt, quem tamen peculiariter aliæ graues excipiunt affectiones, à quibus & mulieres pereunt: si videlicet purgatio non fiat debita, vel fiat immodica, si secunda non egrediatur. Purgatio *vero non fit, quia solent vteri à partu inflammari, & durescere: quapropter occludūtur, & idcirco alias putrefactis purgamentis vlcera in vtero nascūtur, alias venter intumescit, & lien, & crura, & dolores fiunt ad lūbos, & viscera, et ad omnem corporis partem, fiunt quoq; rigores, & febres, & deliria, & surditas, & cæcitas, & sanguinis vomitus.* Purgatio muliebris cur non fiat

Fiunt vero immodicæ purgationes ore vteri ob violentum fœtus egressum amplificato, & venis quibusdam ruptis, & ea propter etiam febres, rigores, horrores, cibi fastidia, macies, imbecillitas, pallor, tumor. Si secunda intus relicta sit, febres, & dolores fiunt magni, & alias purgamenta fiunt parcius, alias abundantius, quam par est, venter augetur, & durescit, febres & rigores fiunt. Purgationes immodicæ.

Quæ *vero de partu dicta sunt, de abortu quoque dicta putabis, qui nihil aliud esse à multis creditur, quam partus intempestiuus: & ex abortu nō secus atq; ex partu grauia patiūtur, & in simili discrimine versantur: siquidem tum grauidæ, tum puerperæ, & abortum facientes ex dictis incommodis non paucę moriuntur.* Abortus eadem & partus ratio.

Aliæ tamen citius, aliæ serius pro corporis, & affe-

ctio-

ctionis ratione, vt inquit Hippocrates *lib.* 1. *de morb. muliebr. n.* 53. *& pregnantem biliosam, & ægram speciatim dixit lib. eiusdem num.* 42. *vno & triginta diebus plerumque interire. & n.* 44. *puerperam pituitosam dixit mori diebus quinque, & quadraginta, deq; alia, cui purgatio non facile procedit lib. eiusd. n.* 52. *&* 53. *dicebat, non excedere vnam & vigesimam diem.*

Periculũ interitus ex partu quamdiu manet.

Periculum scilicet interitus ex partu tamdiu manet, quamdiu purgatio à partu naturaliter procedit, & diutius, si quid præter naturam contingat. Naturaliter autem Hippocrate *auctore libro de natura pueri n.* 10. *& lib.* 1. *de morb. muliebr. n.* 89. *Si fœtus fœmina sit purgatio diebus fit duobus, & quadraginta, licet fieri possit citra periculum diebus viginti quinque. si vero masculus sit diebus triginta, licet viginti quoque citra periculum fieri possit; quamquam longius etiam huic pargationi spacium Moses tribuiße legatur, nam edito mare dies tres & triginta; edita femina duplum, scilicet sex & sexaginta constituit Leuitici c.* 12. *quod vero* Hippocrates *docuit illud est, quod est proditam ab Auicenna* 21. 3. *tr.* 2. *c.* 33. *quodque veluti compendium est eorum, quæ de partu ab* Hippocrate *tradita sunt, de quibus ante dictum est.* Partus, *inquit, Auicenna non extenditur in masculis vltra triginta, & in feminis vltra quadraginta dies, & plus parum. & accidunt fœtis ægritudines plurimę, sicut fluxus, & retentio sanguinis, quare perducit fluxus sanguinis ad casum virtutis, & perducit retentio menstruorum ad*

Purgationis à partu tempus.

Auicenæ locus perpenditur.

febres

febres prauas, & apostemata, & multoties accidit „
exitura in partu difficili: & quandoque accidit eis in- „
flatio ventris, & fortasse moriuntur, & sanguis qui- „
dem partus vehementioris est nigredinis, quam san- „
guis menstruorum, & quoniam est retentionis longioris „
spacij. Hæc *Auicenna, cuius sententiam nec Aponen. diff.*
dicta 106. *nec* I*acobus de partibus recte accepit; pu-*
tant enim, sermonem hunc esse de tempore partum præ-
gresso, in quo paritura percipit aliquas affectiones, quæ
sint futuri partus indices: sed ea vana est interpretatio,
quam nec rationibus, nec auctoritatibus probarunt. Ve
rum loquitur Auicenna de tempore, quod sequitur par-
tum, & posterior I*nterpres pro eo, quod vetus interpræ-*
tatio habet, P*artus non extenditur, habet, enixatio,*
siue enixæ tempus non extenditur &c. & est tem-
pus puerperæ purgationi destinatum, de quo modo ex
Hippocrate *loquebamur. & cum dixit vltra quadra-*
ginta dies, subiunxit ea, & plus parum, ob duos dies,
quos H*ippocrates vltra quadraginta memorauit, in*
quo interpretes Auicennæ cęcutiuisse, iam constat. Il-
lud recte Aponensis loco antedicto scripsit, T*empus au-*
tem purgationis femellæ quadraginta ponitur diebus, „
de generatione embrionis &c. scilicet hic est locus Hip- „
pocrat. in libro de natura pueri, de quo ante dictum est.

Aponen. & Iacobus de partibus notantur.

Q*uod vero adiecit Aponen. ex Leuitico, Mosen ve-*
tuisse, puerperas tamquam immundas ingredi in San-
ctuarium, nisi post diem octogesimum in partu feminæ,
& post quadragesimum in masculo, hoc videtur qua-
dam

Locus Mosis.

dam egere correctione, nam Leuitici c. 12. *fit mentio in partu masculino dierum triginta trium, & feminino dierum sexaginta sex, & licet fiat mentio dierum septem purgationis in maribus, & quatuordecim in feminis ex quibus cum triginta fiunt quadraginta, & cum sexaginta sex fiunt octoginta, tamen non constat, Mosen voluisse, dictos septem in mare seorsim accipiendos à triginta tribus, & quatuordecim in femina similiter seorsim accipiendos à sexaginta sex, vt ex his fiant octoginta, ex illis autem fiant quadraginta, hoc inquam non constat: cum septem possint cum ipsis triginta tribus tãquãpars quędã totius eius numeri, & quatuordecim cum sexaginta sex similiterconnumerari, Sed hoc obiter.*

Purgatio sane à partu in maribus est dierum triginta, & in feminis duorum & quadraginta, quod in vtroq; tempus est longissimum: hocq; de partu naturali accipiendum est. alias vbi aliquid partui contingit præter naturam, vt potest purgatio ante debitum tempus cessare, ita potest vlterius produci, atque adeo incertum est tempus ex partu moriendi, nam potest mulier in partu tam maris, quam feminæ intra vigesimum diem à partu interire, vt dictum est lib. 1. epid. sect. 3. de Philini vxore, quæ in ipsa vicesima mortua est, & de vxore Dromeadis, quæ sexta die interijt, & lib. 3. sect. 2. de ea, quæ decumbebat in Mendacium foro, quæ perijt die decima quarta. potest quoq; puerperæ ęgritudo extendi vltra dies dictos triginta in maribus, & quadraginta in feminis: etenim idem Hippocrates *lib.*

Incertum tẽpus moriendi ex partu.

1. *Epidem.*

1.Epidem. sect. 3. ægrum 5. Epicratis uxorem, cum postridie à partu febre correpta esset, dicit, perfecte iudicatam, hoc est liberatam die octogesima, & lib. 3 sect. 3. aic in Thaso decumbentem apud frigidam, cum à partu purgatio facta non esset, & febris acuta corripuisset, mortuam die octogesima (vtraque femellam pepererat) itaque ægritudinem ex partu perductam docuit ad diem vsq; octogesimum. Sed non est hic status, & immutabilis in huiusmodi ægritudinibus temporis terminus, nam potest multo longior fieri progressio pro ægritudinis natura: neque enim à partu morbi fiunt dumtaxat acuti, sed fiunt multi quoque diuturni, qui ad multos menses producuntur; quamobrem intelligimus terminum dierum triginta, vel quadraginta, non esse, vltra quem ex partus caussa mulier non moriatur, sed vltra quem morbus non fiat, qui sit partui imputandus. nam caussa partus dumtaxat oriri morbum existimamus, cum intra tempus oritur, quo purgutiones à partu prodire solent, vt dictum est, habita marium & feminarum ratione. intra id vero tempus quacumque die mulier ægrotarit, partus caußa, vel occasione incidisse in ęgritudinem dicenda est, (etsi constaret caussam aliam quamcumque ad partum accessisse) Hippocrates enim aliquando sctipsit, ipso die partus ortam eße ægritudinem vt lib. 3. Epid. sect. 2. ægro 12. vt etiam die abortus dixerat in ægro 10. aliquando vero postridie à partu, vt lib. 1. Epidem. ægro 5. & 11. aliquando tertio die, vt in eodem 3. Epidem. sect. 3. ægro 2. aliquando

Tẽpus, quo morbus nascitur ex partu.

do die quartodecimo, vt lib. 1. Epidem. *sect. 3 ægro 4.*

Hippocrat. partũ, abortum, & grauiditatem, tãquã caussas morborum quasdam recenset.

Nec dubitandum eas mulieres partus caussa, vel occasione ægritudine correptas: quoniam Hippocrates non alia de caussa partum memorauit, quam vt caussam indicaret ægritudinis, vt cum abortum memorat lib. eod. 3. sect. 2. ægro 10. *&* 11. *& grauiditatem vt lib.* 1. *sect. 3. ęgro* 13. *Sic enim solet, caussas ægritudinum afferre, vt patet ex alijs narrationibus, ac præsertim in mulieribus, quæ vel citra partum, & abortum, & citra grauiditatem ęgrotarunt. sic enim ad finem lib. 1.* Epid. *in Melidia paucitatem mensium accusauit, & in* 3. *lib. sect. 3. in Thaso mulierem dixit ex mœrore cum occasione ægrotasse, & ex simili caussa Dealcis vxorem, & in 7. lib. Cleomenis vxorem ex lassitudine, & Pausaniæ filiam ex fungi esu ęgrotasse narrauit. Sed & in alijs multis caussas ægritudinum recensuit, vt lassitudinem, potationem, exercitationem intempestiuam, calefactionem, victum prauum, cursum, venerem, quibus manifestum fit, abortum quoque partum, & grauiditatem, tamquam caussas ægritudinum narratas esse. Nec dubitandum quia non dixerit ex grauiditate, vel abortu, aut partu morbos exortos, vt dixit, ex lassitudine, ex potatione, & similia, nam satis superque notum existimabat, hasce caussas esse morborum: immo cum in hisce narrationibus memorato partu, aut abortu, aut grauiditate caussam aliam numquam exposuerit, eo indicauit, his se caussis acquieuisse.*

Itaque

Itaque concludendum est, non solum eas, quæ moriuntur in ipso partus articulo, partus caußa interire, sed illas etiam, quæ post partum moriuntur; etiam post diem tricesimum, & quadragesimum, dum morbus oriatur ante diem tricesimum, si masculus ortus est, vel ante diem quadragesimum, si nata femina est.

Quæ dicantur partus caußa interire.

Neque mortis tempus est obseruandum, & æstimandum, sed ægritudinis principium, cum enim (vt ante dixi) morborum alij breues, alij diuturni sint, omne genus occasione partus nasci potest; cumq; in vtroque genere letales morbi sint, & idcirco partus occasione diuturnus, idemque letalis morbus nasci possit, ergo potest mulier occasione partus diu ægrotare, & perire post dies, non solum quadraginta & octoginta, verum etiam post plures menses. Sed vt intelligatur partus caußa perierit necne, initium est ægritudinis obseruandum, & his non est dissimilis ratio abortus. itaque Hippocrates lib. 1. de morb. mul. inquit, Transmutationes, ,, & fines eosdem morbus habet, siue ex fætus corruptio- ,, ne, siue ex partu vteri vlcerati fuerint. De grauiditate minus dubitari potest, nam tempus eius statutum est, nec potest mulier effugere, quin pariat, vel abortum faciat, nisi pereat ante partum, vel abortum. atque tunc non est obscurum perierit nec ne in grauiditate.

Non tempus mortis, sed ægritudinis principium obseruandum.

Abortus similis partui.

Quæres fortasse, vtrum quæuis ęgritudo superueniens mulieri vterum gestanti; quamobrem mulier ea moriatur; imputanda sit grauiditati. cui quæstioni ex Hippocratis auctoritate respondendum est, qui Apho-

Aegritudo quæuis superueniens grauidis imputāda grauiditati.

„ *rism. lib. 5. aph. 30. inquit, Mulierem vtero geren-*
„ *tem morbo corripi acuto, letale. At nonne morbus omnis acutus letalis est? hoc sane* Hipp. *docuit lib. 1. acut. t. 8. cur ergo notat in grauida letalem esse morbum acutum? sane superflua videtur admonitio, nisi indicare voluit, grauiditatem grauius periculum efficere, quamobrem, quæ alias potuisset euadere, eo nomine quod grauida est, perniciosore morbo correpta, in grauiore discrimine versetur, quamobrem mortem grauiditati imputandam* Hippocrates *voluit. vtque non refert, morbum eundem acutum, posse extra grauiditatem interficere; etenim vult nihilominus* Hippocrates *grauiditatem caussam esse; ita non refert, vtero gerentem incidere in morbum, non quia prægnans sit, sed ex alia caussa manifesta, vt ex saltatione, ex intemperantia, & alijs quibuscumque, nam ostensum est, nullam mulierem ex grauiditate, quæ secundum naturam est, perire, sed accedente casu aliquo prçter naturam, à caussa interna, vel externa, quapropter cum mulier grauida, morbo correpta ex quacumque caussa periclitatur, grauiditati periculum & mors (si sequatur) imputanda est. & grauiditatis exceptioni locus dandus.*

Vtrum oriri morbus ex grauiditate possit intra diem 23. & concepisse muliere dicto tempore cognosci.

Sed fuit olim proposita quæstio, vtrum diem intra vigesimum à primo concubitu mulier incidere in morbum possit, qui sit grauiditati imputandus: quamobrem. si vel intra hos dies moriatur, locum habeat exceptio dicta, quia prægnans defuncta sit. Inde autem oritur dubitatio, quod nec tam paucis diebus intelligi possit, mu-

lierem

lierem concepisse, & utero gerere, nec Galenus visus sit voluisse, morbos ex grauiditate intra dictos dies oriri, cum cittam vocatam, prægnantibus familiarem, docuerit, non nisi secundo, aut tertio mense fieri lib. I. *de sympt. caus. c. 7. Verum, intra tempus propositum, & fieri morbos, & grauiditatem dignosci nihil est, quod probibeat, & debeat dissuadere. Morbis orituris tempus nullum prefinitum est, & quocumque tempore morborum cause presto sint, morbi nascuntur, si corpus ad egrotandum paratum sit. Si ergo grauiditas (vt ante dictum est) morborum, pro corporis constitutione, caussa est, poterit mulier grauida quandocumque morbum concipere. Quod si Galenum putes docuisse, primo mense grauiditatis Cittam non fieri: tamen non est aliarum par ægritudinum ratio. Sed nec Cittam Galenus negauit primo mense fieri. quinimmo, posse fieri, ex eiusdem verbis accipimus, nam loco dicto inquit, Sic afficiuntur plereque vsque ad secundnm, & tertium mensem, in quarto vero desinunt. quæ verba clare significant terminum, vltra quem Citta non fiat, sed non vnde incipiat. relinquunt tamen, vt intelligamus posse oriri primo mense, & ad quartum perduci, legitur enim* ἄχρι τοῦ δευτέρου, καὶ τρίτου μηνὸς, *at prepositio* ἄχρι *significat terminum ad quem, non à quo (vt dici solet) cuius termini, à quo, Galenus mentionem non fecit, vt rei note, & receptæ: namque cum primum mulier concepit, eo potest morbo aliquo corripi, nec minus Citta. cumque hic Galenus subiungat, se locutum de tempore, quo fætus*

Morborum ortui nullũ tempus prę finitum.

Cittam fieri primo etiã mense.

fœtus conceptus dicitur græce κύημα, non autem ἔμβρυον, nostram interpretætionem confirmat, nam Aristoteles lib. 7. de hist. animal. c. 3. docuit, ἔμβρυον dici fœtum dierum quadraginta, κύημα vero tum hunc, tum iuniorem. ergo non excluditur primus mensis, sed potest illo mulier tum alias, tum Citta ægrotare. Quod potest quoque sumi ex Galeni eiusdem ad 5. aph. 61. vbi ait, fastidia nasci in grauidis eadem, qua pica ratione: sed fastidia oriuntur primis diebus ergo,& citta potest, quia ab eisdem caussis oritur. Sed accedat *Aristotelis testimium ex eiusd. lib. 7. de hist. an. c. 4. diserte tradentis, grauidis mulieribus accidere corporis totius grauitatem, oculorum caliginem, capitis dolores, his quidem die decimo, his autem tardius, vt magis, minusue à materia superuacanea tentantur. Sed, hoc, demum,* Hippocratis *fuiße consilium, licet inde accipere, quod morbos prægnantium plerumque describit absque temporis definitione, & quamuis multi sint, qui nonnisi fætu adulto fieri possunt, tamen non desunt, qui fieri omni tempore possunt.*

Cōceptum primis diebus coguosci posse.

Quod vero cognosci possit intra diem vicesimum tertium, mulierem concepisse, & vtero gerere, non est difficile ex veterum documentis cognoscere, Hipp. *primum 5. aph. 62. inquit,*
„ *Si mulieri cessent purgationes*
„ *neque febris, neque rigor superueniat, & fastidia inci-*
„ *dant, iudica ipsam in ventre habere. Cum autem hæc dixerit, potest sepe contingere, vt mulier concipiat, cui menses, cum paucis ab ipso conceptu diebus accedere debuissent,*

buissent, non accesserint. itaque accedentibus ad mensium defectum fastidijs, intelligitur in vtero habere, licet intra diem à conceptu vicesimum. quibus addi quoque potest, experimentum aquæ mulsæ, de quo 5. aph. 41. & lib. de sterilib. insuper Hipp. monuit lib. de genitura, & de sterilibus, & Arist. lib. 7. de hist. an. c. 3. obseruandum, vtrum, cum vir semen emiserit, sicca vulua remaneat: in qua re obseruãda licet Hippocrates desideret mulierem partus peritam, tamen declarauit & partus expertem posse hoc idem cognoscere: ait enim, hoc ab alijs mulieribus percipi posse, vt fecit cantrix illa, de qua idem Hipp. lib. de natura pueri. demum grauitas corporis, oculorum caligo, capitis dolores dicti superius ex Arist. docent posse conceptum primis ipsis decem diebus cognosci, nedum ante vicesimum tertium, vt proponitur. Sed ex dictis apparet, posse intra idem tempus mulierem ægrotare, & interire: modo simus memores, grauiditatem nõ esse per se caussam ægritudinum & mortis, sed ob adiunctos morbos, qui tamen in grauidis periculosiores sunt, vt ante dicebatur. Sumendumque est, & inter conceptus diem, & morbi exortum, spatium, & tempus interponi, quo indicia conceptus appareant; quod intra decem primos dies fieri potest, vt dictum est: alias si concipiat simul & ægrotet, minime iudicare hoc signo valemus, eam vtero gerere.

Si quæratur similiter de abortu, & de partu, scilicet vtrum quæuis ægritudo superueniens puerperę intra dies triginta in fætu masculo, & quadraginta duos in

femel-

Aegritudo quæuis puerperæ adueniens partui imputanda.

femella; ex qua ægritudine moriatur; sit partui imputanda, necne: respondebo, partum prorsus accusandũ: hoc enim Hippocrates indicauit, cum in libris Epidemicis *de mulieribus, quę à partu ægrotarunt, satis habuerit dicere, peperisse, nec magnam aliarum videatur caussarum rationem habuisse. vti quoq; cum de grauidis verba fecit: nam lib. 1. Epidem. sect. 3. ægro 4.* Philini *dixit vxorem peperiße filiam, & purgatione facta ex præscripto naturæ, cæterisq; recte habentibus, decimo & quarto à partu die correptam igne (idest febre vt Gal. interpretatur, ardentissima) cum rigore; sed eius rei nullam, præter partum, attulit caussam, quam, si aderat, & æstimabatur, prætermittere non debuisset: dixit quidem purgationem cessasse, sed ita vt videri possit, febrem ortam prius, purgationis vero suppressionem secutam potius, vt symptoma, quam prægressam esse vt caussam. Licet enim Galenus interpretatus sit, huic mulieri ex retenta à partu purgatione morbum & mortem contigisse; tamen hoc Hippocratis verba non significant: quod ex duobus accipitur, primumque hoc est, dixit, febrem aduenisse, cum esset purgata secundum naturam* κατὰ φύσιν καθάρσιος γινομένης. Ergo *non ex retenta purgatione febris orta. Nec dicendum purgationis nomine secundinæ vocatæ eiectionem acceptam: quia hæc interpretatio non est alijs Hippocratis locis consentanea, in quibus, agendo de mulieribus, reperitur hoc vsus vocabulo purgatio* κάθαρσις, *pro sanguinis euacuatione; sic 5. Aphorism. 61. si vtero gerenti purgationes eant;*

Examen historiæ li. 1. Epid. sect. 3. ægro 4.

eant, καθάρσιες παρέσονται, & 62. si non eant purgationes. ἢν μὴ πορέυονται καθάρσιες, quæ ad secundas referri non valent. Itaque hoc etiam loco purgationem intelligimus sanguinis à partu; quam necesse est perseuerasse vsque ad diem decimumquartum; quod aliquis acciperet ex ipsius vi dictionis καθάρσιως γινομένης; quod præsentis est temporis participium, perinde atque dixisset, dum purgatio fieret, itaque vt seruatum est tempus præsens in illis, leuiter agentem, κούφως διάγουσαν, nam & hoc est præsentis temporis participium; sic in hoc γινομένης debuisset seruari; quo intelligitur, purgationem mansisse vsque ad diem decimumquartum, namque ait Hippocrates, eo die febrem exortam, dum purgatio fieret, & alias bene haberet; sed vim dictionis huius non tanti facio; nam Græcorum non me latet in vsu temporum licentia; & in eadem oratione τικούσαν, quod est præsentis temporis verterunt in præteritum, & recte, idest cum peperisset; Sed me res mouet ipsa: nam si purgatio secundum naturam processit, & alias leuiter habuit; hoc vsq; ad diem, quo cæpit ægrotare, perseuerasse oportuit: nam si ante illud tempus desijsset, dici non potuisset, factam secundum naturam esse: neque contemnendum, si quis hoc confirmet eo, quod dictum est, apposito pharmaco, idest pessario vocato, ταῦτα ἐκουφίσθη, secundum hæc leuata est, hoc est dolores vteri (quos ait die decimoquarto exortos) sublati, purgatione (quam indicat eodem tempore cohibitam) reuocata; cum reliqua remanserint; & mulier defuncta sit. argumento autem

est, febrem à retenta purgatione ortam non esse, quia reuocata purgatio nihil opis aduersus febrem attulerit. Cum ergo dicitur, huic mulieri, febrem à suppressa purgatione ortam esse, interpretatio est verbis Hippocratis minime congrua. Accedit & alterum: Nam Hip-*pocrates inquit, decimo & quarto die ignis inuasit cum rigore. huic cor primum dolebat, & hypocondrium dextrum, muliebrium dolores, purgatio desita est, quibus verbis non temere, & absque ordine res enarrauit, nec crediderim illud aduerbium, primum, sine caussa appositum: sed importune appositum esset, nisi cætera ordine narrare constituisset, eoque accipiendum, purgationem postremo loco narratam pro caußa non receptam ab Hippocrate, nam caussa vt præcedit, ita priore loco afferri debuisset, nisi quis narrata illa quatuor symptomata, eodem tempore putet exorta: & illud, primum (græce tamen significantius, ἀρχομένης cum inciperet, scilicet febrire) dolorem cordis comprehendere, & præcordij dextri, & muliebrium, & purgationis defectum; tamen cuncta hæc febre posteriora euenisse, dictio illa demonstrat: eoque efficitur, partum, licet naturalem, ægritudinis caussam fuisse, non qua naturalis fuit, sed qua nonnihil præter naturam latuisse neceße est; vt dictum sit ab* Hippocrate *secundum naturam purgatione facta & alias leuiter degentem, quia quod latebat, nondum apparuerat, à quo febris oriri potuit die decimoquarto, quam secuta sunt quatuor enarrata symptomata: quapropter, si suppressio purgationis febrem induxit, hoc*

tamen

tamen debuit partui adſcribi, quia purgatio in fœmina exortu ſecundum naturam ad diem quadrageſimum perducitur, licet poſſit etiam ſine periculo ad diem vigeſimum quintum deſinere. Cum autem huic mulieri die ceſſauerit decimoquarto, hoc ſine periculo fieri non potuit. Sed non hoc agitur, idque ſolum admonemur, quod Hippocrates, *cum partum memorat, alio cauſſę genere prætermiſſo, partum ipſum pro cauſſa accipi, voluerit: non tamen qua naturalis eſt, licet multis diebus naturalis videatur; quod eſt dignum animaduerſione: nam in alia eiuſdem libri narratione, dixit,* Epicratis *vxorem biduo ante partum riguiſſe vehementer ſine calore, tertio die peperiſſe femellam, & reliqua omnia eueniſſe pro ratione,* καὶ τ' ἄλλα πάντα κατὰ λόγον ἦλθε, *ſi ergo alia omnia ſecundum rationem, ergo non ſolum ſecundarum eiectionem (quod aliqui dixerunt) ſed & purgationem à partu factum oportuit ſecundum rationem: tamen productus eſt morbus vſque ad diem octogeſimum. Ergo morbi cauſſa grauiditas & partus, cum lateret aliquid, quamobrem & rigor ante partum acceſſit; etſi naturalem fuiſſe partum ſignificauit. quibus ſimilia leguntur eodem libro de* Dromeadis *vxore, quę non quidem riguit ante partum, ſed femellam peperit, & alia omnia facta ſunt ſecundum rationem, vt in priore. Verum hæc breui mortua eſt, nec aliam ob cauſſam, niſi quia partus non erat naturalis, vt videbatur, & latebat anguis in herba, quod euentus docuit.* Nec *Valleſius perſuadeat, facta omnia ſecundum rationem quia*

secundinæ eiectæ, etenim secundinarum eiectio: non sunt omnia, sed & purgationem secundum rationem à partu factam, verba illa, & alia omnia; comprehendunt. nec item persuadeat morbum huic accidisse, ob purgationem suppressam intempestiue, nam si primo die partus omnia secundum rationem euenere, ergo & purgatio. cumque die altera febris orta sit, non ergo à suppressa expurgatione, ergo à partu, qui non erat, vt videbatur, naturalis, cum intus laterent, & quiescerent morbi semina, quę non eodem semper tempore germina emittunt. Dicemus quidem à suppressa post partum purgatione, in Thaso ægrotasse mulierem, de qua lib. 3. Epid. *sect. 3. ægro 2. cum speciatim scriptum sit à partu illam febre correptam, cum purgatio facta non esset,* καθάρσιος μὴ γνομένης, *quod etiam dicendum de illa, quę libro eodem inferius dicta est in Cyzico gemellos cum difficultate peperisse nec valde purgatam esse,* ὀυπάνυ καθαρθείσης, *quod & libro 2. sect. 2. totidem verbis proditum est.* In *his ergo* Hipp. *satis habuit pro caussa ægritudinis partum memorasse vt lib. eiusdem 3. sect. 2. ægro 10. & 11. abortum recensuit (quo ambæ illæ mulieres defunctæ sunt) omni omissa aliarum caussarum mentione. alias tam de viris, quam de mulieribus agendo, caussas attulit nominatim varias, quarum antea mentio facta est. Itaque grauiditatem & partum satis idoneas caussas (etsi morbus alias caussas habuisset) & periculi & mortis existimabat, vt ante notatum est. Sed reprehendet hanc (video) sententiam,*

tiam, qui hęc legerit apud Aponensem Conc. *diff.* 106.

Si febrem post partum contingat fieri naturalem ex „ *malitia regiminis, & vniuersaliter à quacunque cau-* „ *sa manifesta, nullo modo computandum à partu, sed à* „ *febre solum, cum in nullo dependeat ab eodem, si pauci* „ *etiam inter partum & febrem intercedant dies. hæc ibi.* „ *quibus verbis significatur aperte, si morbus mulierem post partum naturalem corripiat ob caussam manifestam, illam partui non debere imputari. Verum quod Aponen. ait, dies ęgritudinis post partum naturalem exortæ à die primo ægritudinis, non autem partus supputari debere, hoc sane dictum est ex Hippocratis sententia, qui morbi cuiusque dies (etiam post partum præter naturam) à primo die morbi, non à die partus, nisi ex accidenti, vt suo loco explicatum est, numerabat. quod vero ait, si morbus oritur post partum naturalem ex caussa manifesta, nullo modo à partu pendere, hoc neque est de sententia Hippocratis dictum, neque alias demonstratum: contra vero superius demonstratum est morbos eosdem grauiditati, aut partui accedentes longe esse, quam cum alias fiunt, periculosiores: itaque contra Hippocratis sententiam, falsoque dictum est, eos in nullo à partu pendere. Ergo quacumque prægnante, vel* Conclusio. *abortiente, aut post abortum, aut pariente, vel post partum defuncta, dum intra dictos dies triginta in maribus, vel duos & quadraginta in fæminis, vel si in ipso die trigesimo, aut quadragesimo secundo morbus oriatur (quibus exactis diebus iam non dicitur partus*

caussa

caussa morbus oriri) exceptio locum habebit.

Sed quæri potest, si mulier ex quacumque caußa vtero laboraret (quisquis ille morbus sit) atque interim conciperet, & grauida, vel abortu facto, vel à partu moreretur, cui mors huius tribui deberet? num labori primo, ita vt exceptio locum non habeat? nequaquam: si namqne cum illo labore ita vixit, vt concipere potuerit, dubio procul absque conceptu viuere diutius potuisset, ergo mors ea tribuetur grauiditati, aut abortui, aut partui, & exceptio locum habebit.

Quæri quoque potest, si mulier vtero ex quacumque caussa laboret, interimque concipiat, & post abortum, aut partum intra tempus dierum triginta, aut duorum & quadraginta ægrotaret, & sanaretur vel intra, vel vltra eosdem dies, atque manente eodem vteri labore aliquot diebus, quotcumque vltra præfatnm numerum eodem iterum morbi genere capiatur & pereat, erit ne mors partui, vel abortui tribuenda, quoniam recidiua sit, quæ naturam refert prioris morbi & in eiusdem morbi caussas refertur? nequaquam: quoniam vbi sanata semel est post partum, vel abortum, iam est illi statui, in quo fuit ante conceptum, restituta: quo tempore si ex vteri labore perijsset, nulla exceptionis ratio habenda fuisset, cum neque grauida esset, neque abortum fecisset, neque peperisset. Similiter igitur eadem prætereunda exceptic est, cum post recuperatam valetudinem iterum ægrotat, sed extra tempus puerperarum purgationi assignatum. Neque dicenda est re-

cidiua

cidiua simpliciter, quæ in partum, vel abortum referenda sit, quia dictum extra tempus iam nulla vis est, & ratio habenda est nulla partus, vel abortus: cumque sumatur, illam sanitati pristinæ restitutam, necesse est, vitium illud vetus vteri à noua caussa externa vel interna, vt contingit sæpe sine conceptu, irritatum esse.

Sed quæsitum est illud quoque, si vterus, antea bene & secundum naturam constitutus, dum grauida mulier est, vitium contrahat, aut post abortum, vel partum; ęgrotetque mulier intra purgationis tempus, si interim occidat, mors ea partui, aut grauiditati tribui debet, vt dictum est; sed sana hęc euadat quandocumque: Si vltra purgationis tempus denuo eodem morbo capiatur, & noua caussa nulla accesserit, erit ne secundus hic morbus grauiditati imputandus, aut partui, adeo vt exceptioni sit locus? omnino, si constet nouam caussam nullam aduenisse, quoniam recidiua est, cuius eadem est, & prioris morbi natura, atque cessauerit licet caussa remotior, grauiditas, vel abortus, vel partus, propinqua tamen eadem manet, vteri scilicet vitium à remotioribus illis caussis exortum, inquod sequens morbus referendus est. Verum esse hanc recidiuam, & nullam aduenisse caussam internam saltem (si fortaße de externa essemus certi) hoc est ad probandum, & demonstrandam difficillimum. Nec similis casus est ei, de quo dictum est ante, si morbo capiatur mulier grauida, vel à partu, aut abortu, accesserit licet alia euideus caussa, & intereat; mortem esse grauidi-

tati,


tati, aut partui imputandam. non est res ea, inquam, similis: nam in hac extat nota caussa ægritudinis grauiditas, aut partus, aut abortus, sed in re proposita nihil est quod doceat esse recidiuam, & vteri vitium semper perseuerasse, a quo vt prior, ita posterior morbus exortus dici possit: nam etsi potuit perseuerare, & interim non esse molestus (vt est in omnibus rebus vicissitudo quædam laboris, & quietis) non est tamen necessarium, & perseuerasse vitium illud, & ex eo morbum letalem ortum esse, hoc est ex ijs, quæ nequeunt probari, & demonstrari, propterea que in hoc casu locum exceptio non habebit.

F I N I S.



MARSILII CAGNATI DE LIGNO SANCTO

PRIMA DISPVTATIO.





ON est, quod aliquis miretur amplius, incredibilem opinionum varietatem in plantarum generibus diuersarum recognoscendis: etenim non illæ sunt dumtaxat huius diuersitatis caussę, rerum genere differentium similitudo, nominum confusa varietas, linguarum diuersitas, auctorum in ijs describendis negligentia, & aliquorum (dicere liceat) imperitia: Sed prętera ambitio, animi contumacia, lucri cupiditas, & insitum quorundam studium contradicendi, & nouas, licet absurdas, opiniones suscitandi. Quod experti nuper sumus, dum ageretur de ligni cuiusdam, quod sanctum vocatur, recognitione: cum res iamdiu citra controuersiam probata, & in vsum citra omnem suspicionem recepta, ad disquisitionem per sciolos nonnullos, rerum cupidos no-

uarum, reuocata esset. De qua re, postquam in publico congreßu diuersorum opiniones exploratæ sunt, & auditæ, necessarium quoque visum est (quod facile quiuis confiteretur) ea litteris tradere, quæ veritatem patefecerent, atque illustrarent.

Dubitatum est igitur de huius ligni tum genere, tum salubri facultate: propterea quod lignum sanctum verum non videatur: Sed (vt quibusdam persuasum est) nouum sit ligni genus, nunc primum Romam *delatum, & illud syluestre, ac fabrorum potius opificijs, quam medicinę idoneum. quod minus pingue sit, vt pote ex quo oleum extrahatur minore copia, quam ex ligno ipso sancto. quod ei cortex non adhæreat vehementer, sed facile decidat. quod rimis nonnullis dehiscat. quod ex nauigatione vitium aliquod contraxerit. quod ex eo decoctum (vt vocant) conficitur acrius multo, quam ex alio quodam genere, quod solum vere lignum sanctum, & guaiacum à nonnullis creditur. quod demum obseruatum sit illis, qui huius decocto vsi sunt, nocuisse. Verum, vt intelligatur, quale sit hoc ligni genus, de ligni sancti nominibus, & differentijs necesse est nonnulla ex auctoribus repetere. Atque illud inprimis ex* Fallopio, *qui libro de morbo gallico cap.* Nominum confusio.
„ *39. inquit, habemus igitur guaiacum, & lignum san-*
„ *ctum, quamuis in consultationibus sumamus has arbores indifferenter: quibus verbis significauit, illud, quod vere guaiacum est, ex descriptione* Consalui Ferdinandi, *vocari consueuisse lignum sanctum.* Quæ *fuit*

no-

nominum confusio Brasauodi quoque tempestate, qui libro de morbo gallico, differens de guaiaco, inquit, vocatur & lignum sanctum, & palum sanctum, & lignum crucis. hæc ille. Cumque iam diu proditum sit, lignum, quod ex insula Sancti Dominici ferebatur, dictum esse guaiacum, & quod ex insula Sancti Ioannis dictum esse lignum sanctum, tamen Alphonsus Ferrus scribens de morbo gallico, & ligno sancto, duo hæc, & tertium, quod ex insula sanctæ crucis vehebatur, vocauit promiscue lignum sanctum. itaque de nomine certandum non est, statuendumq; ligni sancti nomine guaiacum etiam significari.

Sunt igitur duo iam ligni genera, hoc nomine alterum, cuius fuit Romæ postremis hisce temporibus vsus admodum vulgaris, & frequens, meditulliumq; habet nigrum quidem, aut nigrescens ex rufo, sed orbe non magno, nam lato valde circundatur albente circulo (vocamus autem nigrum, licet aliquando color videatur medius nigrum inter & rubrum, & leonatum appellant) alterum vero, cuius non fuit his eisdem temporibus frequens adeo, & vulgaris vsus; cuius nigrescens meditullium tantum est, vt albens circulus vix æquet digiti crassitudinem. estque in hoc genere varietas aliqua, nam alterum habet medullam altero nigriorem. Sed est genus tertium ab his diuersum, quod nigri quidem habet plurimum, sed partem albam distinctam habet nigris intercurrentibus latis maculis, fere quadrangularibus, quibus externus ille circulus Ligni sancti differentia.

ex albo, & nigro distinctus, coronæ cuiusdam speciem exhibet, cuius decoctum amarum quidem, sed absque acritudine percipitur. videtur denique genus quartum esse, quod rufum est fere vniuersum, cortice excepto, quodque in eius medio nigri aliquid apparet. cuius decoctum est sine acrimonia modice amarum, de quo Brasauola locutus est, vt paullo post visuri sumus.

Sed neque de hoc, neque de tertio genere controuersia erat, deque neutro locuti sunt, qui secus opinantur. Sed quæsitum est de secundo genere, ac primo. Vtrum sit vnum ligni genus, an duo, quorum alterum sit lignum sanctum, alterum minime: hoc igitur explicandum est, quo etiam vtrum sit præstantius, & efficacius intelligatur.

Lignũ propositũ vtrũ sit lignum sanctum.

Constat igitur primum, neutrum horum esse genus illud tertium, quod Fallopius negabat reperiri eius tempestate, quoniam illud erat sine vlla nigredine, & substantia constabat tota, vt ille inquit, flaua. cuius tamen generis aliquid Romæ videmus à pharmacopolis exponi, cuius aliud pene nihil habet nigri, aliud minimum. quod non est positum in controuersia. Nec *est hoc, de quo disseritur, quartum illud à Brasauola descriptum, cuius meditullium fere totum erat rubrum, de quo nihil aliud docere potuit, nisi id, quod pharmacopola quidam Venetijs dicebat, lignum esse* Indicum, *& saluberrimum, cum alioqui Brasauolus eo numquam se vsum professus sit. nisi decepti sint, quod pro diuerso genere*

nere

nere acceperint, illud, cuius meditullium interdum, (vt dictum est) ex nigro vergit ad rubrum, cum vnum sit, atque adeo quartum hoc esset alterum ex dictis: quod est valde probabile, cum facile sit in re noua, & paucis bene cognita, labi, & decipi.

Sed neq; sunt duo illa ligna ex vna & eadem arbore, vt alias quidam existimarunt, qui sibi persuaserunt, nigriora ligna ex trunco cæsa, minus nigra ex ramis: Non ita res habet; nam, si non conniuentibus oculis rem exploremus, facies eadem in maioribus lignis, atque in minoribus apparet, cuius scilicet arboris truncus habet exiguam nigredinem, eiusdem & rami habent exiguam, & cuius truncus amplam habet nigredinem, eiusdem, & rami amplam habere reperiuntur: ergo non est arbor vna, sed duas esse necessarium est.

Si queratur, ex his vtrum sit Guaiacum nuncupandum, dicam, vel vtrumque, vel id, quod orbem internum nigrum habet amplissimum, & albente angusto circulo vestitur: namque huic illa congruunt adamussim, quæ de Guaiaco auctores, huius rei studiosi, iamdiu antea prodiderunt. vtrumque Guaiacum dici posse, Manardi Ferrariensis auctoritate comprobari potest, qui, in epistola ad Cracouiensem Episcopum, vtrumque descripsit: cumque tertium dicat vocari proprie lignum Sanctum, & primum vocet guaiacum; de secundi nomine nihil dicat; si tertium proprie lignum sanctum dicitur, reliquum est, vt secundum quoque Guaiacum dicatur. Quod si cui hæc argumentatio mi- Nomen Guiacum cui conueniat.

nus

nus arrideat, saltem Manardus docuit; primum genus, cuius pars interior nigra magna est, exterior autem alba modica, Guaiacum esse, atque adeo lignum hoc, cuius est vsus Romæ minus hodie frequens, ipsissimum Guaiacum esse, intelligitur. quodque descriptum est à Monarde *Hispalensi medico (cui multum hac præsertim in re tribuendum est) hoc ipsum est, aut nullum, cum dicat, Guaiacum habere matricem magnam, & nigricantem: cum alterum, cuius est vsus hodie frequentior, matricem, vocatam, nigricantem habeat exiguam: quod tamen non negauerim esse ex Guaiaci genere, sed equidem dixerim, esse aliud ab eo, quod est à Monarde descriptum, ad cuius manus, par est, tantum illud peruenisse, quod ipse descripsit, qui cum faciat illius quoque mentionem, quod ex insula Sancti* Ioan*nis de portudiuite affertur; quod ait esse priori quidem simile, sed inferius magnitudine, & propemodum sine matrice; hoc non primum est, vt ille ait, nec secundum potest esse: nam secundum quoque matricem habet nigrescentem, & eam satis magnam, etsi minorem ea, quæ in priore ligno est amplissima: & præterea non est arbor priore inferior celsitudine: vidimus enim* Romæ, *atque nunc exstant, crassissima ex eo trunco ligna, quæ excelsam non minus priore arborem hanc esse demonstrant.* Itaque *necesse est, statuere, secundum hoc genus fuiße Monardo incognitum.* Consaluus Ferdinan*dus, qui naturalem* Indiarum *historiam primus scripsit, & primus orbi nostro lignorum huiusmodi figuram ver*

bis

his exhibuit; cum dicat, Guaiacum non ſolum naſci in inſula Sancti Dominici, Sed celebre quoque illud eſſe, magnique æſtimatum, quod ex inſula beata vehebatur, & Indos alios, atque alios, Guaiacum aliud, atque aliud, vt illis videtur, ſeligere, dicatque Guaiacum habere materiam propemodum nigram; nec de amplitudine eius, vel anguſtia, quicquam ſcribat; locum relinquit nobis in relligendi, Guaiaci nonnullam eſſe varieatem, præſertim ex ſoli varietate, quamobrem aliud matricem illam nigram habeat alio vel ampliorem, vel anguſtiorem. itaque relicto tertio ligno; quod in inſula Sancti Ioannis naſcitur, cui peculiariter fuit nomen lignum ſanctum; duo dicimus eſſe Guaiaci genera in Vrbe, illaque in primis mutuo diſſidentia matricis nigreſcentis amplitudine. Quorum illud, quod matricem habet ampliſſimam, non eſt nuper in Vrbem delatum, ſed multos iam ante annos. quod aromatarij teſtantur multi, præſertim ſeniores, & mercatores; & affirmatum eſt (quod maioris ponderis teſtimonium eſt) ab homine Romano, medicoque clariſſimo; qui cum ſumma laude, & admiratione annos fere quinquaginta exercuit in ipſa Vrbe medicinam; Alexandro Petronio, ſcribente de morbo gallico iam ante annos triginta ſex: is enim libri quarti capite primo, caute admodum hæc lignorum genera deſcribens, quæ in Vrbem ad illud vſque tempus delata, teſtatur, primum ait genus vocari Guaiacum, cuius interior pars nigricat, exterior ſub pallida, & veluti lineis quibuſdam ad fuſcum incli-

Lignum de quo agilur non eſt nouũ in Vrbe.

inclinantibus, ac æque distantibus per longum intersecta. alterum vero peculiari nomine carere, cuius pars exterior magis ad album vergit, neque est tam manifestis lineis distincta, interior vero nigrum quidem colorem ostendit, sed minori orbe, quam prius. Ergo *lignum hoc aliorum nigerrimum Roma non iam primum, sed diu ante vidit, & experta est. Sed non Roma solum verum & reliqua* Italia*: namque Manardus Ferrariensis loco ante dicto duo hæc eadem ligni genera describit, quemadmodum & tertium, quod totum est album, vt à* Petronio *quoque dictum est, cuius generis hodie quoque trunci quidam visuntur: idque peculiariter lignum sanctum dicebatur, de quo non agitur. Sed & Brasauolus item Ferrariensis, eadem duo genera cognouit, & testatus est, primum genus proprie Guaiacum vocatum esse, cuius est ampla, nigraq; medulla.*

Error quorundam.

Qui ergo ligni genus hoc opinantur nouum eße, toto aberrant cælo, decepti eo, quod mercatores secundum genus (quod nec nomen habere proprium Petronius *ait) Romam crebrius detulerunt, eiq; adsueti pharmacopolæ quidam, mixtionem magis, quam recognitionem medicamentorum edocti, cum primum degustarunt genus hoc, diuersitatem admirati, & veritatis ignari, lignum sanctum esse negarunt, quasi sanctũ sit alterum, cuius frequentiorem vsum cognouerant; cum tamen neutri nomen hoc à primis auctoribus inditum sit, sed vni tertio generi, de quo non disseritur. inualuit tamen consuetudo, vt omnia promiscue genera lignum*

gnum sanctum vocentur, vt ante dixi.

Quod vero quidam syluestre genus hoc esse dicant, hoc sane (nisi ioco dictum sit) plane ridiculum est. Si quidem traditum à nemine sit, harum arborum genus vllum satu, cultuque, non sponte nasci, nec in syluis prouenire: Hac late colles, campique patentes, Hac omnis „ vestitur ager, inquit noster Fracastorius, quamquam poetarum licentia posterius cecinit, Hanc gens illa co- „ lit, studioque educere multo Nititur: sed qui rerum „ Indicarum historiam prodiderunt, de huius ligni cultura ne verbum quidem. atque Consaluus Ferdinandus testatus est, tanta copia in insula Sancti Dominici prouenire, vt eo intelligatur, sponte nasci, & absque cultu: & idcirco syluestre esse arboris genus: quamobrem vanum sit existimare lignum aliud syluestre sanctum, & aliud satiuum esse. posset dici satiuum, quod translatum in aliud cælum ab Indis remotũ, satuque ortum est, cuius sunt plantæ Romæ nonnullæ, quarum tamen ligna, neque acrimonia, neque amaritudine possunt cum eo, quod ex Indis affertur, comparari. Sed apud Indos genus aliquod esse satiuum, hoc neque Consaluus dixit, neque alius quisquam eiusmodi auctor historiæ. Omne igitur lignum sanctum syluestre. quod si tandem sit aliqua syluestris, & satiui differentia, illud potius syluestre dicendum est, cuius nigrum est angustius meditullium, quoniam ligni eius superficies sæpe inæqualis, & tuberosa reperitur (vt solent illæ esse arbores, quibus cultura nulla adhibetur)

Lignum sanctum omne syluestre.

quam alterius, cuius est amplissimum meditullium, læuisque superficies, & minus inæqualis.

Sunt ergo vere duo Guaiaci genera (vel duæ species, si malis ita dicere) alterum quod medulla nigra constat amplissima, alterum, quod eadem constat angustiore.

Oleum ex Guaiaco.

Nec moueat aliquem, quod Fallopius dicat, oleum è ligno sancto copiosius exprimi, quam ex Guaiaco: *nam loquebatur de tertio genere, cui peculiare nomen fuit lignum sanctum, ex Insula Sancti* Ioannis, *non autem de secundo, cuius vsus fuit his annis Romæ frequentior, vt ante dixi: quamobrem si recuset aliquis appellare primum genus lignum sanctum, cogitur is & secundum pariter genus recusare: alioqui compertum est, oleum ex* Guaiaco *primi generis copia non minore, quam ex altero, educi, & sunt hæc Antonij* Galli *verba,*
" *Guaiacum vnguinosum, vt à quo accenso resina*
" *profluat. palus vero crematus nullam, aut perexiguam*
" *exudat pinguedinem. Sed quid si ex eodem penitus arboris genere lignum aliud plus, aliud minus olei effundat? eoque efficiatur, vt ex ligno sancto proprie dicto alias plus, alias minus olei, quam ex guaiaco extrahatur; quamobrem auctores, nondum satis re; quippe noua, nec de facie satis, neque tam multis experimentis explorata, & cognita; potuerint de re eadem contrarium vere affirmare, atque adeo opus sit ex alijs, non ex olei copia, vel inopia, de* Guaiaci, *& ligni sancti natura, & viribus cognoscere, & iudicare.*

Cortex cur facile decidat.

Nec moueat etiam, quod illi cortex facile decidat,

nec

nec adeo ligno adhæreat, tamquam non illud ſit, quod à Fernelio deſcribitur, à quo laudatum illud eſt, cuius cortex proxime adhæret; namque Monardes Hiſpalen-*ſis ait, cum Guaiacum ſiccatur, corticem facile decidere:* Neque *à Fernelio damnatur lignum, cuius cortex minus adhæret ligno, quaſi non idem ſit genus, ſed ei præfert in eodem genere aliud, cuius cortex adhæret magis: quia ſignum hoc eſt ligni non verioris, ſed recentioris, itaque & vtilioris. quæ fuit Fallopij quoque admonitio.*

Nec item moueat, quod Vlrichus ab Hutten *ſcripſerit, optimum rimas non facere, quas in priore ligno interdum vidimus: quoniam aliud eſt, lignum tamquam falſum, & adulterinum damnare, quam in eodem genere eligere, quod eſt optimum. Accedit Vlrichum non negaſſe rimas, ſed tantum, à ſe nondum viſas, profeſſum eſſe, inquit enim, vt quam minimum hiet, ne- „ que enim adhuc vidimus, qui rimas traxiſſet, & qui „ vendunt fatiſcere negant. hæc ille. ſed tempus poſtea docuit, etiam fatiſcere, itaque Fernelius, neque facile „ videas, quod rimas traxerit. hoc non eſt ſimpliciter, & omnino rimas negare. Sed eſt proditum à Palmario lib. 1. de lue venerea cap. 10. lignum guaiacum ſæpe dehiſcere, & rimis, ac fiſſuris diffindi. quod & nos interdum vidimus. itaque rimæ non faciunt generis, ſiue ſpeciei differentiam.*

Rimæ in Guaiaco.

Quod vero ſit lignum hoc fabrorum opificijs accommodatum, non eſt ridendum: quoniam Conſaluus idem

Guaiacum opificiis ac cõmodatũ.

testatus est, ex Guaiaco apud Indos *rotarum fieri radios, & instrumenta ad saccharum conficiendum. Nec propterea minus ad vsum medicinæ recipi debet: namq; &* Ebenus, *opificiorum elegantiæ nata, locum habet inter remedia. quod de santalo, & de ligno aloe vocato verum est, ne dicam de margaritis, de hyacintho, zaphiro, carbunculo, & alijs gemmis mulierum maxime ornatui nascentibus, nec minus ad morbos curandos conquisitis.*

Vitium ex nauigatione.

Vtrum autem vitium aliquod ex nauigatione contraxerit, de hoc sane dubitare, ad docendum, hoc ligni genus esse, aut non esse lignum sanctum, nihil conducit: cum in eodem prorsus genere, aliud vitio carere, & aliud quoque possit vitiosum eße. Fallopius *certe docuit, non posse nos vti lignis huiusmodi recentibus ob longam nauigationem: quamobrem, & rancida fiunt. at hoc non est dictum de aliquo peculiari genere, sed generatim, & vniuerse: quia ob regionum distantiam veterascit prius, quam ad nos comportetur. potest etiam cortex ob tenuitatem vitium contrahere, si tangatur à maris aqua.* Lignum *vero crassum, & solidum non adeo facile,* Illud *probabile non est, maiorem inde acrimoniam oriri; quæ tamen horum lignorum laus est precipua.*

Acrimonia in ligno sancto laudata.

Quod *vero in decocto damnatur acrimonia, quamob rem & linguam, & fauces pungit, & vellicat: hoc illud est, quo id altero præstantius, & efficacius censeri debet ad luem veneream debellandam, sed illud animaduer-*

maduertere pretium operę eſt, Antonium Gallum, negaſſe, acrimoniam in ligno ſancto, cum de ligno loqueretur, ex inſula S. Ioannis *delato; ſed non de Guaiaco, de quo noſtra eſt diſputatio. ſed non eſt minor de hac re auctorum varietas, quam de oleo, & horum lignorum pinguedine, vt ante dixi.* Ioannes *Manardus epiſtola illa ſecunda ad* Cracouienſem Epiſcopum *dicebat, genus tertium, quod nigri nihil habet, ideo præſtantius eſſe, quia eſſet acrius, atque odoratius; cum à Gallo contraria de hoc eodem ligno tradita ſint. habemus tamen ex Manardo. Si, qui lignum hoc damnant, ijdem fatentur eſſe, quam alterum acrius; valentius quoque eſſe, ſi non dicere, ſaltem ſentire, eoſdem cogi. Cumque alterum, quia minus eſt acre, ideo multis placet; hi ſane illud probant, quod eſt infirmius, & aduerſus contumaces ægritudines minus potens, & gratię magis videntur ſtudere, quam ægrotorum incolumitati. quodque acrius eſt, illud poteſt aqua temperari, quod eſt minus acre, non poteſt aquę mixtura maiorem acrimoniam recipere. Sed & Antonius Gallus cap. 4. lib. de morbo gallico, cum potum vellet mitiorem conficere, curabat partem nigram demoueri. Sed non eſt vllus tam rudis medicus, qui ignoret, ex eodem ligni genere, pro varia hominum natura, & morborum, varium fieri poſſe, ac debere Decoctum nuncupatum: hocque præſtari etiam, portione aquæ dempta, vel addita conſueuiſſe. Dotes autem ligni huius eſſe acrimoniam, & amaritudinem, Fallopius diſerte docuit in cap. 41. inquiens,*

Decoctũ ligni ſancti vt mitius fiat.

Dotes ligni ſancti.

„ *inquiens, Primum si deradatur statim percipiemus duo,*
„ *amarorem quendam, quo explebitur totum os, dein-*
„ *de acredinem insignem, quę stimulat palatum, tertio*
„ *si decoquamus in aqua, primum amarescit in ore, dein-*
„ *de mordicat. & cap. 44. Si decoctum sit turbulentum,*
„ *valde amarum, & acre, bonum est, &c. & huiusmo-*
di decoctum est, quod ex hoc fit ligno, de quo disseritur. quod omnino profiteor esse præstantius, quoniam præter modo dicta, communis auctorum consensus est, illud lignum sanctum præferendum, & tamquam optimum eligendum, cuius pars maxima nigrescit interior. hoc ait etiam Massa scribens de morbo gallico tract. 1. c. 2. ait Vlricus ab Hutten cap. 6. Aloisius Robera cap. 4. Antonius Gallus in præfatione de ligno sancto. Ioannes Baptista Montanus epistola quinta. Benedictus Victorius cap. 4. Fernelius lib. de lue venerea cap. 10. & cum eo Palmarius loco dicto. & Fallopius. cap. 44. item Monardus, Rinius, Frizimelica, Tomitanus. & Matthæolus in opusculo de morbo gallico testatus est, Medicis videri valentius, id, quod in superficie santalorum citrinorum colorem, medio nigrescente, refert. Ac si quando idem Matthęolus nigrum minus æstimauit, hoc ideo fecit, quoniam sibi finxerat, ligni huius genus vnum esse, differre sola ætate: atque ideo nigrum vetustius, & efficax minus. Sed iam constat, Guaiacum esse nigrum natura, non ętate, superiusq; dicta est ratio.

Lignũ sanctum optimum ex cõsensu auctorum.

Dub. de acrimoniæ vehemẽtia.

Sed non omittam, quod posset studiosus suspectam habere acrimoniæ vehementiam, quoniam Petronius lib.

lib. 4. cap. 1. & 3. modicam tribuit tum Guaiaco, tum ligno sancto acrimoniam: itaque scire licet, si horum comparemus lignorum amaritudinem fellis, & aloes amaritudini, hanc non esse magnam, sed mediocrem: si item eorumdem acrimoniam cum scillæ acrimonia contulerimus, horum esse modicam: si vero eadem ipsa ligna inter se conferantur, alterius tum amaritudinem tum acrimoniam posse magnam, alterius vero modicam videri, & iure appellari.

Nec illud præteribo: necessario accipiendum esse, hæc ligni genera differre inter se plurimum, aut solo, aut ætate, aut, fortasse, cædendi tempore, aut post incisionem longo, vel breui temporis curriculo: eoque euenisse, vt de eodem genere varia interdum fuerit auctorum sententia: nam quod pallet intus, & extra, Petronius *illud amarius, atque acrius cæteris prodidit, quod & ante Manardus scripserat: quod vero nigri plurimum, albi vero coloris minimum habet, illud omnium minime esse tum acre, tum amarum. At nos hac tempestate obseruauimus sæpius, quod plus habet nigredinis, illud esse longe acrius, sed minus amarum, quam alterum, cuius est minor internus orbis niger, quod pollet amaritudine sine vlla acrimonia: ne dicam, quod Romæ satum est, omni tum acrimonia, tum amaritudine carere. quamobrem si quis de altero genere dubitet ob acrimoniæ vehementiam, is & de altero dubitare debet, quia caret eadem, qua præditum esse auctores volunt, atque si vera Consaluus prodidit de ligni sancti præstantia,*

Cur varia de eodem ligno dicta.

tia, & viribus, quibus superare Guaiacum testatus est, non eo tamen efficitur, lignum, de quo disseritur, Guaiacum non esse.

Experimenta.

Nec demum moueat quemquam, quod dictum sit, lignum hoc, de quo dubium exortum est; nonnullis obfuisse: quia nihil est tam salutare, quod interdum non obsit, si importune exhibeatur, atque adeo modus est castigandus, non autem remedium damnandum: alias (vt omittamus ea, quæ hactenus Romæ visa sunt, quæ infinita sunt) Brasauolus primo genere, quod Guaiacum proprie diximus, & nigrius esse, ait, se frequentissime vsum esse, raro autem altero, quod lignum sanctum peculiariter vocabatur, numquam autem tertio illo, quod rubrum esse scripserat. At vir ille bonus non esset vsus creberrime auxilio periculoso, & cuius vanos successus expertus esset. nec alia de caussa tot alij magni nominis auctores lignum hoc, quod & habet medullam plurimam, & acrius est, alteri prætulerunt, quam quod multis sibi compertum erat experimentis.


Nec trepidare debet aliquis, quod Consaluus de ligni sancti proprie dicti viribus secus scripserit; quia quod est Indis saluberrimũ, potest esse minus salubre in in hoc cælo ab Indis valde remoto: potestque lignum sanctum, cum cæsum est, diutina mora vires suas celerius, quam Guaiacum amittere. Sed nec ignoramus in obseruandis rebus, & euentis, quam multa occurrant, quæ doceant, vere proditum à viro maximo, experimentum fallax.

Ergo

Ergo *non eſt vnum Guaiaci, ſiue ligni Sancti genus, ſed plura, duo autem vulgatiora, quorum illud eſt præſtantius, quod medullæ nigreſcentis plurimum habet, & modice albente circulo circundatum eſt: atque non ſine amarore, pollet magis acrimonia. nullo pacto damnandum, & reijciendum, immo maxime optandum, ac hortandi mercatores, vt huius, quam alterius, copiam non minorem importent, ſinantque tum ipſi, tum pharmacopolæ, vt medici pro illorum peritia, & prudentia, pro ægrorum, inquam, & morbi natura rerum quarumcumque ſalubrium delectum habeant.* Concluſio.



MARSILII CAGNATI DE LIGNO SANCTO ALTERA DISPVTATIO.





TSI videri potest de ligno sancto priori disputatione satis dictum in eum finem, cuius gratia suscepta est à nobis hæc disputatio, tamen supersunt nonnulla, quæ rei, de qua agitur, studiosos latere minime debent.

Disputationis causa. *Scire igitur licet, ortam esse anno elapso 1601. inter duos Vrbis mercatores litem, propterea quod alter ligni sancti, eiusque vsitati, magnum satis pondus alteri vendiderat, qui admonitus; non esse illud lignum sanctum vsitatum, sed syluestre quoddam ligni genus, & illud quidem tamquam insalubre damnandum, & reijciendum; recusauit dicti ligni pretium, quod, scripto etiam cauens, fuerat pollicitus, venditori soluere: quamobrem orta lis est: cuius dirimendę caussa peritorum consilio petito, ad medicorum collegium res delata est, quod, re diligenter pensata respondit, lignum propositum*

positum ligni sancti speciem esse, & ad morbi gallici curationem, vt alia etiam ligni quædam genera, recipi posse. eoque nomine venditoris caussa superior euasit. Sed eo minime contentus emptor, appellauit, quamobrem commißa res est Cameræ Apostolieæ præsidi, qui medicis extra Collegium *celebrioribus, & aromatarijs multis conuocatis, & singulorum sententijs exquisitis, intellexit venditoris caussam meliorem esse, vno vel altero excepto aromatario, qui emptori fauebat. emptor vero præsentiens caussam hic quoque suam inferiorem reddi, ante quam preses sententiam ferret, nouis oblatis summo Pontifici libellis obtinuit, vt denuo à peritis viris de re eadem ageretur.* I*taque nomine Sanctissimi ego, qui* P*rotomedici munere fungerer (cum acta sint priora Odoardo* Lopio *eundem magistratum gerente) Colltgium conuocaui nostrum, & extra* Collegium *medicos, quot quot adesse vellent, inuitaui, & aromatarios, & alios, qui ligni sancti, pro eorum professione, notitiam aliquam habere poterant, quibus omnibus, & singulis datus est dicendi locus, & auditi quicumque aliquid dicere voluerunt; illis vero tandem dimissis,* Colle*gium denuo pronnntiauit, & notario mandauit; vt quod actum erat, hunc in modum describeret.*

Facta congregatione in gymnasio R*omano, ad quam conuenerunt perillustris, & excellentissimus Dominus* I*acobus Bonauentura physicus Secretus S. D. N. Collegium medicorum, atque medici multi extra Collegium,* C*onsules aromatariorum, vna cum pluribus* Decretum Collegij.

 alijs

alijs aromatarijs, atque vnus saltem drogherius, ac quidam ex stupharolis vocatis, qui sunt experimentatores ligni sancti, fuit proposita quæstio.

An lignum, quod dicitur Corradi, *sit reale lignum sanctum, ad medicinam adhibendum, nec ne; Auditis igitur sigillatim supradictis omnibus, eorumque rationibus examinatis: insuper visis, & recognitis truncis tam ligni sancti Corradi, quam alterius hactenus vsitatis, decoctisque cuiuscumque ligni varijs, ac oleis diligenter examinatis, cum medici omnes extra collegium, & aromatarij pro maiori parte, ac præsertim horum seniores, & peritiores; accedente omnium prædictorum simili consensu, excepto drogherio; amplexi essent partem affirmatiuam, Collegium prędictum (annuente eodem perillustri, & excellentissimo domino* Iacobo *S. D. N. medico secreto) decreuit, lignum Corradi, de quo disputatum est, esse idem lignum sanctum, quod vulgus ita solet vocare lignum sanctum: atque debere ad vsum medicinæ recipi, aduersus eos morbos, quibus lignum sanctum adhiberi solet, nisi quatenus aliquid eius aquæ marinæ contactu vitium contraxerit, quæ medicorum cura debet esse, vt, cum exhibendum est, id, quod vitio caret, eligatur.*

H*æc igitur hunc in modum acta sunt, non in angulis, non in tenebris, sed in hominum luce, publico, & per quam celebri loco.*

Lignum de quo differitur quodnam sit.

Scire insuper licet, lignum dictum Corradi *(quod nomen est illius mercatoris, qui lignum vendiderat, de*

quo lis est orta) esse illud, quod (vt in priori disputatione dictum est) medullam habet nigram plurimam, circulo angusto albente circundatam; cuius nomen proprium, ex traditis ab Hispano, *primo historiæ horum lignorum auctore, esset* Guaiacam, *si quidem ligni sancti appellatio tamquam propria indita est alteri, quod nasci prodiderunt in insula S.* Ioannis *portus diuitis; cuius angustior est niger orbis ligni medium occupans instar medullæ. Verum (vt ante quoque dictum est) vulgus vtrumque, & omne aliud simile, lignum sanctum promiscue appellat: qua & nos vtimur appellatione, quia (vt est vetus, & peruulgatum dictum) loquendum, vt plures.*

Cum autem sit euidens quædam lignorum differentia, in priore disputatione exposita, non erit accusandus qui dicat plura esse huius ligni genera, quoniam probatissimi quoque auctores in vsu vocabuli huius, Genus, sæpe normam spreuerunt dialecticam, cum enim sit vnum genus, vel rectius vna species animalis homo, tamen dici solet hoc & illud hominum genus, certe M. Cicero *scriptum reliquit, rem eandem sæpe alij genus, alij partem eße, sic enim homo animalis pars est, Vrbani, &* Troiani *genus: & alibi dixit de Antonio duo genera lenonum, & latronum delectarunt: est (inquam) vnum hominum genus, tamen dicuntur homines quoque genere differre, vt scilicet differunt vel sexu, vel ætate, vel natione, vel officijs, & huiusmodi. immo ipse Arist. lib. 6. de histor. animal. aitcanum* Ligni sancti plura genera.

esse

esse plura genera, πλείω γένη, tamen canis pars est, siue species animalis. Quercus est plantæ, & arboris pars, siue species, tamen Theophrastus lib. 2. de plantis dixit, huius genera alijs quatuor esse, alijs quinque. γένη μὲν οὖν οἱ μὲν τέτταρα ποιοῦσιν οἱ δὲ πέντε. quibus similia sunt admodum multa. Longe vero minus arguendus, qui plures esse huius ligni species affirmet, quando inter illa sit talis varietas, atque similitudo, qualem inter plantas alias multas haud dubie esse obseruatum est, & est in confesso apud omnes. quanta est inter vites dissimilitudo? tamen non negamus esse generis eiusdem species, nec dicimus vnam esse veram vitem, alias vero adulterinas, falsasque esse. quid de prunis dicam, de malis, piris, ficubus? quanta varietas, quanta dissimilitudo? idem tamen est nomen, & generis eiusdem parteis esse nemo diffitetur. Quis ergo Zaleucus, aut Charondas legem fixit, vnum esse tantum ligni sancti genus, aut speciem vnam, falsas esse præter hanc vnam reliquas? Consaluus in insula S. Dominici vocatam Guaiacum vidit, & descripsit, deinde in insula S. Ioannis similem huic arborem, non sine aliqua tamen differentia; quamobrem & aliud nomen inditum; nec ausus affirmare eamdem esse speciem, sed inquit, Dos arboles ay mas notables, non ait vnam arborem, sed duas, non numero differentes, quia sunt numero infinitæ, sed specie, quamquam testatur, multos opinatos ambas ex eadem esse specie, siue genere. sane si nulla inter illas dissimilitudo extitisset, dubitatum non fuisset,

esset

esset ne eadem, an alia arboris species: operis ille differentiam scripsit, quod altera esset in curandis morbis efficacior. cæteris ligni facies etiam diuersa, quia nigrius alterius meditullium, non ætate, sed genere, & natura, vt in priore disputatione dictum est. alij saporis quoque & odoris diuersitatem adnotarunt. sed quæ maior, quam inter rosas differentia? rosas tamen esse dicimus: frustra itaque certatur, sit ne vnum tantum, an plura ligni sancti, siue Guaiaci genera. & recte statutum est, plura esse: genus, inquam, vnum, plures species, & ex his vnam illam esse, de qua lis orta dicitur.

Sed non miror, nec mirari quisquam debet, litem hāc ortam esse. ante annos quinquaginta Augerius Ferrerius libro primo de pudēdagra, cum tria genera ligni Indici *ex Manardo retulisset, hæc subiunxit de suo, Si* ››
tu officinas, & mercatores adieris, tam confusas in- ››
uenies apud eos has differentias, vt quid sit lignum san- ››
ctum, quid Guaiacum, monstrantibus illis, discernere ››
nequeas; primum enim genus plerique pro ligno sancto ››
(Manardus scilicet Guaiacum hoc vocabat) & ter- ››
tium pro Guaiaco (Manardus lignum sanctum voca- ››
ri dixerat) ostendunt, in quem errorem etiam incidis- ››
se constat scriptores quamplurimos. sunt enim qui, quod ››
ipsi lignum sanctum vocant, fuscum, & flauum eligen- ››
dum censent: quos colores primo, & secundo generi at- ››
tribuit Manardus. Sunt qui Guaiacum albicans de- ››
scribunt, & cæteris præferunt. Sed posthabita nomen ››

Appellationum ligni sancti confusio.

datu-

„ claturarum ambiguitate, de rebus ipsis sic statue-
„ mus, Tria illa genera pudendagræ conuenire, præ-
„ stare acrius, & odoratius: Minus acre, & minus odo-
„ ratum, minus calefacere, nec adeo siccare. Præstan-
„ tius illud calidis, siccisque temperaturis minus conue-
„ nire, cæteris magis prodesse. Hæc ille sane probabiliter, & quod ait de confusis nomenclaturis est omnino verũ. Et sunt duo hic animaduertenda alterum non vni standum Consaluo, qui primus ligni huius historiam orbi nostro communicauit, quia nondum noui orbis prouincię erant perlustratæ omnes, quæ nec hodie sunt, itaque nec omnis medica materia, quę apud Indos exstat, primis auctoribus satis cognita. alterum, cum diuersæ sint, licet eiusdem generis, arbores; vt sunt apud nos prunorum, cerasorum, pirorum & similium diuersę; illas se mutuo superare colore, & sapore, & efficacia, vel ob ætatem, vel ob soli, cælique varietatem, quemadmodum proditum est inprimis à Theophrasto, ex cuius libro sexto de plantarum caussis, ex capitibus scilicet 17. 22. 26. 27. & 22. quæ huc spectant, studiosis perlegenda, & huic loco aptanda relinquo.

Quod vero ad vsum medicinæ lignum hoc recipiendum sit, quemadmodum Collegium decreuit, quis est tam non dicam medicinę ignarus, sed ineptus, qui neget? an nescias, nihil esse in hac rerum vniuersitate, quod in orbe medico locum non habeat? ipsa venena sunt etiam medicamenta, ex animalium quisquilijs, & recrementis medicæ opes auctæ sunt, est in omnium mani-

bus

bus Galeni liber de ſimplicium medicamentorum facultatibus decimus, & vndecimus. quis ergo reijciat lignum iamdiu receptum, & innumeris experimentis probatum, & in quo nulla vis eſt, quæ poſſit obeſſe, niſi ſi quid per imprudentiam medicus committat, quod in omni officio, & in cuiuſuis medicamenti vſu cauendum eſt maxime. At dicendum ſemel eſt. Vbi toties factum eſt huius ligni periculum, quamobrem inſalubrem vſum eius cognoſcere valeamus? in angulo ſane aliquo, in latebris. At contra, prioribus annis Antonij Mariæ Saluiati, & hoc ipſo anno Petri Aldobrandini Cardinalium auſpicijs, & munificentia, in valetudinario Sancti Iacobi *incurabilium (vt vocatur) millia hominum hoc quoque vſi ſunt ligno, magno fructu, non ſolum aduerſus luem veneream, ſed alias quoque ægritudines, aduerſus quas vtiliter adminiſtrari conſueuit. nec interim quiſquam oris, fauciumue, aut ventriculi æſtum, incendium, inflammationem, dolorem, aut excoriationem ſenſit.* Non *tamen omnibus profuit, ac fortaſſe nonnulli obfuit; Sed hoc eſt commune vitium non alijs ſolum* Indici *ligni generibus, ſed omnis generis medicaminibus, quam rem in priore quoque diſputatione tetigimus, in qua dicta ſunt etiam nonnulla de acrimonia eiuſdem ligni, quam vt nimiam ignari quidam, an ignaui, damnabat. immo licere aquam parare ex pipere, ligno omiſſo, quaſi ſanniones riſu obſtrepebant. Verum, vt acrimoniæ modus ponendus ſit, ſuperius, dictum eſt.* Luem *vero gallicam non ſola ligni* Indici *acri-*

monia oppugnat, sed (vt doctis viris visum est) pinguedo, & lentor cum amarore, quę in pipere non sunt: quod tamen & ipsum calefacit, siccat, per halitum digerit, atque adeo ad sudorem prouocandum efficax: cuiusmodi sunt multa; neque enim contenta vno liberalis, & munifica natura est, gaudetque varietate, vt prosit magis, & delectet, sed nec minus vt hominum ingenia sollicitet, atque exacuat.

Sed redeo ad lignum, in quo non solum acrimoniam (de qua dictum est satis) damnant, sed exiguum quoque amarorem: quamobrem Nicolai Massę testimonium non fuit silentio inuoluendum ex tractatus tertij capite secundo, vbi hæc leguntur. Et lignum quod plus
" habet de substantia intrinseca nigra, est melius; hæc
" ibi, paulo vero post, & ad gustum est cum aliquali ama-
" ritudine, sed non manifesta multum. His ergo Massa
" plane lignum describit, de quo agitur, in quo acrimonia superat amaritudinem, & nigrum habet meditullium, vt iam satis dictum est. intelligimus autem ex hoc eodem Massæ loco, lignum hoc nouum non esse, nec nuper ab Indis delatum, nec esse ob exiguam amaritudinem reijciendum. In curatione vero luis venereæ sudor maxime desideratur, cuius prouocandi facultas maxime posita est in acribusmedicamentis (quæ tamen deleteria non sint) hæc enim incidere, & per halitum digerere, optimus auctor Galenus docuit lib. 4. de medicam. simpl. cap. 19. Quicquid vero dicatur de coloris, saporis, & odoris differentia, de corticis crassitie, duri-
tieq;

tieque, de ligni denſitate, & pinguedine, numquam aliquis efficiet, ligna ante dicta differre inter ſe, niſi vt ficus à fico, pirus à piro, nux à nuce differt, & ſimilia.

Iure itaque pronuntiatum eſt, lignum propoſitum eſſe ligni ſancti ſpeciem, immo eſſe vere lignum ſanctum, iuxta vulgarem horum lignorum appellationem, cum omnia promiſcue eo nomine vulgo appellentur, relicto tamquam barbaro vocabulo Guaiacam. iureq; tandem probatum eſt, tamquam ad luem veneream curandam aptiſſimum. De qua re ſi cum docili ingenio agatur, iam plus ſatis dictum eſt, ſi cum cerebroſis, duriſque capitonibuss, numquam ſatis.


F I N I S.





ERRATA.

Pagina 10.versu 19.habens, lege, habent. 16.5.triginta,lege trigintatribus.16.11. ſoptem,lege,ſeptem.21.18.ſecundnm,lege,ſecundum. 22.2. interpretætionem, lege,interpræcationem.22.9.oriuntnr,lege,oriuntur. ibidem. diebus ergo,lege, diebus,ergo. 27.17.factum, lege factam.30.7.namqne,lege, namque. 30. 9. pocuiſſet,lege,potuiſſet.30.26.exceptic,lege, exceptio. 31. 24. euideus, lege, euidens. 34.5.patefecerent,lege,pateſacerent.35.1.Braſauodi, lege,Braſauoli. 36. 5.quodque in eius,lege,in cuius quoque.37.5.lege,decipi.& ſolent pharmacopolæ amygdalarum affrictu ruborem quendam hic lignis inducere.40.10.quemadmodam,lege,quemadmodum.46.18.Monardus,lege,Manardus 53.24.latronnm, lege,latronum.56.20.& 22.lege,& 28.57.25. damnabat,lege,damnabant.



EX QVINTO LIBRO variarum obſeruationum

MARSILII CAGNATI

NOMINA HÆC PARVM NOTA ENARRANTVR,

Pharmacopola, Aromatarius, Seplaſiarius, Ropopla, Catholicus, Vnguentarius.



HARMACOPOLA, cum Græcum ſit, Latine dicitur Aromatarius (quamquam & huius origo nominis Græca eſt, nec nomen hoc exſtat apud auctores) dicitur etiam Seplaſiarius; quod nomen legitur apud Lampridium in Heliogabalo; a quo nomine potius ductum puto vulgare hoc, Speciale, quam à ſpeciebus. quo ab Hermolao Barbaro diſſentio. Eſtque Seplaſia, & Seplaſium vox antiquiſſima, & neutri, & feminini generis, vt Nonius ex Varrone prodidit. Latinis tamen video placuiſſe magis nomen, pharmacopola, Horatius, Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ. M. Cic. pro Cluentio, L. Clodium pharmacopolam, qui tum casu larinum venerat, aggreditur. tamen vox eſt mere græca, à vendendis pharmacis dicta, vt legitur apud

Aristophanis interpretem Nebulis. Plinius Seplasiam non semel dixit, & ab eo accipimus Seplasiarium, & pharmacopolam eumdem fuisse. nam libri trigesimi-quarti capite vndecimo, accusat medicos, qui è seplasia iampridem facta emplastra, & collyria mercabantur (par est autem loco exempli collyria, & emplastra memorata) quo significat, à seplasię professoribus varia consueuisse medicamenta parari, & venalia exponi, vel in eorum apothecis custodiri. Sed, simplicia quoque ab eisdem vendi solita, significauit libri decimi Sexti capite decimo, cum dixit, Seplasiam pro thure gemmã quamdam ex picea supponere. Seplasium neutro genere locus olim fuit Capuæ, de quo illud ex Varrone Nonius retulit, Doti dato insulam Chium, agrum Cæcubum, Seplasia Capuę, macellum Romuli: quamquam & genere feminino dicta est à M. Cicer. in Pisonem, Seplasia dignus, & Capua, & contra Rullum, & in Albana, & Seplasia, quæ concursatio percontantium. Hermolaus autem Barbarus in castigationibus Plinianis ad libri tricesimiquarti caput vndecimum, inquit, Erat ergo Capuæ Seplasia, qualis Romę vicus vnguentarius: ac fortasse Vnguentarij Seplasiam incolebant, quod M. Cicero in eadem in Pisonem, cum de Seplasia dixisset, subiunxit, Gabinium si vidissent vestri illi vnguentarij. certe seplasia locus erat mercibus instructus, quę ad luxuriam, & voluptatem plurimum valerent, itaque Annibalem Valerius Maximus dixit, Seplasiæ delitijs euiratum. Est autem consentaneum, a

Sepla-

Seplaſia dictos Seplaſiarios, qui ſcilicet illic ſuas merces venaleis exponerent, & in apothecis cuſtodirent. quæ tamen merces non ſolum voluptati, ſed bonæ quoque valetudini inſeruirent; cuiuſmodi emplaſtra, & collyria, quę Plinius dixit medicos e Seplaſia mercari ſolitos. quorum exemplo accipimus compoſitiones valetudini dicatas in Seplaſia vendi conſueuiſſe, vt ſimplicia quoque vendebantur, vt ante de thure diximus, & Ariſtophanes Nebulis gemmas à pharmacopolis vendi indicauit inquiens, ἤδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν λίθον ταύτην ἑώρακας τὴν καλὴν, *vbi græcus interpres ait, pharmacopolas proprie dictos, qui pharmaca vendunt, ſiue ſint illa ſalubria, ſiue letalia, ſed a priſcis vocatos etiam pharmacopolas, qui lapillos vendebant pretioſos.*

Verum dubitari poteſt, ſit ne idem pharmacopola, quem Galenus lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 5. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera ῥωποπώλην *vocauit (quam vocem alibi non vſurpauit, quantum memini, nam, qui librum primum de antidotis adducunt, falluntur, quia illic non* ῥωποπώλαι, *ſed* μυρεοπώλαι *legitur) quem latine inſtitorem Andernacus dixit, in illis* »
videlicet verbis, credunt inſtitoribus vetus oleum da- »
re ſe affirmantibus, πιστεύουσι ῥωποπώλαις, *at græci ſermo-* »
nis interpretes aiunt, eo nomine ſignificari vnguentarios, & ſeplaſiarios, item, iuxta nominis etymon minutarum, & variarum rerum venditores, cuiuſmodi qui nunc Romæ pizzicaroli vulgari nomine vocantur,

 qui

qui multum differunt a pharmacopolis.

Quid vero significat apud Galenũ libri primi de Antidotis initio, Euphrati medicæ materiæ venditori? nam græce legitur, Euphrati catholico. Sane ignotũ est mihi, vnde Rota acceperit, vocem καθολικὸν, significare medicę materię venditorem, idest pharmacopolam, significat enim vel rationalem, vt in glossis, vel naturalem, vt apud Lacones Hesychio auctore, vel propinquũ, siue agnatũ, vt in eisdem glossis. qui catholicum vertunt, vniuersalem, ij demonstrant, se græce nihil scire. At, demum, crediderim, Euphrati illi cognomen hoc, Catholicum, quacumque de caussa, inditum. Hæc igitur docent nos, pharmacopolam & Seplasiarium, eumdem fuisse. an vero idem fuerit, qui a nobis aromatarius, & vna omnium professio, an potius diuersa, ipsi docebunt aromatarij.

Sed quis nam erat vnguentarius, quæue eius professio? μυρεπώλα, grece a vendendis vnguentis dictus, quo Galenus vocabulo sæpe vsus est, & eius interpretes pro eo vnguentarium dixerunt. Vnguentarium vero vnguentorum fuisse vendetorem, accipere est ex Varronis libro de lingua Latina septimo, cum dicat, Vnguentariam tabernam vocatam, quod in ea venirẽt vnguenta, vt vina in vinaria, &c. Non erat autem idem qui Seplasiarius, hic enim emplastra, & collyria conficiebat, & alia, vt dictum est, quæ medici mercarentur gratia valetudinis, illi vero in vnguentis tantum ad delitias, & voluptatem occupabantur.

De dignitate vero dictorum artificum quid veteres senserint, conijcere est memoria repetentibus Lycurgũ, & Solonem vnguenta, & vnguentarios expulisse, vt alibi ex Plutarcho, Seneca, & Athenæo dicebamus: & M. Tullium libro priore de officijs ea scripsisse, minime „ artes hæ probatę, quæ ministræ sunt voluptatum, ceta- „ rij, Lanij, Coqui, Fartores, Piscatores, vt ait Terentius; „ Adde his, si placet, Vnguentarios, Saltatores, totumq. „ ludum talarium. De pharmacopolis vero illa Horatij „ sunt notissima, Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, &c. Seplasiam vero vt fraudum studiosam Plinius non semel notauit. & Lampridius de Heliogabalo, pinxit se vt cupedinarium, vt Seplasiarium, vt popinarinm, &c. Nostri vero siue Aromatarij, siue pharmacopolæ, siue Seplasiarij, a veteribus illis plurimum differunt, etenim voluptati non inseruiunt, sed valetudini, ergo non vnguentarij, officio quidem similes pharmacopolis, & Seplasiarijs, sed honestate, & dignitate cum illis non comparandi: est enim Seplasia nostrorum statis limitibus septa, & legibus firmata; vnde professoribus decus, & Reipublicæ commodum affertur.

Sed cum aliqui vellent de pharmacopolarum dignitate aliquid honestius commentari, eos audio existimare, nomen pharmacopola, dictum esse de medicis vulgaribus, non de ijs, qui officinas aperiunt pharmacis instructas venalibus, quor hodie vocamus aromatarios. hoc vero idcirco sibi persuasum, quod Galenus Mantiũ, ex vetustissimis medicis, pharmacopolam vocauerit

non

lib. 4. κτ̀ γρόν, c. 14. eumdemque fuisse vulgarem medicum ostendit lib. 2. κτ̀ τόπους, c. 3. inquiens, fuit itaque Archigenes vulgaris medicus, velut & Mantias, &
" Heraclides empiricus. item lib. 7. κτ̀ τόπους, c. 3. Pamphi
" lum quemdam vocat pharmacopolam, quem fuisse vulgarem medicum significauit initio lib. 6. de simpl. med. facult. & lib. 1. de dieb. decret. c. 2. inquit, reuera medi-
" cum, non pharmacopolam quemdam ex triuio. Verum
" hæc sunt plena erroribus, ac primo Mantiam Galenus non solum cum præclaris medicis recensuit lib. 6. simpl. initio, sed, cum esset Herophilius, præceptorem fuisse Heraclidis Tarentini, qui postea defecit ad empiricos; scripsit ipse Galenus lib. 6. κτ̀ τόπους. c. 4. & lib. 2. κτ̀ γρόν, c. 1. ait, eumdem Mantiam primum omnium, quos nouerit scripsisse compositiones multorum laudabilium medicamentorum. quem sit Heraclides Tarentinus, eius discipulus, imitatus non solum in vsu pharmacorum, sed etiam in ea artis parte, quæ victus rationem docet: quo nomine sæpius alibi eum laudauit, vt intelligere sit, non fuisse vulgarem, sed egregium, & præstantem medicum. Nec recte accepta sunt illa Galeni fuit Archi-
" genes non vulgaris medicus, veluti & Mantias, &
" Heraclides. quorum sensus non is est, quem hi arbitrantur, sed omnino contrarius: significant enim, Archigenem non fuisse vulgarem medicum, sicuti nec Mantias nec Heraclides fuere. recta enim dicendi forma requirit, vt comparatio fiat inter similia. Sic idem Galenus lib. 2. κτ̀ γρόν, c. 1. Post quos alij sane quidam non paucis

volu-

voluminibus, sicut Mantias, & Heraclides, &c. quibus non significat, Mantiam, & Heraclidem pauca volumina scripsisse; quos multa scripsiße, alibi docuit: sed sicut alios quosdam, ita & Mantiam, & Heraclidem scripsisse non pauca. & hoc est ex sequentibus manifestum, sunt etiam qui uno, aut altero tantum ea conscripserunt. ergo superiora omnia sunt de ijs accipienda, qui non pauca scripserunt. Similiter igitur & Mantias, & Heraclides fuerunt medici non vulgares. cui consentiunt reliqua de eisdem a Galeno dicta. sed, deinde, nusquam Galenus Mantiam vocauit pharmacopolã: & ille locus ex lib.4. κτ̀ γϱ́ν, c. 14. falso adductus est, quia non est scriptum, Mantiæ pharmacopolę: sed pharmacopola, uti græce Μαντίας φαρμακοπώλης. ut Mantiæ sit casus genitiui, pharmacopola vero nominatiui. ex hac uero recta, & vera lectione manifestum est, pharmacopola non esse dictum de Mantia, sed de libro, quem Mantias scripsit eo titulo, Pharmacopola, quod perinde erat, ac si scripsisset, de pharmacopola, iuxta ea, quæ de inscriptionibus librorum, quæ apud veteres in usu fuerunt, Galenus scripsit initio commentarij ad librum Hippocratis de officina medica. ergo non significatur eo nomine vulgaris medicus, sed qui uere est pharmacopola. Pamphilus vero (de quo secundo loco dictum est) fuit quidem pharmacopola, sed nusquam eumdem Galenus vocauit medicum. quod si fuisse medicum credamus, quia cum multis medicis à Galeno recensetur lib. 6. simpl. initio, non eo efficitur, nomem, pharmacopola,

la, significare vulgarem medicum, quia non constat, Pãphilum medicum, de quo lib. 6. Simpl. & pharmacopolã, de quo alibi, eumdẽ fuisse, nisi quoque velit aliquis nos docere, Episcopum pro medico vulgari, vel pharmaco pola sumptum, namque Phamphilum alias pro medico habitum, alias vocatum pharmacopolam, Aëtius ad finem sui voluminis vocauit Episcopum. Nec *mouent il-*
" *la quoq. ex primi lib. de dieb. decret. c. 2. reuera medicũ,*
" *non pharmacopolam quemdam ex triuio. in his enim aliud medicus, & aliud pharmacopola significat, & dãnatur medicus, qui in ægris curandis officium sibi vendicat pharmacopolæ, & suum deserit. Nec, demum, apud Ciceronem (nam & hoc adduci video) in illa pro Cluentio, pharmacopola circũforaneus pro medico dictus est. nam Cicero prioribus verbis mentionem medici fecerat quem illa mulier recusauerat, qua propter pro medico circumforaneus pharmacopola adductus. quid ergo cogit, vt non accipiamus pharmacopolam proprie, qui tũ miscendis, tum vendendis pharmacis operam nauat? Sed in vocabulis antiquis interpretandis non licet ingenio vti, & arbitrio, sed auctorum opus est testimonio. itaque & illud temeritatem sapit quandam, quod apud* Horatium, *Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, nullo auctore, aut teste, medicum, vulgarem licet, interpretantur.*

Sed acutus aliquis, & eruditus fortasse existimaret, doceri posse pharmacopolam, eumdem fuisse, & medicum, quoniam Galenus *ad medicorum institutionem*

scri-

scripsit libros de compositione medicamentorum, in quibus non tam vires compositionum, quam componendi rationem enarrat, & docet, & à se, & ab alijs medicis multa medicamina composita esse testatus, quod notum est, & in eius commentarijs tam obuium, vt superuacaneum omnino sit locum de hac re vel vnum indicare, nedum exscribere. vt mirari quoque non liceat, Plinium lib. 34. cap. 2. accusaße medicos, quod medicaminum compositionem seplasiæ reliquissent. erat ei scilicet sermo de squama æris, & flore, inquit autem, atq. hæc „
omnia medici, quod pace eorum dixiße liceat, ignorant „
pars maior, & nominibus: in tantum a conficiendis „
his medicamentis absunt, quod esse proprium medicorũ „
solebat. credunt Seplasiæ ea omnibus quidem fraudi- „
bus corrumpenti. factaq. iampridem emplastra, & col- „
lyria mercantur, tabesque mercium. Verum hęc quantum ad historiam, & priscæ consuetudinis memoriam dicta sunt optime, ac verissime. Sed his non efficitur, quod erat propositum, medicum eumdem fuisse, & pharmacopolam. Sunt enim officia duo, alterum est vendere, & venalia in apothecis pharmaca custodire: & hoc fuit proprium pharmacopolarum, vt notatum est ab Aristophanis græco interpræte illis verbis ad Nebulas,
φαρμακοπῶλαι κυρίως οἱ τὰ φάρμακα πιπράσκοντες, τά γε λυ- „
σιτελοῦντα, καὶ τὰ θανάσιμα, παρὰ δὲ τοῖς παλαιοῖς καὶ οἱ τοὺς τι- „
μαλφεῖς ἤτοι πολυτίμους λίθους πιπράσκοντες, φαρμακοπῶ- „
λαι ἐλέγοντο. *hoc est, Pharmacopolæ proprie pharmaca* „
vendentes, & quæ salubria, & quæ letalia, apud pri- „

scos

„ *scos vero, & qui splendidos, hoc est, pretiosos lapillos*
„ *vendebant, pharmacopolæ dicebantur. hæc ille, qui non dixit, vt nec alius quisquam, pharmacopolas fuisse medicos, vel vulgareis, vel egregios. Sed significauit aperte eosdem esse, φάρμακα πιπράσκοντας & φάρμακα πωλοῦντας, id est, pharmacorum venditores, vnde nomen φαρμακοπῶλαι hoc itaque testimonio intelligimus vendendi pharmaca officium & nomen conuenire. Alterum est officium componendi medicamenta, scilicet simplicia miscendo compositiones varias, construere: quod sane fuit medicorum, qui vt compositionum inuentores fuerunt ita & conditores earundem fuisse olim non negantur. fuisse inuentores, quis ignorare potest? ecqui plantarum, & aliorum simplicium historiam descripserunt, & de componendi ratione commentaria ediderunt? sane ij non pharmacopolæ aliqui, sed philosophi, ac medici magni nominis, Theophrastus, Dioscorides, Galenus, Mesueus, Auicenna, ne minus celebreis tam priscos, quam recenteis memoremus. eosdem vero medicos pharmaca composuisse, vel proprijs manibus, vel per ministros, quibus ipsi assiderent componentibus, docent ea, quæ paulo ante narrata sunt. Sed tandem medici visitationibus occupati, & grauioribus cogitationibus districti a se inuenta, & descripta pharmaca componendi munus ipsis pharmacopolis reliquerunt, nisi etiam visum sit officium minime congruens cæteris, in quibus medici versantur. Sed non est solum medicis honestius, verum ægris quoque vtilius, quo sint parata,*

& in promptu omnis generis medicamenta; quæ res peculiarem quandam exercitationem desiderat; esse viros bonos pharmacopolas, qui scite, ac diligenter conficiant, & venalia in apothecis medicamenta cum fide custodiant. Interim tamen nostri muneris nos obliuisci non decet, quorum architectonica (vt dici solet) princepsque professio de cæteris sibi subiectis artibus iudicat, & idcirco, quæ ab illis tractantur, cognoscere debemus: sicut enim frænorum ars conficiendorum equestri subiecta est, ita medicinæ subiecta est facultas conficiendi medicamina, siue illa sumantur ore, siue foris imponantur corporibus. Sicut ergo, qui fræno est vsurus, eques cognoscere debet, vtrum probe confectum sit frænum, verum materia fræni apta, qua frænum consistat, & aptum sit, quamobrem equus domino obtemperans reddatur: ita medicamentorum formam, & speciem, & materiam agnoscat medicus oportet, si futurum sit, vt opem ex eis ægroti recipiant. Nec possunt sine graui culpa medicorum hæc ignorari, quæ sibi, quã pharmacopolis, notiora esse debent: nam quiuis artifex de suorum bonitate, & integritate instrumentorum cognoscit, & iudicat. Sed de his hactenus. Vana igitur, & falsa est interpratatio eius, qui nomen pharmacopola vsurpatum commentus est, nullis auctoribus ac testibus, ad medicum vel vulgarem, vel egregium significandum.

FINIS.

APPENDIX DISPVTATIONIS DE MORTE CAVSSA PARTVS

AD IVLIVM BENIGNVM I. C. Clarissimum, in Romana schola professorem primarium, sacræ Consistorialis aulæ, & pauperum aduocatum.

Marsilius Cagnatus.



ERMO ille, quem habuisti mecum proximis diebus, Iuli ornatissime, postquam typis data erant, quæ de morte caussa partus scripseram; cum diceres, videri quidem tibi, me apte satis ad rei naturam explicandam scripsisse, sed laxam nimis viam exceptioni, cuius caussa scripseram, fecisse; me adduxit, vt hac ad te perbreui epistola summam fere quandam rei disputatæ, & veluti appendicem antea scriptis adiungerem, & adhuc nonnihil adumbratam sententiam meam, colore quodam inducto, magis exprimerem.

Exceptio igitur, iam recepta, non vt inanis apponitur,

tur, sed vt efficax sit. quo autem pacto efficax sit, hoc definire necesse est. Cum itaq; partus per se caussa mortis minime sit; quia res est maxime naturalis; debet partui aliquid accedere, quod valeat per se mortem inducere. Sed considerandum est in primis, duas esse in exceptione particulas, videlicet, ex partu, & caussa partus, & prepositionem, ex, in prima particula, significare, quod Iuris Consulti dicunt, caussam immediatam, quia contingit mulieres nonnullas, ex partu difficili & laborioso confestim interire, vel quia fætus grandior; quo nomine primiparæ præsertim laborant; vel quia egreditur in pedes, vel in nates, pedibus ad caput conuersis, & similia, vel quia fætum in vtero extinctum necesse est vi magna extrahere, quem laborem non ferentes aliquæ subito intereunt, cuius interitus non alia est caussa, quam partus difficilis, ideoque mulier ex partu defuncta dicitur. Altera vero particula, caussa partus, non idem significat, quod prima, nec frustra creditur apposita. Diximus autem, partum per se numquam esse caussam interitus, sed ex accidenti (vt dici solet) & oportere partui adiungi aliud, quod per se letale sit, & vera sit caussa mortis. Verum dicitur, caussa partus, quia ad caussam illam interitus veram adiuncti partus labores, rem periculosiorem efficiunt, neq; aliud in hac secunda particula nomen, caussa, significare potest, quam occasionem; est autem occasio tempus aptum ad aliquid faciendum, vel patiendum; & caussam pro occasione accipi, notius est, quam hoc loco debeat expli-

cari.

cari. Quod vero per se potest puerperam interficere, hunc necesse est morbum esse, quem non producit ipse per se partus, sed si quæ caussa morbi ad partum accesserit. quæ tum interna, tum externa potest esse; & morbus potest oriri in ipso partus articulo, vel paullo post eodem die, vel postridie, vel multis post diebus vsque ad trigesimum in maribus, vel quadragesimum secundum in feminis; hi namque termini sunt, intra quos puerpera, eo nomine, quo peperit, obnoxia morbis est. Hisque intelligimas (si attentius inspiciamus) nec ipsum partum difficilem ante dictum per se interficere, sed ob id, quod ei accedit præter naturam, quamobrem cum labore maximo vterus aperitur, & tamquam vulnere magno, & letali afficitur. itaque cum dicitur, ex partu, ad significandum (vt dictum est) caussam immediatam, illud potius dicitur, quod videtur, & existimatur, quam quod vere est. Interim igitur, dum rei naturam sequimur, mortem dicimus induci à morbis ad partum accedentibus (à quacumque caussa etiam externa nascantur) si non vltra dictos terminos oriantur; licet vltra producerentur: etenim morborum exortus obseruandi, non exitus; eaque videtur mens fuisse contrahentium, exceptionem tamdiu locum habituram, quamdiu manet periculum, quod imminet ob partum: manet autem toto dicto tempore, habita sexus ratione. Si vero spatium hoc fæuoris ratione laxum nimis videtur, lege est definiendum, intra quot dies à partu, morbus eiusmodi censendus sit, qui exceptioni locum præbeat. & defi-

nien-

niendum quoque, vtrum exceptio recipienda ſit, vel reijcienda, cnm morbi à cauſſis externis intra dictum tempus naſcuntur. quorum quia neutrum lege definitum eſt, ideo rei naturam conſideramus, & ſequimur.



...in Acta Acad: Nat: Curiosorum

HISTORIA EPIDEMICA HUNGARIÆ,

in qua

plane ſingularia cum de aliis, tum de morbis acutis, in primis vero de febre petechiali, morbillis, variolis, dyſenteria &c. recenſentur,

conſcripta

ab

ANDREA LOEW,
Nobil. Sempron. Hung.
Phil. & Med. D. Phyſ. Sempr. Ord. Acad. Cæſ. Leopold. Natur. Curioſ. Collega.

nunc vero

fideliſſime communicata

a Filio

CAROLO FRIDERICO LOEW
Regiæ Legationis Suecicæ Medico Ordinario.

Illustrissimæ Societatis Natur. Curios. ad provehenda artis salutaris, & naturalis scientiæ incrementa

Cæsareis auspiciis in Germania conditæ

Præsidi

Perillustri, atque Excellentissimo

LUCÆ SCHROECKIO,

Phil. & Med. D. Acad. Leopold. Imper. N. C. Præsidi, S. C. Maj. Archiatro, Comit. Palat. S. R. I. Nobili, Reip. Patr. Phys. primario,

Atque

Ceteris Amplissimi Ordinis Sociis, Munerum splendore, meritorumque in rempublicam & literariam amplitudine Eminentissimis, Dominis, ac Patronis summopere observandis, obsequii, honoris & gratæ mentis declarandæ causa

Hanc Historiam Epidemicam Hungariæ

D. D. D.

C. F. L.





Xpendenti mihi illum, in quo collocati estis, dignitatis gradum, qui literarum, & artis præcipue salutaris decori, ornamentoque datus est, subit animum vereri, ne intempestiva interpellatione, pro favore Vestro, quem ambio, offensionem concitem. Quid enim magis metuendum homini, suæ sibi tenuitatis conscio, & illis Viris obstrepenti, in quibus tantum gravitatis, altissimæque in omni divini, humanique cognitione decoris, scientiæ, quantum prudentiæ, omnium casibus temporum paratissimæ lumen elucet? Hæc autem tanta, tamque exquisitæ scientiæ, prudentiæque laus, quam insigni accessione cumulat singularis comitas, illud efficit, ut in ea, in qua pro commodis publicis excubatis specula, tot meritorum, humano generi utilissimorum, luce collustrati, & explendescentes, cunctorum recte sentientium animos in Vos convertatis, ut observent Vos eruditi, & revereantur. Horum quidem ego cunctis quanquam ingenio, & scientia facile, nemini tamen unquam nec cessi, nec cedam ulla in Vos observantia, quam Vobis non minus debeo, quam profiteor, quippe Amplissimi Ordinis Vestri judicio perbenigne ornatus, & dignus æstimatus, quem in numerum sociorum Acad. Nat. Cur. cooptaretis. Longum esset, atque ab hoc alienum loco, cetera referre benevolentiæ genera, quibus a Te, Excellentissime Præses, aliisque Amplissimi Ordinis Vestri membris sum ornatus: talibus certe, ac tantis, ut nullum gratiæ pro iis referendæ dignum locum

cum reperire possim. Invitat etiam me, &, nisi me tanto honore indignum præbere velim, ad sui venerationem festinare cogit prolixa humanitas, qua me estis prosecuti, sive Vos coram, præstita clientis obsequentia, salutarem, sive absens colerem epistolis, meisque subdiffisus rebus, consilio uterer Vestro, aut opem simul peterem, & sine recusatione impetrarem. Igitur tantis meritis adductus dudum intellexi ad me pertinere, solicite contendere, & eniti, ut aliquod grati animi pignus, non sine debita submissione Vobis consecratum aliquando extaret. Diu cogitanti de digna tantis Viris probanda gratæ mentis significatione, beati parentis scrinia excutienti oblata videbatur materia, luce publica non indigna. Huic vero ut sese magis probaret, non alia ratione felicius me consecuturum existimavi, quam si Vestris Amplissimis Nominibus inscriptum opusculum prodiret. Sed tamen vicissim subvereri veniebat in mentem, ne eminentis cujusdam insimuler audaciæ, qui Vestris Nominibus, in tam alto, splendidoque positis loco, opusculum tam humile, tam nullo expolitum cultu, insignire coner. Nam cum Vos ii sitis, qui acerrimo judicio singula pensitant, & non nisi exquisita arte elaborata suo aspectu dignantur, metuebam, ne apud Vos longe, quam optaverim, minus gratiæ hoc ineam tempore, quo mihi totus ipse displiceo: quid agendum fuerit, serius cognosco: quid actum sit, video, ac, perturbato decoris ordine, post rem affero consilium: tantum abest, ut expectationem Vestram ulla ratione sustinere possim. Jam demum agnosco, habendam fuisse rationem mentis, cum compositæ, cujus est, secum consistere, ac morari: tum circumspectæ, pro qua non decet efferri præcipitis impetu consilii, sed rationem, instruendæ actionis ducem sequi; denique & verecundæ, ut, quorum revereare dignitatem, horum præstantiæ quid conveniat, existimes, horum oculis, quæ sint indigna, solicite devites: cum omne judicii, gravitatisque pondus, omniaque ingenii ornamenta postulare sibi videatur ea res, quæ tantis, tamque

intelligentibus rerum arbitris, existimatoribusque probari vellet. Sed vicit tandem omnem dubitationem, quæ ab hoc officii cursu me revocare poterat, par fastigio Vestro humanitas, & comitas, qua bonas mentes permulcetis, & erigitis. Igitur sicut viribus diffido meis, ita religionis conscientia me sustento, hacque confisus, a Vestra benignitate consilii mei veniam demisse, observanterque peto, sine ulla etiam dubitatione expecto, & quantæ venerationis, tantæ fiduciæ plenus Vobis, Viri Amplissimi &c. &c. præsens opusculum sic offero, ut omnem obsequii cultum Vobis in perpetuum simul obstringam, & plura propriæ diligentiæ documenta, in ceterorum annorum constitutionibus, tanto solicitius observandis promittam, quo citius, & clarius intellexero, non displicere Vobis institutum meum. Reliquum est, ut Vobis spes, fortunasque meas commendem, Vos artis salutaris cultorum præsidio, rebus familiæ Vestræ constanter florentibus salvos semper, & incolumes servari discupiam, idque a DEO immortali omni votorum pietate precandum Vobis ducam, & continenter exorandum,

Vestrorum

Perillustris, Excellentissimique,
Amplissimorum, Nobilissimorumque Nominum

obsequentissimus, observantissimusque

C. F. L.

Con-

Constitutio Epidemica Posoniensis Anno 1688.



Nni tempora, prout variant, suos habere morbos certos jam pridem *libr. 3. Aphor. 21.* recte annotasse *Hippocratem* præsente anno abunde confirmavit experientia. Scilicet *mense Julii & Augusti* cum cœlum quasi flammasset caloribus, & pluviarum ferme toto illo tempore expers fuisset, quibus alias intemperies aëris sicca temperanda & corrigenda, *Febres* solito magis in hac urbe grassari ceperunt. Quorum principia cum horrore, vomitu, nausea ægrum occuparunt, subsequentibus statim caloribus, siti, dolore capitis, virium prostratione summa, cardialgia, ut plurimum dies noctesque durantibus, ast biduo post, adhibitis sudoriferis, in *intermittentes* ut plurimum febres, modo *tertianas*, modo *quotidianas*, imo *quartanas*, per intervalla secundum suum typum repetentes, terminantibus. Tantam autem hæ febres benignitatem in se fovebant, ut raro administratis legitimo modo remediis, h. e. *V. S. Anti-febrilibus ex ⊖ card. ben. absinth. centaur. min. lap. cancr. chinchin. arcan. dupl flor. nitr.* aliisque, ultra octiduum sese extenderint, quin penitus remiserint. Non senserunt has febres tantum provectioris ætatis homines, verum etiam infantes lactentes & ablactati, sine ullo ætatis discrimine. In nonnullis deprehendebantur *continuæ*, dies noctesque ægrotos affligentes, & *V. S. sudoriferis ordinariis, nempe spec. de hyacinth. antim. diaph. spec. de gemm. frig. mixtura mea ordinaria &c. cum confortantibus* junctis, tractatæ, omnes terminum suum elapso 15. dierum spatio benignissime absolventes. Hisce continuis annumeranda quoque fuit *Pemphinx*, vulgo Nessel-Kranckheit dicta, tunc temporis grassata, quæ ægrotos, (qui quasi urticæ urentis vim essent experti,) excruciavit pruritu, tumore permagno variæ magnitudinis in toto corpore, modo imperialis, modo floreni, modo grossi, modo totius cubiti, superficiem cutis occupante, eamque in vesicas non adeo rubras, sed magis albas attollente, mox recedente, mox redeunte, aliisque symptomatibus febres continuas malignas alias concomitantibus. Quæ febris licet aliis temporibus *benignissima* adhibito sudorifero intra biduum remittere soleat; nunc tamen admodum *maligna* more continuarum sua decurrit tempo-

tempora, propinatis autem *medicamentis diaphoreticis*, *expellentibus temperatis &c.* DEO benedicente apud omnes feliciſſime XV. die ſuperata. Obſervavimus etiam, quod notatu dignum & perrarum, tunc temporis certam febrium ſpeciem, quæ fuit *complicata ex febre quotidiana continua & tertiana*, una die binas habens exacerbationes, altera unicam, quam *Hemitritæum* appellare placuit. Fuit absque horrore, cum continuo calore, ingenti præcordiorum compreſſione, ut de continuis conſtrictionibus pectoris conqueſti fuerint, ſiti inexplebili, intenſioribus tamen hiſce tempore exacerbationis, cum vigiliis, deliriis, diarrhœis, in primis virium proſtratione ſumma, ut ſemper animi deliquia metuenda fuerint. Febris hæc admodum periculoſa continua ingentem reconditam habuit malignitatem; quapropter more aliarum febrium malignarum, v. gr. *V. S. ſudoriferis*, *expellentibus*, *confortantibus mixtis*, *ordinariis*, ratione tamen habita ſymptomatum urgentium, tractata feliciſſime intra XXI. dies fuit ſubacta atque ejecta, ſuperſtite quidem adhuc aliquali pectoris compreſſione, *Laxativo* tamen medicamento ſub finem exhibito, penitus ſublata.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1697.

NOn quivis annus quosvis fovet morbos, multo minus una eademque ſymptomata. Prouti anni variant tempora, aërisque tempeſtates, ſic quoque morbi, qui nunc benigniores, nunc pejores, multorumque funerum nonnunquam cauſæ exiſtunt. Hoc jam dudum obſervavit, ac *toto libro III. Aphoriſmorum* nobis demonſtravit maximus Græciæ Doctor, *Hippocrates*. Et quis non videt, diverſum aëris ſtatum humores modificare morbificos, eosque diſponere, pro diverſitate locorum aliarumque circumſtantiarum, ad producenda ſymptomata, quandoque graviora, aliquando mitiora. Id videre licuit *anno 1697.* quo *hyemem rigidiſſimam* experti ſumus. Produxit intenſiſſimum illud frigus non ſolum *varios pectoris morbos*, *catarrhos*, *coryzas*, *gravedines*, *tuſſesque vehementiores*, ſed & tranſpiratione impedita, lympham diſpoſuit in coagulum pronam; adventante *vere*, liquatisque macrocoſmi humoribus, lympha hactenus torpida apud plurimos varias ſubiit mutationes; inde in quibusdam *febres tertianæ* ſubortæ, in plerisque *febres continuæ*, *pleuritides ſpuriæ*, *malignitatis expertes*; in plurimis, inprimis *ſub finem Aprilis*, *Maji*, *Junii*, *Julii*, quo tempore magis efferationes bilioſæ ob exceſſivum calorem ambientem notabantur, *febres petechiales Epidemicæ*. Referam ex morbis, quos hoc anno perluſtravi, ſolum præcipuos. Inceperunt *petechiales* more ſolito cum rigore,

rigore, caloribus p. n. ſiti, anxietate præcordiorum, quandoque vomitu, doloribus capitis, inſueto artuum languore, ſine cauſa manifeſta, cum inſigni extremorum laſſitudine, ut plurimum quarta, aliquando ſeptima demum die maculæ effloruerunt petechiales, in quibusdam copioſiores majoresque, in quibusdam minores ac parciores. Deliria ſexto jam, ſeptimo, octavo morbi die ſupervenientia, boni fuere ominis. In illis enim decima quarta vehemens notabatur obſurdeſcentia, & decima quinta caloris, adeoque morbi ſolutio. Si ſerius, v. gr. 10. 11. 12. contigerunt deliria, atrociora ſymptomata, nec non malignitatem prænuntiarunt ſummam, nullusque expectandus fuit motus criticus, ſed paulatina ſolutio. Obſervavi hoc in quamplurimis, in primis in Cive hujus loci primario, ex itinere ſexta morbi die reduce. Septima, adhibito uno vel altero *medicamento expellente*, *bezoardico*, vidi corpus petechiis copioſiſſimis rubris conſperſum; eodem die notavi ſummam in ſomnum propenſionem, vix non diſpoſitionem lethargicam. Veſicatoria quippe aliquot applicata ægrum a ſomno abſtrahere non valuerunt, & excitatus licet quandoque comederit, medicamenta *expellentia*, *ſudorifera*, *epileptica*, *confortantia* ſedulo aſſumſerit, ſubito nihilominus in ſomnum recidit, ſalva manente reſpiratione; acceſſerunt 10. die deliria: excitatus enim ex ſuo profundo ſomno, & interrogatus minus appoſite, minus ordinate reſpondit, deſubito in ſomnum relabens. Die undecima & ſequentibus ſupervenerunt motus convulſivi, diarrhœæ, involuntarius urinæ fluxus, ſummatim, ſymptomata exitioſa. Decima quinta calores p. n. obſervavi longe remiſſiores, pulſum naturali ſimilem, ſomnum autem adhuc profundum. Si exſuſcitatus fuit patiens, neminem agnovit, torvis oculis vidit, ad interrogata muſſitando, minus intelligenter reſpondit, floccos frequenter legere continuavit. Morbum igitur hunc in peſſimis ſignis conſtitutum ex *Hippocr. Coac.* nec non *2. Aphor. 27.* difficillimum ac periculi pleniſſimum pronunciavi. Decima ſeptima demum die, ſuborta obauditione, ad ſe rediit, ſtupidus quidem & oblivioſus, præteritorum immemor, vires tamen brevi reſumſit. Vidi in alio ſubjecto, eundem morbum in optimis ſignis conſtitutum, duodecima, rarioribus tunc temporis exiſtentibus jam maculis petechialibus, produxiſſe *puſtulas miliares, parvas, albas, acuminatas*, innumeras, exceſſivam ſanguinis ebullitionem, nec non malignitatem latentem prodentes, & 15. die, prægreſſis vix momentaneis convulſionibus, funeſtas. Obſervavi, malum hoc fuiſſe *epidemium*, nullumque ætatis habuiſſe diſcrimen, juvenes vero puerosque frequentius invaſiſſe, ac contagium in domo delituiſſe, aut ſubſtitiſſe, donec in reliquos fere omnes ſæviit. Qui valetudinis ſalutisque

que suæ solliciti fuerunt, ac in tempore, spretis præposteris medicationibus, meam postularunt curam, ad unum omnes convaluerunt. Incepi, prævio unico *sudorifero*, pro ætatis diversitate, prima & secunda jam die *a V. S. in brachio*, quam sequenti die pro rei exigentia *in pede*, *ante exanthematum eruptionem*, repetii. *Alexipharmaca*, (malignitatis enim hic summa est habenda ratio,) *sudorifera ex spec. de hyacinth. Liberant. ♁ diaphor. C. C. philos. præpar. lap. bez. orient. mithridat. &c.* mutatis mutandis, singulo octihorio exhibui cum sudoris imperio. Quamprimum mentem adverti vacillantem, imminentis delirii prodromum, *Vesicatoria* nuchæ pedibusque imponi jussi, addidique *pulveribus sudoriferis confortantia*, nec non *epileptica*, *v. gr. pulv. epilept. March. unicorn. mar. specif. cephal. Mich. mag. ungul. alc. perl. &c.* Nimiis vigiliis ac deliriis summis *mistura mea ex mithridatio cum conf. alkerm. pulv. epilept. de gemm. frig. aut analept. &c. Sir. papav. in aqu. solut.* ut plurimum vesperi, & quidem cum fructu obviam veni. *Alvi fluxum stypticis* quandoque singulo trihorio aut quatrihorio exhibitis compescui: obstructionem *enematibus* sustuli. Cum calores p. n. decrescere inceperunt, quod sæpissime sub initium decimi quinti diei contigit, contentus fui solis *pulveribus præcipitantibus*, *v. gr. spec. de gemm. frig. ♃ analept. C. C. philos. fl. nitr.* quotidie semel aut bis in usum vocatis. Vinum ac cerevisiam prohibui, concessique solum *aquam ex ras. C. C. ebor. sem. fœnicul. rad. scorzon. coctam.* Reliquis symptomatibus ex suis fontibus prospexi. Sub initium quartæ septimanæ, appetitu jam redeunte, ne in priorem morbum reciderent, dedi *Laxativum.* Et hac methodo, DEO sint laudes, omnes petechiis etiam pessime decumbentes, excepta unica persona, servati sunt. *Morbilli* mense *Junio*, *Julio*, omnes fere pervaserunt domos, & observavi illos *epidemialiter* grassatos, primis quatuor diebus utplurimum gravissimos, apparente efflorescentia, quæ elapso quatriduo evanuit, levissimos. Quibus legitima adhibita fuere remedia, *expellentia* nempe, *sudorifera*, *v. gr. pulv. alexit. lap. bez. C. C. philos. unicorn. mar.* omnes stando quasi ac deambulando morbum evaserunt. Qui in cura sunt neglecti, aut male tractati, etiamsi convaluerunt, elapsis aliquot septimanis, aut in *febrem* inciderunt *exanthematicam*, (quam *Rossaliam* nominare solemus, & consistit in maculis rubris, latissimis, in toto corpore densissimis, erysipelas quasi universale referentibus, post quartum diem evanescentibus, & squammularum instar decidentibus, cum ægri alleviatione,) cum caloribus continuis, siti magna, aliquando deliriis, nemini exitiosam; aut reportarunt *tumorem flatulen-*

tulentum totius corporis, permultis funestum. Notavi simul, quando unus aut duo in domo morbillos superarunt, decimo demum quarto aut quinto alios ejusdem domus in ægrotantium locum successisse, adeoque morbillosum contagium serpiens a 14. in 14. delituisse ac substitisse. *Mense Junio, Julio*, frequens fuit *Icterus*, cum aliquali alteratione, appetitu dejecto, nausea, siti, oris amaritudine, deturpato cutis, inprimis oculorum, colore, pruritu, urinis croceis, cerevisiæ brunaceæ similibus, turbidis, excrementis quandoque flavis, copiosis, sæpissime albis, cinericiis. Obstructionem ductus choledochi reseravi, bilemque in massam sanguineam, ac in habitum corporis jam derivatam reduxi, ejusque acrimoniam salino-sulphuream excessivam correxi *aperientibus salibus ex pulv. hepat. Tartar. Vitriolato, sale cichor. acetosell.* additis *granis aliquot diagrydii.* Instar omnium fuerunt *acidulæ Croaticæ*, quibus bilem sufficienter dilui, atque felicissime spatio 2. aut 3. hebdomadarum ictericos restitui. Præter *hydropes*, *calculos*, *podagram*, *arthritides &c. tempore autumnali* more solito, *Quartana* prodiit *contumacissima*, quam, si *Venæsectione*, *purgatione*, diebus paroxysmorum instituta, nec non *medicamentis Antifebrilibus chinatis* ter aut quater exhibitis infringere nequivi, reliqui intactam, optime gnarus, multitudine atq; frequentia medicamentorum facile ad *Cachexiam ac hydropem* disponi, adeoque magis destrui. *Naturæ* igitur opus hoc commisi, atque expectavi *æquinoctium vernale*, quo tempore natura, uno vel altero medicamento adjuta, quandoque per se febrem hanc felicissime subigere solet.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1699.

DE Japonibus scribit *Wilhelmus ten Rhyne, Dissert. de Arthrit. in suis notis, p. m. 92.* quod quidem *pestem* ignorent, *variolas* tamen timeant, cum ipsis maxime sint contagiosæ, atque sæva & multiplici hominum strage illorum terras depopulentur, ut major etiam mortalium pars his in Japonia aliquando succumbat, quam peste alibi, atque idcirco præ labis istius metu, parentes liberos, mariti uxores, & quæcunque dulcia sunt vel sanguinis vel thori pignora, relinquant. Unde Japones & Sinæ liberis dotati, ubi interrogantur, quot soboles alant? regerunt, totidem, quot variolis jam laborarunt; reliquorum enim vitam in ancipiti locant, adeoque inter permanentes proles non numerant. Idem responsum fere a nobis hoc *anno nonagesimo nono* tulissent Curiosi, si ex uno alterove quæsivissent, quot filios aut filias habeat? Tot nempe, quot jam *variolarum* virulentiam superarunt. Etsi enim apud nos *Variolæ*

non adeo aliquando obſervantur funeſtæ, hac tamen *hyeme auſtrali, tepidiori ac humidiori* plus minus exiſtente, illæ, peſtis inſtar, in infantes & adultiores furere cœperunt, eosque pro diverſitate tempeſtatum, magisve vel minus maligni ætheris, nec non humorum in corpore exiſtentium, varie affecerunt. Inceperunt modico cum horrore, quem excepit calor intenſus, pulſus fortis, oculi turbidi, ſitis intenſa, aliquando jactatio inquieta, ſternutatio frequens; nonnunquam jam primo aut ſecundo ebullitionis die apparuit una vel altera puſtula in facie, dorſo, utplurimum vero ſub finem tertii aut initium quarti diei eruperunt *variolæ*, primum rubræ, exiles, rotundæ, figura nempe, colore & magnitudine regulari, cum febris ſymptomatumque, etiamſi hactenus fuerint graviſſima, atque nervoſo generi periculoſiſſima, remiſſione, aut notabili diminutione. Hæ turgidæ maturuerunt brevi, juſtoque tempore exaruerunt jam incruſtatæ. In quibusdam ſubjectis puſtulæ fuerunt admodum raræ, ſolito tamen majores, hinc inde ſparſæ, valde diſcretæ, ita quidem, ut iisdem affecti in lecto vix contineri potuerint, quin deambulare voluerint, ſi ipſis conceſſum fuiſſet, quæ variolæ mitiſſimæ ac benigniſſimæ fuerunt. *Diarrhœa* nec non *hæmorrhagia narium*, diebus ebullitionis ſuborta, omnibus ſaluti fuit, detracta nempe nimium quantum ebullientis ac æſtuantis ſanguinis, nec non ſeminii varioloſi parte, quod reliquum fuit varioloſum fermentum facilius, inprimis jam laxatis venarum ſpatiis, evolvi, digeri, expellique potuit; & in his *variolas* obſervavimus diſcretas, raras, *benigniſſimas*, ſaltim hinc inde ſparſas. Qualis enim ſtatus humorum ebullientium in corpore, in primis in centro, talis quoque ſe exſeruit & effloruit in extremis, habitu corporis: unde quo pejor materia ebulliens, eo periculoſiores & deteriores variolæ. Sic ſpiritus quandoque a miaſmate varioloſo irritatos magis, quam oppreſſos obſervavimus, qui magno ſæpe conamine quisquilias ſuas ad cutem amandarunt, ſerumque virulentum repurgarunt felici eventu, tuberculis tam magnitudine, quam colore & figura regularibus enatis. Notavimus è contra ſpiritus a miaſmate hoc varioloſo diebus jam ebullitionis obrutos ac fere oppreſſos, ut amplius ſeſe ſufficienter expandere nequiverint, multo minus inquinamenta varioloſa excutere potuerint. Remanſit ergo miaſma virulentum in maſſa ſanguinea, quam ad coagulum diſpoſuit. Tingebatur quidem cuticula rubedine quaſi eryſipelacea, ac tumore afficiebatur, nulla tamen aut fere perpauca apparuere variolarum veſtigia, potius loco harum tertia jam die maculæ in facie, dorſo, natibus, pedibus, manibus, effloruerunt purpureæ, quæ exacte morſus pulicum aliquo modo obſoletos repræſentarunt, copioſæ,

piosæ, aut diebus ebullitionis, quarta nempe, antequam ulla adhuc comparuit pustula, aut ante plenam & sufficientem variolarum eruptionem, quæ semper manserunt parvæ, sessiles, depressæ, confluentes, duræ, septima die lethales. Observabatur in his pulsus debilis, catarrhus suffocativus, ob nervos affectos, insultus epileptici, subsultus tendinum, deliria, maculæ purpureæ, latissimæ, ad nigredinem spatio aliquot horarum tendentes, ante, aut post mortem largissimum sanguinis per alvum profluvium. Certissima sane summæ inflammationis in massa sanguinea latentis, nec non instantis sphaceli, adeoque indubiæ mortis indicia. Unam habui virginem octennem, in qua maculæ hæ purpureæ jam disparuerunt, ut aliqualem reconvalescentiæ spem nobis fecerint, ast tempore maturationis variolæ confluentes, inprimis in facie, manserunt sessiles, depressæ, duræ, cartilaginosæ quasi, cutis ipsa erysipelate fuit affecta, & intensa rubedine tincta, tumida, symptomata novis accessionibus febrilibus fuerunt exacerbata, quæ tandem XV. die funesto terminarunt eventu. Unicum habui puerulum 7. annorum, ejusmodi maculis purpureis una cum variolis correptum, qui hæmorrhagia narium copiosa IVta die suborta a periculosissimo atque exitiali hoc malo liberatus fuit. Reliqui omnes his *petechiis purpureis* laborantes, etiamsi ex methodo medendi ordinaria & optima, *expellentibus* nempe, *sudoriferis*, *alexipharmacis*, *bezoardicis*, *confortantibus*, *nervinis*, *antepilepticis*, *v. gr. spec. liberant. de hyacinth. pulv. pannon. lap. bez. orient. pulv. epilept. C. C. philos. unicorn. mar. diascord. Frac. mithridat. conf. alkerm. &c.* tractati fuerint, mortui sunt. Sine dubio a veneno varioloso pestifero sanguinis compages nimis fuit soluta & jam in fluorem conversa, in primis serum acre, virulentum redditum, atque dispositum non solum visceribus, sed & partibus externis, mediante efflorescentia, necrosin induxit funestam. Neque *gravidæ*, licet alias naturæ consilio a morbis epidemiis immuniores sint, quam alii, ab hoc variolarum contagio fuere immunes, imo decuberunt pessime; hæ semper sexta aut septimana die *abortum* passæ sunt cum *magna Uteri hæmorrhagia*. *Variolæ malignæ* utplurimum inceperunt cum *lumborum & abdominis doloribus*, qui si cum erupturientibus jam pustularum notis remiserunt, *boni*, sin minus, *mali* fuerunt ominis; utplurimum enim in his variolæ aut non sufficienter eruperunt, aut, si prodierunt, confluxerunt, & tempore maturationis depressæ manserunt, sæpe refugerunt & in fauces gulamque copiosæ incubuerunt, *catarrhumque lethalem*, inprimis circa morbi statum, induxerunt. In permultis salivationem in eruptione, & post eruptionem, observavimus copiosam, qualis a mercurio assumpto oriri solet. *Diarrhœa* diebus

 matu-

maturationis oborta, *pessima* fuit, natura enim jam debilitata, & in negotio maturationis impedita, deducendo aliorsum materiam variolosam succumbere debuit, variolis nempe non bene maturatis, quin potius collapsis, aut *catarrhus*, aut *convulsiones* supervenerunt funestæ. Respiratio anxia, interrupta, vel sublimis, inprimis in morbi statu semper fuit convulsiva, & indubitatum signum malignitatis, quæ nullis medicamentis expelli potuit, quin potius humores in suo motu impedivit, atque sic lethalitatem intulit. Observavi in filiolo trium annorum, tempore eruptionis, die tertia & quarta morbi, summam extremorum, pedum nempe, manuum ad carpum usque, nasi refrigerationem, sine ullo sudore, cum pulsu debili, calorem vero in reliquo corpore sufficientem ac præternaturalem. Metui sanginis recursum, caloris languorem, & necrosin imminentem, adeoque frigus hoc brevi fore morticinum, inprimis materia variolosa in centro retenta minusque expulsa, exhibitis tandem *expellentibus* variis, *bezoardicis*, nec non *linteis calide applicatis*, spatio bidui rediit ad extrema calor, variolæque prodierunt copiosissimæ cum summa symptomatum alleviatione, & maturatis tandem variolis, vitæ conservatione. *Mense Aprili*, *Majo* notabantur *morbilli*, qui, si ex methodo tractati fuerunt, sudorque successit ex voto, in omnibus *benigni*, neque efflorescentia inflammatoria diutius mansit, quam per quatriduum; quo tempore una cum maculis squammarum ad instar deciduis, calor cessavit penitus. Observavi autem in quibusdam morbillosam hanc inflammationem effloruisse in dorso & facie ad instar herpetis, cum pustulis splendentibus, mox in rubedinem morbillosam ordinariam variæ figuræ abeuntibus. Fuerunt exanthemata hæc morbillosa mali moris, adeoque in cura probe attendenda, & *expellentibus*, *sudoriferis*, *alexipharmacis* sedulo tractanda. *Mense Aprili*, *Majo*, *Junio* frequentes fuerunt *febres petechiales malignæ*, quæ invaserunt cum horrore levi, nec manifesta sanguinis æstuatione, sed calore mitiori, quem aëris injuriis adscripserunt ægroti, neque crediderunt se ægrotare, donec calor, hactenus effectum suum occulens, ingravescere viresque vacillare cœperint, ut jam ægroti decumbere coacti fuerint, magno cum damno suo tamdiu contranitentes. Accessit anxietas præcordiorum, sitis immanis, capitis dolor, vigiliæ, linguæ scabrities, deliria aliaque symptomata. Qui ab initio *Venæsectiones* admiserunt, medentumque opem implorarunt, atque dicto præscriptove audientes fuerunt, evaserunt omnes; qui vero neglexerunt curam, eamque demum die VI. aut VII. inchoare voluerunt, ii plerumque die XIII. XIV. XV. XVIII. XIX. mortui sunt. Quicunque a *Purgantibus*, credentes, vitium hærere in Ventriculo, curam inceperunt, ad unum omnes

omnes decesserunt, & in illis maculæ observatæ sunt longe majores ac latiores. Qui sudare ad varie assumta *alexipharmaca*, *diaphoretica*, *expellentia* in incremento & progressu morbi non potuerunt; etiamsi bene ac perite alias tractati fuerint, mortui sunt, mortem vero uno vel altero die præcesserunt *sudores spontanei*, copiosissimi, resolutivi. *Subsultus tendinum* in tangendo pulsu in statu morbi notatus semper *exitialis* fuit. *Convulsiones epilepticæ*, in primis distorsiones in ore & fronte variæ, *funestissimæ*. *Sensus hebetior*, si nempe ægroti se non laborare, sed optime valere dixerunt, *manus tremulæ*, *respiratio difficilis ac frequens*, *difficillima citra faucium tumorem deglutitio*, *inevitabilem prænuntiarunt mortem*. *Maculæ quo tardiores in efflorescentia*, *eo pejores*, unde apud quos die demum septima, aut nona, prodierunt, ut plurimum observabantur funestæ, secus, si jam quarta eruperunt. Eædem *ex rubro colore* tendentes in *lividum*, *nigrum*, extremam sanguinis corruptionem indicarunt. Circa *Solstitium*, *mense Junio*, morbus hic fuit *pessimus multisque exitialis*. Causa hujus febris petechialis malignæ, cum calor sæpe, in primis in initio, non adeo sævus fuerit in prava & maligna indole quærenda fuit, quæ citra insignem calorem vi sua corrodente partes corporis fluidas & solidas corrupit, dissolvit, destruxit, ac violentia sæpe materiam expulit, modo *per alvum*, crisi imperfecta ac funesta, modo *per insensilem transpirationem*, ubi ægroti, in primis sub finem, sudoribus fere diffluxerunt, qui fuerunt resolutivi, pessimi. Sanguinem igitur ac serum in hoc morbo coagulari ac incrassari, sæpissime ex sale corrodente maligno summam contrahere acrimoniam, ex symptomatibus abunde claret.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1700.

HOc anno insueta fere fuit aëris intemperies. *Mense Januario*, *Februario* temperatum frigus extitit, *mense Martio*, nec non *Aprili* fere toto tempestas nivibus & gelu sæviit, quo tempore grassari cœperunt *febres continuæ exanthematicæ*, solis *confortantibus*, *blandissimis diaphoreticis remixtis*, tractandæ. Etenim, qui more solito assumserunt & continuarunt *sudorifera*, *ex spec. de hyacinth. Liberant. ♉. diaph. ⊖ volat. C.C. mithridat.* illi omnes, viribus exinde exhaustis, & convulsionibus subortis migrarunt ad superos; qui vero in principio tractati sunt *Venæsectione*, deinde *blandioribus diaphoreticis*, utplurimum tamen *confortantibus & epilepticis*, *v. gr. pulv. epilept. M. specif. cephal. pulv. analept. mag. gran. kerm. perlar. C.C. unicorn. mar.*

con-

convaluere omnes. Calores non adeo intensi fuerunt, debilitates vero summæ cum vigiliis, sudoribus spontaneis, pulsu celeri, frequenti, tremoribus nec non motibus convulsivis. *Mense Junio, Julio* plures pluviosæ notabantur dies, quam serenæ; *mensis Augustus* & *medius September* fuere serenissimi, calidissimi. *Reliquo medio Septembri* & *toto mense Octobri* tanta pluviarum fuit frequentia, ut post hominum memoriam his mensibus visæ non fuerint crebriores. Si enim de die non pluit, certe de nocte pluit, imo post 14. dies pluviosos vix duo sereni apparuerunt, quos statim pluviæ exceperunt continuæ. Per has igitur insuetas anni constitutiones sævierunt *Tusses, rhevmatismi, febres*, in primis *quartanæ*, quæ in vicinis nostris locis fuerunt *epidemicæ, apoplexiæ ipsæ;* apud infantes frequentes fuerunt *variolæ erraticæ.* Senes experti sunt *debilitates summas* instar *febrium continuarum*, sed *benignarum, recurrentes*, quæ *solis confortantibus medicatis* cesserunt.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1701.

Annus ineuntis hujus seculi incepit eadem inconstantia, qua ultimus annus seculum finivit. *Januario* quippe & *Februario* frigora uno vel altero die notabantur intensa, tertio vel quarto valde remissa, unde ex insuetis his anni mutationibus ortæ sunt *defluxiones biliosæ in brachiis, osse ischii, pedibus*, summe dolorificæ, utrique sexui infestæ. *Rhevmatismi hi biliosi sudoriferis* neutiquam tractari debuerunt, utpote quorum usu dolores semper exacerbati sunt, meliori vero successu *digestivis ex salibus, v. gr. pulv. hepat. rubr. ⊖ cichor. acetosell. ♀ vitriolat. diagryd. sulphurat.* quotidie adhibitis obtemperarunt, & intra XXIV. dies evanuerunt. *Martius* fuit valde benignus, *Aprilis* vero & *medius mensis Maji* ob frigora infantibus funestus, hi nempe valde infestabantur *Vomitibus, catarrho suffocativo, colicis convulsivis, epilepticis.* In *Junio* nil occurrebat notatu dignum, nisi quod mane hoc & præterito mense rorem in foliis arborum, in primis prunorum, instar mellis, nostrates vocant Hönigthau, eumque fructiferum indicare annum credunt, copiosum observaverimus. *Julius* totus exæstuavit, nil tamen mali, quod mirum, produxit, nisi *febres tertianas*, (quæ sexto paroxysmo abierunt,) & in senibus, adultis ac infantibus *pustulas*, sive *exanthemata miliaria*, quæ occuparunt totum corpus cum molestissimo pruritu. Causa sine dubio quærenda in efferationibus biliosis, in primis lympha ab externo calore valde intenso evocata, sed facile *refrigerationibus, v. gr. spec. de gemm. frig. fl. nitr. lap. cancr. &c. & balneis hordeaceis*

ceis repreſſa ac contemperata. Toto menſe *Auguſto* calores fuere intenſiſſimi, pluviæ pauciſſimæ, fere nullæ, noctes ſimul calidæ. Jam valde graſſari cœperunt *febres* cum frigore duarum, aliquando trium horarum, inſecutus eſt ſtatim calor ultra 40. horas durans cum capitis dolore, ſiti, virium proſtratione, linguæ ac faucium ariditate, vigiliis, quandoque deliriis, ut juraſſes *febrem* imminere *continuam*, ſed poſt adhibita *ſudorifera*, *Venæſectionem*, remiſit calor, atque in *intermittentem febrem*, ita tamen, ut vix aliquot horæ inter paroxyſmum & apyrexiam interjectæ fuerint; & ſic una febris excepit alteram, afflixitque diu infirmos; rariſſime enim ante nonum paroxyſmum terminavit. Si *Venæſectione*, *diaphoreticis & præcipitantibus*, cum malignitate non caruerit, rite tractabatur, nulli fuit funeſta. Febres hæ maxime ſævierunt *menſe Septembri*, quem obſervavimus calidiſſimum, ſicciſſimum, ſine ullis pluviis. *Menſis Octobris* incepit cum pluviis, quæ per aliquot durarunt dies, inſequentibus mox caloribus inſuetis, ac vix poſt hominum memoriam notatis. Continuaverunt æſtuoſiſſimi dies per *Novembrem* fere totum, ita, ut nullus ſenum tantæ æſtatis & autumni calidi & conſtantis recordari potuerit, unde optimum & generoſiſſimum crevit vinum, quod tamen ſucceſſu temporis minus generoſum evaſit. *Morbi* fuere *pauci*, iique utplurimum *ordinarii*. *Sub finem Decembris* exaſperatum fuit cœlum, & terra frigore obriguit.

Conſtitutio Epidemica Sempronienſis Anno 1702.

HAc hyeme permutata quaſi videbantur tempora. Frigora intenſa ſolum durarunt ad ſextum *Januarii* diem, ſeptimo ſupervenerunt pluviæ, ſubſequentibus diebus nebulæ, cœlum turbidum, mox ſerena, calida tempora. Toto *Februario*, exceptis vehementiſſimis ventis, eadem fuit cœli facies, nullum frigus, nullæ nives, utplurimum ſiccitas, ſerenitas, ut crediſſes, imminere æſtatem; nocturno quidem & matutino tempore quandoque aura obſervabatur frigidiuſcula, ſole tamen oriente ſtatim fuit temperata, unde jam *medio Februarii* habuimus flores violarum, nec non flores ceraſorum acidorum. *Morbi* his menſibus, præter *catarrhos frequentes* vix notabantur alii. *Martius*, qui inſecutus eſt, fuit ſiccus, quandoque ventoſus, pluviæ, quæ oboriebantur, fuerunt temperatæ, fertiles. Hujus initium *phthiſicis*, *hecticis*, *hydropicis* valde fuit funeſtum. Circa *æquinoctium vernale* inceperunt copioſæ inter pueros graſſari *febres continuæ*, utplurimum *malignæ*, *petechiales*. Invaſerunt illos leviſſimo rigore, laſſitudine ſpontanea, ſuccedente

dente calore non adeo magno, subinde remittente, sed tertio aut quarto die vehementius recurrente, quo utplurimum in conspectum venerunt exanthemata, deliria brevi post comparuerunt, in quibusdam vehementia, & quidem cum vigiliis, in quibusdam breviora, maculæ erant parvæ instar morsus pulicum. *Febres hæ epidemicæ diaphoreticis, præcipitantibus & confortantibus temperatis*, non *sudoriferis fortioribus*, tractatæ, nulli fuerunt funestæ, sed valde *contagiosæ*. In *adultioribus*, utpote viris, *maculas* utplurimum observavimus *latas*, successerunt statim deliria, convulsiones, epilepsiæ, & his fere omnibus decima tertia dies fuit exitialis. Duravit epidemica hæc lues in *Junium* usque, quæ sine dubio magnis siccitatibus cum Hippocr. 3. Aphor. 7. adscribenda. *Aprilis* plerumque fuit serenus, calidus, subinde ventosus, frigidus. Hunc excepit *Majus* frigore quidem moderato, sæpe tamen, præsertim Borea inferspirante, rigidiusculo: fuit variabilis, nunc calidus, nunc turbidus, pluviosus, mox frigidus, ventosus, unde vitis justo tardius & inæqualiter gemmas suas protrusit. Frequentes hoc mense fuerunt *arthritides vagæ*, quæ solo reiterato *Laxantium*, minus *sudoriferorum*, usu tractari voluerunt. *Julius* fuit valde temperatus, calidus, ut & *Augustus*, si exceperis imbres & tonitrua horrendo fragore & fulguribus, in primis noctu, *mense Augusto* frequentia, & grandinibus insolitis, quæ aliquoties, præsertim die 12. 13. 18. promontoria nostra fere omnia, & quidem optima, valde destruxerunt, remixta. Fructus omnes horæi valde fuere insipidi, humidi, & ad putredinem proclives. Unde frequentes habuimus *febres*, primo intuitu *continuas mentientes*, adhibita tamen *Venæsectione* & *sudoriferis*, tertio & quarto die in *intermittentes tertianas* degenerantes, tandem *præcipitantibus & Laxativo* brevi consopitas. *September* comparuit uno alterove die serenus & amœnus, tertius & quartus serenum diei cœlum noctu tempestuoso tonitru & fulguribus terribilibus fœdarunt. Sequentes dies mox sereni, mox turbidi, pluviosi, aliquando frigidi, in primis noctu, & notavimus circa festum Matthæi bis pruinas, sed plane innocuas. Hoc mense habuimus *Diarrhœas*, *dysenterias*, quibus, adhibitis *rhabarbaro tosto cum myrobalanis*, & dein *adstringentibus ex corall. fl. ferr. cum mithridat.* cito medebamur. *Octobris* quatuor dies initiales fuerunt sereni, amœni, calidi, his quatriduum successit frigidum, ventosum, imbridum, nivosum, autumni præludium, octava mane gelu & pruina nocentissima folia ac uvas nondum maturas in omnibus fere promontoriis decoxerunt, & millena damna fecerunt. Jam remittere cœpit frigus, & cœlum ad aliquot dies inclaruit. Circa *medium mensis* fere octo turbidi, nebulosi, solis expertes, notabantur

bantur dies. Tandem circa 20. exortis ventis, nebulisque discussis cœli facies mutari cœpit, æstasque in autumno constans comparuit. Fuit enim ab hoc tempore usque ad sextum *Novembrem* serenitas, cum frigida tamen aura matutina. Septima tota die pluit, octava nix cecidit ingens; successit horridum gelu octiduum fere durans, quod & botros in copia adhuc in promotoriis existentes vix non in lapides convertit. *Medio Novembris* amœnior aura comparuit, caloreque fortiori nives uvasque glacie adstrictas solvit. Hoc tempore frequentes fuerunt *febres*, quæ nullum servarunt typum, quin potius *febres malignas* mentitæ sunt. Invaserunt cum horrore, caloribus primis diebus fere continuis, summo virium languore, capitis dolore, siti, oris amarore, siccitate linguæ. Adhibitis *Venæsectione & sudoriferis blandis*, tertia vel quarta jam die terminarunt in *intermittentes*, quarum paroxysmos *arcana duplicato, sale Card. Ben. cort. chin. de chin.* ac tandem *levi laxativo* suppressimus. In his notatu dignum fuit, quod, etiamsi valde post febres comederunt, vires tamen per longum temporis spatium recuperare nequiverint. His mensibus copiose grassari cœperunt inter pueros & puellas *variolæ*, quæ observabantur modo *benignæ*, modo *malignæ*, confluentes, depressæ, adhibitis *blandis diaphoreticis*, sanguinem contemperantibus, v. gr. *pulv. alexit. C.C. philos. pulv. epilept. spec. de hyacinth. unicorn. mar.* aliquando, si exire noluerunt, addito *sale volat. C. C.* nec non *lap. bezoar*; nulli funestæ. Accuratam insuper symptomatum rationem habere debuimus. Sic accidit, ut puerulus V. annorum ex variolis malignis convalescens in *gingivis superioribus* reportaverit *ulcuscula*, quæ primo intuitu ab adstantibus pro *aphthis*, Mundfäule, judicata & tractata sunt, elapso 24. horarum spatio corrosivitate sua magnam jam maxillæ superioris & inferioris occuparunt partem cum summo fœtore & nigredine, maximoque imminentis *sphaceli* periculo. Adhibuimus frequentiores *injectiones ex decoct. rad. aristoloch. iridis flor. mastiche, thure, mundificantia, balsamica, v. gr. elix. Propr. sine acido, bals. peruv.* quibus tandem corrosivitas, fœtor, nigredo recessit, & puerulus pristinæ sanitati restitutus est. Taceo *catarrhos, rheumatismos mense Novembri & Decembri* frequentes. Sine dubio morbi hi utplurimum ex lympha a varia aëris anomalia, nec non erroribus diætæ, v. gr. fructibus horæis hoc anno valde putridis, ad viscedinem & spissitatem disposita quæ in sanguine concervata eundem in tumultuarios motus concitavit deducendi.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1703.

ANni hujus principium aura temperatiori, nivibus ſtipata illuxit, paulo poſt ſucceſſit frigus intenſum, quod brevi remiſit, & in pluvias abiit. *Februario* gelu ſæviit ingens, nivesque ceciderunt ſæpiſſime, mox tamen accedente aura calidiuſcula in liquorem ſolutæ. *Martius* comparuit caloribus amœniſſimus, ſicciſſimus, quandoque tamen interveniente Euro, rigidus. *Aprilis* ſimul præter morem ſiccus fuit. Habuimus his menſibus ventos vehementes, nives copioſas, quæ terram liquore balſamico ſufficienter irrigare potuerunt. *Majus* & *Junius* fuere æſtuoſiſſimi cum pauciſſimis pluviis; unde uvæ circa feſtum Viti jam fere defloruerunt omnes. Hoc ſemeſtri notavimus *febres continuas*, non adeo frequentes, nec malignas, ſine dubio, ob vinum nimis leve ac tartareum, quod præterito crevit anno, diureticum, minus ſanguinem accendens. *Variolas* habuimus in copia, modo *benignas*, plerumque *malignas*, ſeſſiles, depreſſas, quæ tamen ſi rite *bezoardicis temperatis*, *expellentibus*, *confortantibus*, *v.gr. pulv. alexit. ſpec. de hyacinth. antimon. diaph. C.C. philoſ. præp. pulv. epilept. lap. bez. orient. unicorn. mar. mithridat. &c.* tractatæ ſunt, pauciſſimis, imo fere nullis funeſtæ. Et licet plurima tunc temporis conſpicerentur puerilia funera, cauſa tamen mortis magis adſtantium incuriæ & negligentiæ, aut medicaſtrorum præpoſteræ ac perverſæ curæ & imperitiæ, quam malignitati adſcribenda. Notatu dignum fuit, me his temporibus inter alios habuiſſe Comitiſſam valde ſanguineam, corpulentam, jam fere quadragenariam, variolis correptam. Huic ſub prima morbi invaſione, quæ erat cum rigore, caloribus, cordis compreſſione, virium languore &c. curavi aperiri *medianam*, præſcripſi *bezoardicos expellentes pulveres* more ſolito, *pulv. alexit. C.C. philoſ. lap. bez. orient. unicorn. mar. &c.* & ecce præter omnium expectationem tertia & quarta die erupere per totum corpus *variolæ* copioſiſſimæ, ſexta acceſſit *immodicus menſium fluxus* ad inſtar puerperæ, retroceſſerunt ilico variolæ, quæ absque hoc fuere depreſſæ, ſeſſiles, confluentes, verbo, peſſimi moris. Mutavi medicamenta, dedi frequenter *ſpec. de hyacinth. corall. rubr. terr. ſigill. mithridat. mag. ſmaragd. pulv. epilept. M.* non omiſſis *confortantibus*. Fluxus hic immoderatus continuavit octiduum, nec *ſtypticis* ſiſti potuit: durante fluxu variolæ non creverunt, nec ad maturitatem tendere voluerunt, ſed confluxerunt, majoraque conciliarunt ſymptomata, etiamſi *expellentia*, *bezoardica*, *antepileptica ſtypticis* ſemper conſideratiſ-

ſime

ſime miſcuerimus; octiduo elapſo fluxuque cohibito tandem parvulæ hæ variolæ, non faſtigiatæ, maturitatem receperunt, ſymptomata remiſerunt, & Illuſtriſſima Comitiſſa a varioloſo hoc affectu, periculi pleno, præter omnium opinionem ac ſpem, liberata eſt. Variolæ hæ permultorum oculis valde fuerunt infeſtæ, & modo *inflammationem* reliquerunt pertinacem, modo *humorem depoſuerunt contumacem*, ac coagulationi vel condenſationi aptum. Priori feliciter medebamur *aquis ophthalmicis ex aqu. plantag. roſar. chelid. tut. præp. ſach. ſaturn.* posteriori inflatione *pulveris ſubtiliſſimi ex ſach. canarienſ. antim. crud. lap. ſciſſil. præp. perl. præp.* & ſi opus fuit, *Veſicatoriis.* His menſibus varios atque diverſos notavimus *hæmoptoicos*, tam ſenes, quam juvenes; in quibusdam enim ſanguis ἀθρόως καὶ βιαίως ad aliquot libras *ſine ulla prægreſſa tuſſi* excretus eſt, & in his fere nulla adfuit irritatio, ſed ſanguis floridus lubricavit ſibi ipſi viam, & unica irruptione extravaſatus per os affectavit exitum; in quibusdam *quaſi extuſſiendo* ſanguis pedetentim rejectus eſt, in his ſine dubio vaſa pulmonum fuerunt eroſa, & ſalinæ particulæ maſſæ ſanguineæ inexiſtentes teneras pulmonum veſiculas ſtimularunt, inde irritatione facta tuſſis producta fuit cruenta. His feliciter ſubvenimus *Venæſectione* & *medicamentis adſtringentibus ex compoſ. ſperniol. Cr. lap. hæmatit. ocul. cancr. trochiſc. de ſpod. de carabe*, addito *laudano de tribus* in refracta doſi. Si ſanguis fuit ſedatus, ordinavi *pectoralia travmatica cum reſolventibus mixta*, *v. g. elix. pectorale cum eſſ. travmatica*, nec non *decocta pectoralia ex fl. & fruct. pectoral. uſitat.* item *gelatinam pectoralem ex raſur. C. C. ebor. cum herbis pectoralibus* factam, it. *decocta ex herb. alchymill. ſcabioſ. pyrol. ſanicul. millefol. tuſſilag. pulmonar. heder. terreſtr. rad. tormentill. ſem. aniſ. fænic. rad. chin. &c.* Menſe *Junio* ex caloribus inſolitis, nec non ingurgitatione aquæ frequentiori adultiores æque ac juvenes reportarunt *febres tertianas* frequentes, ſed ſumtis *ſalibus abſinth. centaur. min. card. ben. cort. peruv.* ac tandem *purgante* brevi curatas. *Julius* non tam amœnus & ſerenus fuit, quam pluvioſus, nocte dieque frigidus, ventis ſumme moleſtus, qui in primis a die quarto ad octavum valde ſævierunt, & frumento, quod violentia ſua excuſſerunt, quam maximum intulerunt damnum; circa 24. ad finem usque calidiſſimi notabantur dies. *Auguſtus* incepit cum frigore, pluviis, quæ hoc menſe fuerunt copioſæ, flante tamen auſtro ſuos alternavit dies, fuitque variabilis & inconſtans. *September* extitit ſereniſſimus, amœniſſimus cum inſolito aëris fervore, quandoque pluviis intemperiem ſolis contemperantibus atque terram irrigantibus. *Octobris* primi octo dies fuerunt pluvioſi, frigidi ſimul, hoc tamen non obſtante, tertia & ſexta

die observavimus tonitrua & fulgura, elapso octiduo cessarunt pluviæ, & subsolanus superveniens radiis solaribus non solum terram madidam siccavit, sed & botros a nimiis pluviis jam putrefactos valde exsiccavit, illosque in pulveres fere redegit. Toto *Novembris*, nec non *Decembris* mense cœli temperies notabatur placidissima, ut crediđisses vernum adesse tempus. Circa natalitia intensum frigus ingruit, terraque congelavit. Frequentes hoc semestre *biliosas* notavimus *febres*, quæ cum rigore, mox caloribus, vomitibus, præcordiorum angustiis pueros æque ac adultos invaserunt, primoque intuitu *continuas* mentitæ sunt. Duravit calor utplurimum 40. horas cum dolore capitis, siti vehementi, ariditate linguæ ac faucium, adhibitis vero *Venæsectione*, *diaphoreticis*, remisit, & in *ordinariam tertianam* cum apyrexia degeneravit, atque *antifebrilibus salibus*, nec non *chinatis* rite tractata sexto paroxysmo cessavit. Memini, me plurimos habuisse, qui octavum sustinuerunt paroxysmum, & hi ex febre reportarunt *icterum*. Color hic non adeo flavus, sed saturatior & fuscus fuit, sine dubio a particulis acribus, biliosis, sulphureis, quæ copiosius in sanguine collectæ tandem in habitum corporis sese diffuderunt, cutemque deturpato imbuerunt colore. Alvus in his omnibus sufficienter suo fungebatur officio, indicio, porum choledochum in duodemi & jejuni confinio non fuisse obstructum. His feliciter, & quidem intra paucos dies medebamur *pulveribus ex sale cichor. arcan. dupl.* aut *tartar. Vitriolat. spir. salis coagulat. pulv. hepat.* additis nonnunquam *aliquot granis diagryd. sulphurati.* Verissimum itaque est *Dioclis* monitum, notante *Celso*, prodesse nempe *icterum*, si post *febrem* oritur. His temporibus aliquos notavi *cachecticos*, nec non *hydropicos*, qui in *icterum flavum* inciderunt, quorum superiora corporis marcescebant, & mirum in modum flavescebant, tumentibus interim inferioribus & abdomine. Vesiculæ in horum pedibus obortæ stillabant liquorem summe croceum. Causa sine dubio salibus lixiviosis sulphur sanguinis ita modificantibus adscribenda. Cura ad tenacissimas obstructiones tartareas, & dyscrasiam viscerum dirigi debuit, & profuerunt in specie *martialia*, *pulvis cachecticus*, *Tinctura mart. aperit. Mynf. spir. aperit. Penot. Purgantia* singulo octiduo semel exhiberi debuerunt, v. gr. *Recipe pulv. rhabarb.* ℈j. *gialap.* ℈ß. ⊖ *absinth. gr. vij. g. g. grij. ol. mac. gttj. M.* Quodsi venter a *laxantibus* observabatur detumescere, bis cum successu singula hebdomada pro exigentia symptomatum & ratione virium propinari potuerunt; sin tumor post purgantium usum in eodem statu mansit, aut infirmus naturæ ductu frequentes dejectiones sine alleviatione habuit, abstinendum fuit a purgantibus. *Diuretica* in his casibus

bus alias omnem absolvere videntur paginam; hic tamen cum summo judicio & discrimine adhiberi debuerunt, & si unquam, certe hic, urinæ status probe considerandus fuit. *Urina* enim *cruda, alba, tenuis* testabatur de sanguinis textura valde laxa, & hæc pro medela requirebat *salia lixiviosa*, utpote *sal stipit: fabar: ononid: junip. ebul. absinth. tart. vitriolat. spir. sal. coagul. &c. Urina rubra* docuit sanguinis texturam esse valde strictam, atque abundare salibus lixiviosis, unde præscribi debuerunt *salia volatilia*, v. gr. *succin:* ⊖ *volat. tartar. bufon. lumbric. terrestr.* in primis *amara*, *decoctum ex herbis, absinth. mij. eupator. marrub.* ā ℥ß. *bacc. junip. mj. rhapont. ver.* ℥ß. *m. pro infuso &c. Scroto tumenti* maxime profuit *decoctum ex fol. rut. absinth. menth. mil. cumin. cum vino* factum, & cum spongia calide applicatum. *Febres petechiales*, quæ observabantur, fuerunt valde *benignæ*. Alias, præter morbos ordinarios, *catarrhos* nempe, *tusses, raucedines &c.* nil memoratu dignum occurrit.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1704.

JAnuarius ineuntis hujus anni totus fuit valde frigidus, nivosus; *Februarius* e diverso præter morem temperatus, utplurimum serenus, aliquando pluviosus, aliquando ventosus, quandoque nivosus. *Martius* incepit cum intenso frigore, solis tamen splendore atque serenitate temperato; quinta nix cecidit copiosa, quæ sexta jam in liquorem abiit, septima supervenit tempestas tumultuaria, valde nivosa, octava dies fugatis nubibus purgatoque aëre mira illuxit serenitate, quæ tempestas pulcherrima, ventis mitioribus remixta, sicca, non solum ad *æquinoctium vernale* duravit, sed & uno quasi tenore in *Aprilem* usque continuavit. Imo *Aprilis* sua natura alias variabilis, hoc anno fuit amœnissimus, serenus, siccus, absque pluviis fere, cum caloribus ad finem usque prope æstivis: die 27. tonitrua & fulgura ingentia cum pluviis habuimus, sol tamen nubila mox serenavit, unde arbores justo citius folia & flores emiserunt suos. Tertia *mensis Maji* dies incepit cum pluviis, quas secuta sunt frigora, & quinta pruina matutina, quæ vineis nostris maximum damnum intulit, alias totus mensis fuit serenus, calidus, siccus, ventosus. Successit *Junius* serenissimus, siccissimus, pluviarum expers, ventis tamen mixtus. His mensibus, inprimis superioribus, Morbona æque ac Bellona apud nos valde sæviit. Hungari quippe a Nostris deditionem civitatis sollicitantes, sed repulsam reportantes rabie velut accensi hinc inde discurrerunt, nobisque excidium minati sunt. Civitatem d. 18. Febr. e longinquo obsidione cinxerunt

xerunt, eam tamen supervenientibus adversis cœli tempestatibus, nivibus nempe & ventis insolitis, intra biduum solvere coacti sunt, interim IX. septimanis nos undique tenuerunt conclusos, ut nullus exire ausus fuerit. Milites Cæsarei frigoribus & militaribus laboribus, inprimis tristi esuritione & aquæ potu valde hactenus debilitati, huc tandem in defensionem civitatis dispositi ad novi desuetique cibi ac vini copiam, quæ miseris nostri large obtulerunt, gravati in periculosos inciderunt *morbos*, *castrensibus non absimiles*. Conquesti sunt de *languore totius corporis*, *nausea*, *stomachi gravedine*, *caloribus*, *siti*, *dolore capitis*, *vigiliis*, accesserunt *deliria*, aliquando *alvi fluxus*, nonnunquam *petechiæ*. *Venæsectio* prima aut altera die instituta, nec non *sudorifera ex spec. de hyacinth. C. C. philos. lap. cancr. antim. diaph. &c.* sæpe in herba suppresserunt malum, unde ægri intra quatriduum convaluerunt. *Purgantia* & *Vomitoria*, etiam in principio adhibita, non conduxerunt, morbum potius exasperarunt, & malignitatem latentem evocarunt, quam tandem *expellentia*, inprimis *mithridatium cum confect. alkerm.* & *confortantia* diu continuata sustulerunt. Qui methodo ordinaria fuerunt tractati, evaserunt omnes periculum; qui autem citius justo nosocomiis valedixerunt, etiamsi fere nullos in diæta errores commiserunt, utplurimum in priorem morbum reciderunt. Inter hos unus *febre maligna* laborans ex delirio furibundus prosiliit e lecto, & per fenestram secundæ contignationis sat altæ in fluentum præcipitem sese dedit, in aqua hinc inde discurrit, defatigatus tandem, & exanimis fere in lectum deportatus, adhibitis *alexipharmacis*, *sudoriferis*, *confortantibus* convaluit. *Morbus* hic *epidemius* a victu profectus primo mense militibus gregariis inhæsit, brevi post cives, qui curis, laboribus, frigoribus, excubiis diurnis & nocturnis insuetis defatigati vino horno, generosissimo, dulci, etiam nocturno tempore præter morem indulserunt, invasit, atque in *febres malignas petechiales* degeneravit. Sanguis quippe una cum reliquis humoribus ex erratis vitiosam diathesin nactus facillime malignitatem concipere potuit. Inceperunt *mense Februario* cum languore summo, calore moderato, qui in dies crevit, vigiliis, siti intensa, aliisque febrium comitibus symptomatibus. In his si exanthemata prodierunt die quarta, evaserunt omnes rite tractati periculum die XV. secus si maculæ in conspectum venerunt die septima: infirmi enim periculosissime tunc temporis debuerunt, & 21. demum die mortis periculo liberati sunt. *Mense Februario* valde *benignæ* fuerunt *petechiæ*, *Martio* pejores, *Aprili* pessimæ. Observavi in quodam juvene sat robusto petechiis laborante, *pustulas* XIV. morbi die exeuntes *pellucidas*, ceu *crystallinas*, partim *milii seminiis*,

partim

partim *lentis*, imo multas *pisi* magnitudine hinc inde per totum corpus disseminatas, in dorso vero numerosissimas, *aqua plenas*, summe *malignas;* intendebatur enim febris cum anxietatibus, cordis compressionibus, convulsionibus; albescere tandem hæ vesiculæ & suppurare ceperunt, hinc exiccatæ jam exaruerunt, & squamatim circa 21. diem deciderunt, quo tempore pauperculus morti jam vicinus, præter omnem spem feliciter enavigavit periculosissimam hanc charybdim. In *fœminis* semper notavi *mensium fluxum*, aliquando *diarrhœam* simul, quæ omnibus fuit *funesta*. *Deliria præmatura* fuerunt *exitiosa*. Sic robustus quidam Vir 45. annorum, quinta morbi die incepit delirare, sexta est mortuus; & fœmina triginta annorum similiter robusta tertia die delirans, quarta est mortua. Horum sanguis prima & secunda morbi die *Venæsectione* extractus exhibuit in superficie pituitam densissimam instar crustæ vix separabilem, & croco quasi tinctam; brevi ante mortem bilis utrinque sese diffudit in totum corporis habitum; singula mortis prænuntia. In *febribus* hisce *malignis* frequens fuit *attritio* aut *excoriatio in natibus*; non solum a longiori decubitu, quin potius a sanguine suo modo malignitate corrupto deducenda, qui qua data porta, sarcinam suam deponendam & excernendam quæsivit. Latuit autem utplurimum *gangræna* & *sphacelus*, caroque tandem adhibitis adhibendis, v. gr. *unguent. ægyptiac.* ad os usque excidit cum ægrorum levamine. *Mense Februario morbilli* epidemice grassari cœperunt, qui tamen ex methodo tractati *benigni* fuerunt, *instante æquinoctio verno* indies magis invaluerunt, & invaserunt infantes æque ac adultos, & puerperas, cum horrore, caloribus summis, stillicidio lachrymarum copioso, mordaci, oculorum rubore ac tumore, cum tussi ferina, gravitate & compressione pectoris, maculæ effloruerunt utplurimum secunda morbi die, aliquando quarta, quandoque septima, & perstiterunt quatuor aut quinque dies. Observavi hoc tempore *morbillorum tres species*, *maculas* nempe *latas*, *rubras*, sine pustulis, adeoque *non elevatas*, *neque superficiem cutis superantes;* altera species *cutim solum transparuit*, & hæ duæ species inadvertenter evanuerunt, quas vulgus retrocessisse putabat; tertia prodiit cum *maculis parvis*, *rubris*, quæ in dies auctæ, & *supra cutis superficiem modicum elevatæ* racematim coaluerunt, quarumque protuberantia, digito leviter admoto, tactu percipi potuit; post quinque dies, morbo jam remittente, maculæ per totum corpus latissimæ & maxime rubentes evanuerunt, atque squamularum forma deciderunt, cute farina quasi conspersa relicta. *Morbilli* quo citius prodierunt, eo benigniores, quo tardius, eo pejores fuerunt. Incessit sæpe hic morbus sub vario schemate, vario stipatus satellitio. Sic

mense Aprili ad puerperam vocatus deprehendi *morbillos* copiosissimos, protuberantes, quibus interspersæ fuerunt *maculæ petechiales*, deliravit valde, imo tubarum in vicinia inflatarum cantus & pulsati tympani sonos, inter difficultates somni per phantasiam oblatos articulate imitata fuit, frequenter risit, convulsa & aphona tandem jacuit, neminem novit, 15. tamen morbi die, adhibitis *expellentibus alexipharmacis temperatis*, *cordialibus*, ad se rediit, atque debellatis symptomatibus gravissimis convaluit. Eodem tempore gratiosam habui puellam 6. annorum, *variolis* veris laborantem, supervenerunt nona morbi die, variolis necdum in statu constitutis, *morbilli* copiosi, gravissime inde decubuit, sed ex duplici hoc morbo feliciter emersit. Verissimum igitur est Axioma medicum: Qualis humor effervescit in corpore, talis efflorescit in cute. *Morbilli* hi, si perite *expellentibus*, *v. gr. pulv. alexit. de hyacinth. lap. bez. orient. pulv. epilept. C. C. philos. antim. diaph. unicorn. mar.* cum *pectoralibus & confortantibus* mixtis, nec non servato simul idoneo diætæ calorisque temperamento, tractati sunt, omni vacarunt periculo, neminique fuerunt funesti; neglecta autem, aut præpostera vel perversa morbillorum cura, aut præmatura, superatis jam morbillis, aëris mutatio, vel inordinata rerum non naturalium diæta, præcipitavit quam plurimos in *tussim ferinam*, *febrem continuam*, *respirationem difficilem*, *pectoris compressionem*, *catarrhum* ita dictum *suffocativum*, *lethalem*. Mense *Majo* & *Junio* continuarunt adhuc *morbilli*, *febres continuæ*, *tertianæ intermittentes*, *variolæ*, quæ *sporadice* hinc inde vagatæ sunt, sed fuerunt sine malignitate, adeoque convenienter tractatæ, facile curabiles. *Julius* fuit amœnissimus, sed cum summis caloribus, quarta coorta est gravissima tempestas cum frequentissimis tonitrubus, flammarumque fulgoribus, nec non grandinibus insolitis, quæ in civitate utplurimum magnitudine juglandis, imo ovi gallinacei, prægresso imbre, ceciderunt, ad vineas tamen sparsim venerunt, adeoque illis exiguum intulerunt damnum. Sub initium *Augusti* remiserunt calores, sed sexta audiebantur tonitrua terribilia, grandines cadebant insolitæ, copiosissimæ, quæ in optimis nostris promontoriis & vites & uvas prorsus destruxerunt. Jam successerunt æstuosissima tempora, quæ vix sustinere potuimus, neque spirarunt etesiæ, nullæ fuerunt pluviæ, quæ fervorem solis contemperassent, imo eadem aëris constitutio erat in *Septembri*, *Octobri* nec non *Novembri*, ut credidisses, autumnum in æstatem fuisse conversum; habuimus quoque d. 25. *Septembris* vesperi tonitrua & fulgura sufficientia, unde in residuis promontoriis, quæ a grandine intacta manserunt, generosum crevit vinum,

imo

imo generosius crevisset, si nobis ob metum tumultuantium Hungarorum serius vindemiare licuisset. Finitis enim jam vindemiis æstuosa & sicca adhuc continuarunt tempora, sine ullis fere pluviis. Sub finem *Novembris* & initium *Decembris* nives deciderunt paucæ, & moderata subsecuta sunt frigora. Mensibus æstivis, *Julio* nempe & *Augusto*, existente cœlo maxime æstuoso, *diarrhœa* & *dysenteriæ* satis fuerunt frequentes, & magis pueros adultiores, senes, minus infantes sporadice afflixerunt. Præcessit diarrhœa cum ciborum fastidio, languore totius corporis, siti, dejectionibus copiosissimis, serosis, utplurimum biliosis, viscosis nec non pituitosis, valde fœtidis, mox insecuta est dysenteria cum dejectionibus cruentis & purulentis, numerosis ad 70. 80. intra diem & noctem, aliquando velut momentaneis, ut miseri vix sellam foricariam deserere potuerint, & circa noctem cum majori exacerbatione, utplurimum caloribus, quamvis non adeo urentibus, pulsu celeri, siti, inquietudine, acuto intestinorum & ani dolore, inani, licet frequenti, desidendi cupiditate, præcordiorum anxietate, vigiliis; in progressu morbi blanda accesserunt deliria, non sine malignitatis nota. Quamdiu sanguis cum materia biliosa, mucosa, purulenta & saniosa, aliquando cum strigmentis & ramentis exivit, tamdiu de vehementibus torminibus & doloribus conquesti sunt. *Dejectiones nigræ, fœtidæ* in morbi statu, majoris corruptionis denotarunt gradum, indicio manifesto, imminere jam *gangrænam* & brevi *sphacelum*, unde in illis dysenteria antea cruenta & torminosa jam observabatur fere indolens, pulsus quasi nullus, extrema frigidissima, sudore copiosissimo resolutivo frigido perfusa. Refrigerationem hanc infirmi non percipiebant, quin potius de calore interno & siti conquesti sunt, imo manibus glaciei instar frigidissimis res aut loca frigida capessere desiderarunt; & hi omnes, salvis tamen sensibus motuque membrorum illæso, elapsis utplurimum 48. horis, mortui sunt. Causa hujus affectus adscribenda fuit partim copiosis fructibus horæis, acido-aqueo acri fermentifico fœtis, partim caloribus ferventissimis, bile inde acriori lymphaque acidiori & quasi corrosiva reddita. Succi nempe eminenter acres, mordaces nectendo in intestinis diutius, quam par est, moram, primo absterserunt intestinorum mucum, deinde illorum crustam villosam, sive velamentum bombycinum simul abraserunt, & altius penetrando ipsas glandulas eroserunt, atque ulcus, vel quasi tale, instar vesicantium, induxerunt; inde membranis intestinorum sensim sensimque a sale corrosivo erosis vasorumque osculis reseratis, non solum sanguis frequenter stillavit, sed & tristissimus doloris sensus accessit, imo spasmo-

dica vellicatio, qua inteſtina ſpaſmo quodam irritata motu quaſi vermiculari dolorifice ſeſe torſerunt, unde non mirum, ſucceſſiſſe tandem *inflammationem*, *gangrænam* ipſam, nec non *lethalem ſphacelum*. Quo enim major acrimonia, eo major ſpaſmodica fibrarum nervearum irritatio, major fermentifica humorum fuſio, glandularum, ductuum & vaſorum inteſtinalium eliquatio, nec non cruoris ſimul cum plexibus glandulosis ac reliquis inteſtinorum contentis excretio. Profuerunt ſub initium morbi, non obſtantibus torminibus & ſupervacaneis excretionibus, humores acres *diluentia*, & *leviter Evacuantia*, utpote *aqua Laxativa cum aqua cinamomi*, in primis *rhabarbarum toſtum*, quod blande laxando ſimul ob partes terreas admixtas adſtringere, & leniter roborare ſolet, cum *myrobalanis & elæoſacch. cinnamomi* propinata, nec non *clyſteres abſterſivi ex ſpec. emoll. hord. vitello ovi, conſ. roſar. lacte*, aliquoties adhibiti. His præmiſſis ſtatim deveniendum fuit ad *incraſſantia*, *demulcentia*, *adſtringentia cum anodynis* mixta, unde ſingulis quatuor aut quinque horis exhibui pulverem ſequentem: *Rec. corall. rubr. præp.* ℈ß. *lap. hæmatit. terr. japon.* ā *gr. viij. theriac. cœl. gr. iij. laud. de trib. gr*ß. *M.* mutatis tamen mutandis, addidi ſæpe *terr. ſigillat. fl. ferr. bol. armen. pulv. ſtypt. Cr. ſmaragd. præpar. cryſtall. mont. pulv. dyſenter. Crat. ex tragacanth. gumm. arab. & corall.* conſtantem, *nuc. moſch. &c.* inprimis, ubi calores fuerunt ingentes, *compoſ. ſperniol. Cr. ſpec. de gemm. frig. unicorn. mar. ſpec. de hyacinth. &c.* imo moderanda fuerunt medicamenta ad ipſius excretionis, malignitatis & virium modulum. Sæpe videbatur jam alvus adſtricta, morbusque ſublatus, brevi tamen malum recruduit, & exivit iterum aliquando cum, aliquando ſine cruore materia mucoſa in minima quantitate cum ſummis torminibus alvum ad excretionem ſtimulans; adhibitis autem frequentioribus *clyſteriis ex decoct. hord. cum capit. vervecin.* nec non continuatis *pulveribus adſtringentibus*, ex toto ceſſavit. Tandem, ne propter deraſos plexus ilei glanduloſos fluxus alvi cœliaco non abſimilis remaneat, ordinavi ſummo cum effectu *balſamica*, *ſtomachica*, *balſ. peruv. opobalſ. Tinct. corall. elix. Vitriol. M. pulv. ſtomach. elect. diacinam. Reg. nuc. in Ind. condit.* Et ſic dyſenterici intra tres ſeptimanas ex integro reſtituti ſunt, quousque etiam a vino abſtinere debuerunt, contenti *aqua cocta ex rad. tormentill. raſ. C. C. ebor. maſtich. &c.* Quos invaſit cum *vomitu*, hi peſſime decubuerunt, & vix ſervati ſunt, optime autem ipſis profuit *balſamum peruvian.* nec non *opobalſamum cum corall. rubr.* exhibitum. *Adſtrin-*

ſtringentia, ſine præviis *blandis Laxantibus*, in initio & progreſſu morbi adhibita protraxerunt morbum; tormina exacerbarunt, & poſt ſe utplurimum *febres*, *arthritides*, *pedum tumores*, *lienterias* reliquerunt. *Opiata* hic fere omnem abſolverunt paginam, imo fateri debeo, me fere nullum dyſentericum ſine frequentiori exhibitione *laud. de trib.* commode reſtituere potuiſſe; exhiberi autem debuit, antequam dyſenteria fuit consummata & plane ulceroſa, aut vaſa majuſcula exeſa, aut ſenſus doloris jam periit. *Menſe Auguſto* frequentes habuimus *rheumatiſmos ad brachia*, *ſcapulas*, *femora*, *lumbos*, *coxas* productos, ſine ulla rubedine, multo minus tumore, non tam articulis, quam muſculorum interſtitiis firmiſſime & diutiſſime inhærentes, cum motus impotentia, doloribus lancinantibus, profundis, fixis, qui noctu exacerbati ſomnum impediverunt: infirmi enim loco moveri nequiverunt, & quo ſtatu fere primo jacuerunt ac decubuerunt, in eodem manere debuerunt, & ſine cruciatu ac vehementi dolore vix moveri aut attingi potuerunt; adfuit ſimul tenſio & caloris acriuſculi ſenſatio cum pulſu frequenti. Vulgus hunc affectum nominare ſolet *delapſum catarrhorum a capite*, es iſt ein Fluß im Arm oder Fuß gefallen. Statuendum potius rhevmatiſmum provenire a ſero aut lympha acriori, flatulenta, retrogrado motu impedito, in ſpecialem aliquam membranoſam, tendinoſam, nerveam & muſculoſam partem delabente, ibique ſtaſin patiente, & partes fibroſas, nerveas tendente, easque triſti ſenſu vellicante. *Arthritis Vaga* hoc anno frequens fuit. Invaſit homines prævio horrore inſtar febris; membranoſas ac muſculoſas articulorum partes dolore, rubore, tumore & movendi impotentia corripuit, vagabunda fuit & ambulatoria, modo hanc, modo illam invaſit partem, nulla tamen loco ultra 48. horas fixa manſit, remiſſionem ſæpe, relicto ſolum tumore, ſimulavit, at opinione citius, imo vehementius rediit, & priorem locum occupavit, imo memoratu digna in plerisque fuit paroxyſmorum invaſio dolorumque motus, dum quo tempore humerum, carpum aut digitos dextræ manus, eodem tempore & genua ſiniſtri pedis; & quo tempore ſiniſtri brachii, eodem dextri pedis partes ſingulari alternatione & ſaltu dolorifico infeſtavit. Similiter hic peccavit ſerum, ſive lympha acido acris, ſed ſale volatili intimius fœta, quæ ad perioſteum, ſive ſenſibiliſſimas articulorum mobilium membranas detruſa, eas diſtendit, vellicavit, ibique ſicuti ſpina infixa ſæviit. Cura *arthritidis Vagæ* & *rhevmatiſmi* una eademque fuit. *Venæſectio*, niſi adfuit magna febrilis alteratio, intenſior arteriarum pulſus, nec non præcordiorum compreſſio,

d 3

pressio, nil profuit, vires potius abstulit. *Purgationes*, utpote turbationes & colliquationes liquorum naturalium exasperarunt magis malum; reiteratus autem *enematum*, in primis *laxantium*, usus, v. gr. *Rec. pulv. hepat.* ℈ß. *sal. cichor. acetosell.* ā. *gr. v. diagryd. sulphurat. gr. vj. fecul. ari gr. iv. M.* aut *decoctum ex fol. sen. S. S.* ℥iß. *rhabarb.* ℥j. *crem. tartar. in aqu. cichor. infus.* addita *manna & aqua cinnam.* summopere profuit, in primis si vespertino tempore *pulvis confortans* sequens exhibitus fuit: *Recip. pulv. analept.* ℈ß. *epilept. gr. viij. lap. cancr. præp. gr. vij. laud. de trib. gr.* ß. *M. opiatorum* enim vires hic summe deprædicandæ sunt, morbi quidem causam non tollunt, somnum tamen conciliant & dolores mitigant: non autem necessum fuit singulis diebus *opiatis* & *laxantibus* uti, dirigi & moderari potius pro re nata morbique indole debuit cura. Ab usu *sudoriferorum* nunquam felicem vidi successum. Post inunctionem *spirituosorum*, v. gr. *spir. vin. campb. formic. sal. armoniac. junip. lumbric. &c.* semper notavi dolores osteocopos, adeoque abstinendum fuit a *spirituosis*, nec non *unguinosis*, *emplasticis*. Optime autem, in primis sub finem morbi, profuerunt *Thermæ Badenses*, aut *balnea acidularum*, imo in ipso morbo *balnea ex aqua dulci cum hordeo* parata. Atque hac methodo tractati felicissime intra 20. aut ad summum, si copia peccavit materia, 40. dies restituti sunt. *Febres* his temporibus habuimus frequentes, quæ utut prima die tragœdiam a pandiculatione, oscitatione, languore, frigore, mox calore satis intenso auspicatæ sunt, cum subsequente secunda die apyrexia, speciem *intermittentis* simulante; supervenientes tamen paroxysmi, qui fuerunt cum languore, pulsu magno, exacerbatione caloris aliorumque symptomatum, confirmarunt intermissionem illam fuisse dolosam; & latuisse sub hoc cinere ignem *continuarum febrium*, nec non *malignitatem* ipsam. Expost enim videbantur quandoque, inprimis mane, remittere calores, nunquam autem intermiserunt. Crescente morbo, creverunt symptomata, imo convulsiones in statu morbi notavi frequentes. *Deliria serotina*, v. gr. die 11. 12. supervenientia semper fuerunt *exitiosa*. Febres hæ more continuarum *Venæsectione* in principio, *diaphoreticis*, *bezoardicis*, *confortantibus* tractari debuerunt. Ultimis tribus mensibus, præter *febres tertianas*, *quartanas*, *catarrhos*, vix alii notabiles occurrerunt morbi.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1705.

QUo clementior anno præterito fuit aëris constitutio, eo rigidior sub ingressum anni 1705. comparuit cœli temperies. *Januarius* quippe incepit gelu congelare aquas, imo continuavit frigus toto hoc mense sine remissione, nives ceciderunt paucæ, & spirans Euronotus induxit siccitatem. Nec mitior fuit *Februarius*, quin frigore & gelu longe rigidior, sine ullis nivibus. *Martius* illuxit gratiosa serenitate, & exoptato calore, sed quinta nives ceciderunt magnæ, sexta frigus, quod ad 12. usque duravit diem; circa *æquinoctium vernale*, spirante aëre meridionali, frequentiores habuimus pluvias, fructiferas, quas serena, calida mox insecuta sunt tempora, adeoque Martius utplurimum siccus extitit. *Aprilis* varias sustinuit ventorum mutationes, & frequentiores, vix non quotidianas, in primis circa finem, pluvias, oblectamenta vernalia inhibentes; imo & *Majus* fuit valde inamœnus, frigidus totus, excepto uno aut altero die, pluviosus. Continuavit pluviosa & frigida hæc aëris constitutio ultra *medium Junii*: unde non mirum, uvas circa festum Viti necdum florere incepisse. Circa *solstitium æstivum* temperatior aura & calores desiderati demum redierunt. Morbi, qui in hoc semestre inciderunt, erant varii. In *Januario* & *Februario* continuarunt *febres quartanæ*, quæ tamen, uno vel altero *Laxativo* adhibito, nec non *chinatis medicamentis cum arcano duplicato*, præter morem utplurimum superari potuerunt, neque ullam labem post se reliquerunt. Frequentes erant *rhevmatismi in pedibus*, *manibus*, *scapulis*, *lumbis*, cum dolore acerbo, sine inflammatione, sine tumore; hi *diaphoretica* sustinere non potuerunt, sed solis *temperatioribus cholagogis*, v. gr. *infusis ex manna*, *fol. senn. tartaro*, *cum aqu. cichor. &c. clysteribus*, *præcipitantibus*, nec non *balneis hordeaceis*; & pro re nata, in summa dolorum exacerbatione, *grano dimidio laudani de tribus*, tractari voluerunt. *Catarrhos* habuimus copiosos, qui in *febres* degenerarunt *continuas*, non adeo funestas. Servati enim omnes sunt, qui statim ab initio adhibuerunt *Alexipharmaca*, eaque continuarunt. Mense *Februario* jam inceperunt *febres petechiales*, quæ *pleuritides* ab initio mentitæ sunt, inceperunt cum horrore levi; febre lenta, tussi sicca, dolore in pectoris regione, ad scapulas, claviculas adscendente, cum molestia ægri, si in partem sanam decumbere voluit; assumtis autem *suderiferis* evanuerunt

runt dolores, & quarta, imo in plerisque septima demum eruperunt maculæ. In aliis simularunt *febres intermittentes*. Sic in Virgine quadam XVI. annorum, sanguineo-phlegmatica, tunc temporis ordinario mensium fluxu laborante, notavi tres paroxysmos, more *febris quotidianæ intermittentis*, mane cum horripilatione, subsequo calore, circa vesperum intermittente, dolore capitis gravativo, siti, lassitudine &c. quotidie recurrentes, quarto *calores continuos*, prioribus longe intensiores, nec non eruptionem macularum, septima hæmorrhagiam narium sat largam, decima deliria blanda, manuum tremores, linguæ ac faucium ariditatem molestam, 12. 13. novam copiosorum exanthematum, prioribus jam evanescentibus, eruptionem; & ecce 16. morbi die, non obstante hæmorrhagia, quæ ex alleviatione morbi judicabatur critica, septimâ oborta, obiit. Maximam *malignitatem* exanthematica hæc febris in recessu gessit mense *Martio*, *Aprili*. Incepit cum horripilatione, calor in sanguineo-phlegmaticis, quorum sanguis sero viscido abundat, mitis, sed subdolus; in sanguineis intensior, adfuit languor totius corporis, mox subita virium prostratio, membris quasi lassitudine fractis, aut contusis, sitis non adeo magna, nausea, vomitus, pulsus naturali fere similis, unde magis de languore, quam calore, conquesti sunt; sexta aut septima æstus invaluit, atque malignitatem suam sequentibus diebus prodidit, supervenientibus gravioribus symptomatibus, utpote exanthematum eruptione, cardialgia, pulsu celeri, frequenti, vigiliis, vehementissimis capitis doloribus, deliriis, motibus convulsivis, linguæ ariditate & fissuris &c. *Venæsectiones* prima aut altera die institutæ, nec non repetitæ, valde profuerunt, serotinæ omnes nocuerunt. *Laxativa*, etiam sub initium morbi exhibita, rejicienda fuerunt, & memini in his *exanthemata longe latiora* prodiisse, quam in aliis, eosque gravissimis symptomatibus, *tremoribus* nempe *totius corporis*, *deliriis furiosis*, tandem *aphonia*, *convulsionibus epilepticis*, tentatos fuisse, omnesque fatis occubuisse: *clysteriis ex humectantibus & emollientibus* confectis, nec non *suppositoriis* alvum adstrictam commodissime reserare potuimus. Cura methodica maxime dirigi debuit ad vires, quæ conservari, ad humorum fervorem, qui contemperari, ad malignitatem, quæ corrigi debuerunt. Præstitimus hoc *blandis diaphoreticis*, *bezoardicis*, *cordialibus*, *v. gr. pulv. alexit. spec. de hyacinth. C. C. philos. pulv. analept. epilept. lap. bezoard. orient. antimon. diaphor. unicorn. mar. conf. alkerm. mag. perlar. orient. &c.* exhibito singulo octi-

horio

horio pulvere uno, aut potiuncula. Sic corpus mansit perspirabile, sanguini sua constitit systasis & crasis, atque malignitas exuperata fuit. A *medicamentis spirituosis*, *volatilibus*, *bezoardicis fortioribus*, *calidis*, quæ in hoc casu magis obfuisse, quam profuisse, jam a longo tempore in his calidis oris expertus sum, studio abstinui. Vinum omnibus interdixi, *aquam solam ex rad. scorz. ras. C. C. ebor. sem. anis. &c.* concedens. Acutissimos capitis dolores *Vesicatoria* nuchæ apposita sustulerunt. Sæviit vehementer hic morbus æque in adultos, atque gravidas. Sic binas habui, harum una, tertia morbi die, gemellos vivos, nondum maturos, octimestres, qui intra aliquot dies mortui sunt, peperit; altera sexta morbi die filium æque octimestrem, qui sex diebus vixit, enixa est. Fortior hic sine dubio sanguinis motio & rarefactio, qua apertæ & laxatæ sunt viæ, partus hos acceleravit, inde puerperæ valde debilitatæ, sed solis *confortantibus*, *analepticis*, *bezoardicis blandissimis*, aliisque pro morbi & symptomatum exigentia remixtis, tractatæ, binæ die XV. evaserunt ex morbo hoc gravissimo. Legitima enim & matura medicamentorum applicatio omnibus salutaris fuit, secus, qui a principio neglexerunt remedia. Sic inter alios novi mercatorem, Silesitam, eadem febre detentum, qui fere omnia respuit medicamenta, tandem delirio phrenetico correptus in lecto vix detineri potuit, die 12. demum prodierunt exanthemata, indubia mortis die 14. morbi subsecutæ indicia. In alio pauperculo *petechiali febre* extreme laborante notavi in dorso, brachiis, pedibus, natibus quamplurima *ulcuscula*, elevata, dura, cum intenso dolore, inflammatione, ad instar furunculorum, ichore plena, sed tubercula illa ulcerosa valde fuerunt maligna, naturam *anthracum* æmulantia; caro enim in circuitu inflammata, tandem sphacelata & corrosa, ubique tota excidit, adhibitis tamen *expellentibus*, *Alexipharmacis & mundificantibus externis* præter omnium spem sanitati pristinæ restitutus est. Ceterum multiplici experientia edoctus ingenue fateor, etiamsi omnia signa fefellerunt, me tamen sequentia in prognosi nunquam decepisse: deprehendens nempe in tangendo pulsu *contractionem aut subsultum tendinum*, pro certo mortem prædicere potui. Sic ex *linguæ ariditate*, *fissuris*, *asperitate*, *scabritie*, *siccitate*, quasi lignum attingeres, *nigredine*, in primis, si retorrido calore cum vicinis faucibus aruit, aut *crusta quadam nigra obducta*, quæ *licet sæpius os fricando & colluendo detersa*, *statim tamen nova repullavit*, infallibile summæ interiorum partium inflammationis & sideratio-

 nis,

nis, nec non mortis augurium habuimus. Lingua enim etiam in minima inflammationis suspicione statim resiccare incipit, & crescente inflammatione crescit pariter & siccitas linguæ. Hoc morbi stadium sæpe ultra XV. morbi diem fuit protensum, aliquando felici, aliquando funesto eventu. Sic memini quosdam 16. alios 18. imo 22. demum morbi die fuisse extinctos, alios jam integre restitutos ex levissima causa & errore diætæ *recidivam* reportasse, quæ tandem, inflammatis glandulis, in pectore, inprimis pulmonibus sitis & exulceratis, in *hecticos* degeneravit *calores*, longo tamen *medicamentorum pectoralium* usu superabiles. Mense *Majo febres petechiales* desævierunt, & evaserunt ex his omnes, qui ex methodo tractati sunt. Eodem tempore *Icterus* frequens fuit, qui flavo suo colore deturpavit totum corporis habitum, speciatim vero oculorum politum ebur, nec non tempora. Conquesti sunt de pruritu in cute, maxime dorso, de caloribus transitoriis, lassitudine ulcerosa, doloribus capitis, somniis turbulentis, intensissima siti, inappetentia, oris amaritudine. Alvus plus solito adstrictior, &, quæ exierunt excrementa, penitus albescentia, pauca, viscida, urina crassa, turbida, subnigra, in superficie oleaginosa, crocea fuerunt. Utique hic fuit obstructio tubulorum biliferorum, a viscida lympha hepatis & acinorum glandulosorum, nec non saburra tartarea proveniens: inde bilis ab acido fixiori plus minus austero, torpidior & spissior reddita, in motu suo impedita, neque per destinatos canales, tum ad vesiculam, tum per ductum cysticum in ductum choledochum ad intestina delapsa, potius restitans, in venæ cavæ propagines, tanquam fontes suos recessisse, ibique serum cum sanguine, & exinde productos humores, nutritioni & excretioni dicatos, citrino suo colore infecisse necessum fuit. *Martialia*, *rhabarbarina*, *aperientia* non solum ductus illos obstructos feliciter reserarunt, sed & bilem peccantem, atque jam ad habitum corporis delatam eduxerunt per epicrasin, v. gr. *pulv. hepat. cachect. croc. mart. aperit. cum salibus*, *rhabarb. Alex spir. sal. coagul. sal acetosell. absinth. cichor. tartar. vitriolat. arcan. dupl. rad. curcum. &c.* additis pro re nata, & quidem optimo cum successu, aliquando *granis aliquot diagrydii*. Mense *Junio* continuarunt adhuc *febres continuæ*, sed fuerunt valde *benignæ*. Jam inceperunt *tertianæ*, *quartanæ*, curatu tamen faciles. *Julius* incepit cum caloribus, subinde tamen nubibus exasperatum cœlum, inprimis die 19. & sequentibus aliquot diebus, flante Borea, frigidam effudit pluviam. Cum Sirii ortu etiam exorti sunt calores, qui cum in-

solito

ſolito & vix tolerabili aëris fervore usque poſt ejus occaſum, imo toto menſe *Auguſto*, ſine ulla alternatione, continuarunt, excepto XIX. Auguſti, quo cum imbribus, tonitrubus & fulgure grandines per mediam horam deciderunt copioſiſſimi, quæ promontoria noſtra fere omnia deſtruxerunt. Totus *September* aut ventoſus, aut frigidus, aut pluvioſus fuit, adeo, ut vix quatuor dies ſereni toto menſe numerari potuiſſent. *October* extitit amœnus, calidus, ſiccus, & quamplurimum contulit ad maturitatem uvarum, quæ alioquin immaturæ manſisſent. Hinc vinum nec quantitate, nec qualitate laudabile crevit. *Novembris* initium ventoſum, utcunque ſiccum fuit, progreſſus ad finem usque pulcherrimus, ſerenus, calidus. Sub initium *Decembris* apparuerunt hyemis indicia, nubibus & nebulis aër turbidus, frigidus, mox inſecuta eſt amœna, ſerena ſine nivibus tempeſtas, ad finem menſis durans, nobis quidem grata, ſed ob hoſtium furorem valde infauſta, ferrea & ignea. Tumultuantes enim Hungari die 24 Decembris civitatem noſtram arctiori obſidione cinxerunt, eamque circa prandium ex monte Leonhardi globis ignitis continuo ex machinis bellicis majoribus exploſis invaſerunt. Primam ſtragem ſuſtinuerunt ſuburbia (non excluſis V. domibus in civitate interiori exiſtentibus,) quibus flammea hæc procella, aut diverſa incendia ſacram Chriſto naſcenti noctem in funeſtam cinerum diem verterunt. Die Nativitatis CHRISTI ignitis ſuis globis nova incendia facere, atque reſiduum in cineres redigere, ſed fruſtra, tentarunt; pilis autem ſuis majoribus igniariis, Bomben, ingens damnum ædificiis intulerunt; tandem biduo poſt, re infecta, diſceſſerunt. His temporibus, menſe nempe *Julio*, *Auguſto*, *Septembri*, *Decembri*, adhuc continuarunt *febres continuæ*, *petechiales*, & notavi inter alia honeſtas duas fœminas, ſorores; quarum una menſe *Auguſto febre exanthematica* laborans, die X. morbi acquiſivit frequentem *diarrhœam* cum torminibus & doloribus inflammatoriis, vigiliis continuis, caloribus intenſiſſimis, die XII. extrema, ſudore reſolutivo perfuſa, etiamſi de æſtu graviſſimo, potius anxietatibus, conqueſta fuit, frixerunt, 13. mortua. Latuit hic ſine dubio *inteſtinorum ſphacelus*. Altera ſoror menſe *Septembri* eadem *febre petechiali* correpta, ſumſit ſub initium morbi, nil mali ſuſpicans, ante macularum eruptionem, neſcio cujus ſuaſu, *Laxativum*, die 16. incepit delirare, adhibitis tamen adhibendis, die 17. calores remiſerunt, & mens rediit, imo jam periculum evaſiſſe ab omnibus judicata fuit; die 19. morbi in *femore pedis ſiniſtri* ex inſperato prorupit *macula nigerrima*, *cruſtacea*,

cea, *instar anthracis*, magnitudine duplicis grossi, quæ igneo suo fervore latius sese diffudit, carnem subditam exussit, atque die 21. pauperculam e medio viventium sustulit. Mense *Decembri* in alia fœmina 46. annorum observavi easdem *maculas petechiales* tertia jam die prodeuntes, valde *latas*, non obstante *Venæsectione* secunda morbi die administrata, tertia incepit delirare, quarta obiit. In his casibus utique peculiaris sanguinis corruptio, & singularis malignitas supponi debuit. Mense *Augusto* ex flagrantissimo sole aërisque siccitate ortæ sunt *diarrhœæ*, *dysenteriæ* cum tenesmo, vomitibus, siti, doloribus abdominis; utplurimum conjuncti fuerunt *calores*, inde methodo ordinaria tractari non potuerunt, quin potius *alexipharmacis*, *v. gr. terr. sigillat. Japon. bol. arm. theriac. cœl. spec. de gemm. frig.* curam aggredi debuimus. Ubi nullus adfuit calor, ibi optime profuerunt *blande educentia*, in primis *rhabarb. tostum cum myrobalan. citr.* aut *aqua laxativa* ipsa cum *aqua cinnam.* sub initium exhibita, aut *clysteres abstergentes ex hord. cap. vervec. lacte &c.* frequenter applicati. Materiam adhuc restitantem acrem, austeram, acidam, urentem feliciter deinceps *absorbentibus*, *adstringentibus*, *ac incrassantibus*, *v. gr. corall. rubr. alabastr. terr. jap. sigillat. cryst. mont. &c.* correximus. Sic multum præstitit *opobalsamum*, nec non *oleum nucistæ* interne exhibitum; non minorem utilitatem attulit *Cataplasma* toti abdomini applicatum: *Recip. pulv. centinod. burs. pastor.* ā. *mß. fol. rosar. rubr. balaust. ana ℥iij. diacydoniat. cum spec. ℥ß. nuc. mosch. n. ij. mastich ʒj. caryoph. ℈j. F. Cataplasma*, adde *ol. myrtin. cydon. mastich.* ā. *ʒj. M.* Hoc mense *erysipelata* frequentissima fuerunt, sed uno vel altero *sudorifero* exhibito extincta. Nec his mensibus conticuerunt *febres quotidianæ*, *tertianæ*, *quartanæ*, quæ circa finem mensis *Octobris* valde *contumaces* extiterunt, senibusque funestæ. Præter alios affectus, *rhevmatismos* nempe, *catarrhos*, *podagricos dolores*, *odontalgias &c.* sequentem notavi casum. Honesta matrona, annorum 45. multarum prolium mater, circa finem mensis *Novembris*, prægerssis jam a longo tempore spasmis digitorum manus sinistræ, agonizantem puellam in vicinia visitans, eamque morientem conspiciens, valde perterrita concidit *epileptica*, deportata domum, & in lectum illata tandem ad se rediit præteritorum fere inscia. Ad ipsam vocatus nil intentatum reliqui, aperui *venam in brachio dextro*, ordinavi clysteres, dedi *antepileptica*, *v g. pulv. epilept. spec. cephal. M. castoreum*, *unicorn. mar. ungul. alc. cran. human. aqu. hirund. c.*

castor.

castor. epilept. L. &c. affectum tamen curatius perpendens deprehendi spasmum, vel potius pulsum & subsultum magnum in medio, annulari & auriculari digito sinistræ manus, ubi frequenter & fere indesinenter illorum extremitates ad volam manus retractæ sunt; bihorio elapso, majorem persensit in prædictis digitis subsultum, mox paroxysmum epilepticum; adeoque celer motus tendinum veluti subsultorius, instar pulsus ordinarii, indubitatum instantis paroxysmi fuit præsagium. Sensit autem insecutas exacerbationes omnes manifestam originem traxisse ex extremitatibus trium digitorum sinistræ manus, indeque in momento, quasi volando, auram quandam adscendisse per brachium ad caput, affectoque cerebro, pars corporis sinistri variis motibus valde agitata & concussa fuit, pes tremuit, oculos contorsit, spumeum quiddam circa os apparuit, reflexo capite versus dorsum, adfuit simul omnium sensuum perturbatio. Dira hæc symptomata, si remiserunt, durarunt autem quandoque uno horæ quadrante, quandoque brevius, ægra tandem sopore quasi oppressa jacuit, mox gravi suspirio ad se rediit horum omnium inscia, atque solum de gravitate capitis ac lassitudine membrorum conquesta est, utplurimum, finito paroxysmo, modicum sanguinis ex nimio motu convulsivo in pulmonibus extravasati, ore rejecit. Sæpe velut ab utero suffocata rubebat insigniter, cum lassitudine quadam ac sensim oborientis febriculæ rudimento. Non quidem continenter horrendo hoc symptomate, sed interpolatis vicibus, modo serius, modo ocius, aliquando quotidie, aliquando tota septimana semel, commiseratione digna exagitata fuit, prout venenata hæc materia vel citius, vel tardius, auram suam subtilem, vel spiritus suos volatiles emiserit, qui in cerebrum delati irritando sensiles ac nerveas fibrillas celerem illam, inordinatam & in voluntariam concussionem membrorum, cum conspicua mentis labe, ac terribili nervorum contractione illius potissimum corporis partis, ex qua malignus vapor speciatim in cerebrum fuit amandatus, conciliarunt, miseram nostram, si extra lectum fuit, cadere fecerunt. Malum hoc necdum radicatum quo ex toto tolleretur, nihil non tentatum fuit, cum per *cathartica. v. g. pil. coch. de succin. Cr. extr. castor. cum sir. de cichor. c. rhab. &c.* tum per *Vesicatorium*, ad eliciendam materiam peccantem, regioni carpi impositum. Carpum deinde arctiori vinculo circumligari curavimus. Interne quotidie mane sumsit *pulveres epilepticos ex pulv. epilept. M. gr. viij. mag. cran. hum. gr. v. ungul. alc. præp. gr. vij. unicorn. mar. gr. jv. pulv. castor. gr. v.* vesperi vero mixturæ sequentis guttas 30. *Rec. Elix. uterin. Cr. ess. suc-*

cin, *sal. volat. oleos.* ā. ʒj. *M.* his continuatis remiserunt symptomata, non tamen ex toto cessarunt. Unde sanguinem *cruciatim* ex brachio nempe dextro, & pede sinistro simul & semel detrahi curavi, tandemque *mistur. simpl. cum elix. uterin. Cr. & ess. anod.* exhibui, quorum beneficio malum hoc potissimum, una cum motu tendinum subsultorio in digitis intra tres menses devictum fuit. Pro roboratione membrorum & nervosarum partium, nec non avertendo recidivæ metu, ablegavi ipsam mense *Majo* sequentis anni ad *Thermas Badavino-Austriacas*, & quidem optimo successu. Pristinam enim recuperavit sanitatem. Thermas autem quotannis visitare debebit, quod licet deinceps non observaverit, nullum tamen similis morbi indicium per multos annos amplius in conspectum prodiit. Et hæc dicta sunt de morbis, qui hoc anno apud nos observati sunt.

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1706.

CRedidisses præteriti anni exitu & ferocientium hostium abitu, nos jam calamitatibus, molestiis, periculis vacuos, furoremque hostium erga nos in lenitatem esse conversum. Sed ecce illorum furor mox abiit in rabiem. Cogitantes enim de nostro interitu & civitatis exitio, d. 2. *Januarii* ad pristinam stationem redierunt majoribus machinis, mortariis pluribus & requisitis bellicis probe instructi; 3. die Januar. summo mane, continuis tormentorum & pilarum jactibus tam ardenter ædificia pulsarunt, ut fulmina & fulgura de cœlo descendisse putasses, imo sparso missilium flammarum imbre nova incendia excitarunt, & quamplurima civium ædificia immani grandine quassata destruxerunt. Sed cum hostes vidissent, se continuo machinarum bellicarum boatu & fragore inconcussam civium fidem & constantiam neutiquam evertere posse, sexto Januarii, summo mane, trino agmine & magno impetu mœnia invaserunt, admotisque quamplurimis scalis, nec non globulis quamplurimis manu injectis, mœnium fastigia, quæ jam attigerunt, transcendissent, nisi nostrorum Civium & inhabitatorum pectora pro muro fuissent, atque continuis scloporum explosionibus, nec non clavis præferratis permultos de muro in subjectas fossas præcipitassent, hostesque pedem, relictis centenis & ultra mortuis, in pristinam suam stationem referre coëgissent. Hostis itaque invictam civium constantiam jam expertus, adversis tempestatibus cœli quotidie magis magisque invalescentibus, die 10. Januarii obsidionem solvit, recessit, sed a longinquo nos cinxit. Cives interea insue-

insuetas in excubiis sub Jove frigido & humido per aliquot menses constanter continuarunt suas stationes, atque intrepide defenderunt sua mœnia. Alias hic *mensis* valde horridus fuit, frigore tamen quandoque remittente, placidior. Mollior aër sub initium *Februarii* observabatur, in progressu remissum aliquod frigus, sub finem nives, subsequo frigore congelatæ. *Martii* ingressus rigidissimus subito cum sereniori ac blandiori aëre commutabatur, circa *æquinoctium* frequentes fuerunt pluviæ, mox nives, mox varii ventorum tumultus, adeoque *Martius* non siccus, sed humidus extitit. *Aprilis* comparuit nivosus, mox tamen serenior & amœnior factus calore suo veris delitias produxit, languentes animos excitavit, & ad finem usque siccus ac calidus permansit; die 30. ingens tempestas cum fulguribus & tonitrubus oborta est, quam præcessit magna papilionum cohors occidentem versus volitans. *Majus* fere totus mane subfrigidus fuit, siccus, circa meridiem calidus, cum paucissimis pluviis. Toto *Junio* grata & exoptata habuimus tempora, calores intensos sæpe venti, quandoque pluviæ nocturnæ contemperarunt amœnissimæ. Medardi dies fuit serenissimus, & die S. Viti uvas in omnibus promontoriis jam defloruisse notavimus, inde nostrates præcocem vindemiam augurari solent. Toto *Januario* morbi, præter *catarrhos*, hyemali tempore non infrequentes, nec non *quartanas*, nostris desideratas dederunt inducias. Sub initium *Februarii febres* notavimus *continuas*, malignitatis tamen expertes, *rhevmatismos frequentes biliosos*, *defluxiones seroso-biliosas in capite*, maxime *pone aures*, aliquando cum, aliquando sine tumore, cum modica febrili alteratione, summe dolorificas, *suffumigiis ex olibano & cataplasmatibus emollientibus* curatas. Continuarunt illæ in primis mense *Martio*, & invaserunt articulos maximo cum dolore, inflammatione, tumore, senibus, in primis podagricis, exitiosæ: in his rediit *podagra*, sed sine doloribus, quæ retrocedens materiam peccantem ad pectus transtulit, ibique *catarrhos lethales* excitavit. Sed miratu dignum fuit, quod præter hujus mensis indolem nullæ *febres continuæ*, exceptis paucis *catarrhalibus*, quæ senibus fuerunt funestæ, obortæ sint, cum tamen fœminæ cum prolibus suis, superioribus mensibus, maximum metum & terrorem ex turbis bellicis conceperint, & pro majori securitate diu noctuque squalida cellaria inhabitare debuerint, cives autem & incolæ omnes in excubiis quam maximos excessus sub Jove frigido & humido in vino commiserint, adeoque humores ad morbos generandos, aut suscipiendos dispofuerint, in primis, cum absque hoc *Martius* sit humorum genitor, motorque dolorum. Beneficium hoc adscripsimus vino

novo,

novo, quod præterito crevit anno, leviſſimo, claro, acido, tartaro crudo abundanti, diuretico: hoc potenter viſcidam bilem diluit, ſolvit eamque per alvum & urinam eduxit, adeoque ſanitati noſtræ valde proficuum fuit. Aliis annis vina hujus loci nova, ubi calore ſolis & cœli benignitate ad ſummam maturitatem pervenerunt, generoſa ac potentia tartaro ſubtili ſcatent, oleoſa ſunt, & necdum defœcata, largius hauſta bilem a naturali ſua craſi dejiciunt, alcalicis ſuis particulis quam maxime ſanguinem accendunt, viſciditate autem ſua hujus circulum retardant, toti corpori torporem inducunt, caput gravant, conſtipant, imo particulis ſuis hamoſis ſalino volatiles maxime activas reprimunt, actiones animales ſimul lædunt, & varios morbos, in primis *febres continuas*, *malignas*, *petechiales* conciliare ſolent. Menſe *Aprili*, *Majo*, *Junio*, repullularunt *febres continuæ*, *petechiales*, quandoque cum, quandoque ſine malignitate, methodo tamen ordinaria feliciter eradicatæ. Inter alia notavi gratioſam filiolam, quinquennem, *febre continua* correptam, cum maximis abdominis doloribus, torminibus, vix non convulſivis, & imminentis *epilepſiæ* metu; loqui nil potuit, dolorem autem ejulatu expreſſit, continuarunt calores ſine ulla intermiſſione ad 21. diem. In horrendo illo ejulatu ob metum gravioris mali 11. & 12. morbi die dedi *laudan. de trib. grß.* cum *pulv. epilept. M. caſtor. unicorn. mar.* ▽ *hirund. c. caſtor. &c* laudabili cum ſucceſſu & ſubſecuta quiete. Durante morbo, & 6. ſeptimanis poſt morbum, ne verbum eloqui potuit, licet omnia bene intellexerit, & linguam quaquaverſum movere ac volutare, bibere, comedere, deglutire potuerit. Topica præſcripſi varia, v. gr. *unguentum ex conſ. anacardin.* ℥ij. *alkerm.* ℥j. *extr. caſtor. gr. viij. ol. ſuccin. gutt. iij.* pro illinitione, & frictione faucium, linguæ & palati. Fomenta ex *infuſ. majoran. ſalv. chamomill. hyſſop.* collo, in primis laryngi frequenter applicuimus, donec interior laryngis rima a ſiccitate coarctata ac conſtricta, aliquantum iterum humectata officio ſuo fungi potuit, atque ſenſim & ſenſim, licet ſub initium difficulter, verba articulata expreſſit. Humores bilioſos ex abdomine ad muſculos laryngis, inque nervos vocales, metaſtaſi facta, delatos, præter calorem febrilem, interiorem laryngis rimam arefacientem, eosdem affeciſſe, conjiciendum ex prægreſſis vehementiſſimis, vix non convulſivis, abdominis doloribus, in tempore conſopitis. Iisdem temporibus obſervavi in filiolo ſexenni *calores continuos* ſine ulla intermiſſione, vix remiſſione, ad 30. diem & ultra, non obſtante legitima medicamentorum adminiſtratione, extenſos, adeoque non ſine malignitate, tandem tamen feliciter ſuperatos. His menſibus *rhevmatiſmos & arthritides vagas* notavimus frequentes,

tes, methodo autem nostra superius tradita, mox profligatas. Mensis *Julius* fuit æstuosissimus, noctes præter morem calidæ, sine ullis fere pluviis: die 16. cœlum opacis & atris nubibus desubito exasperatum effudit imbrem largissimum cum tonitrubus, in vicinia cum grandinibus insolitis, maximo *Rustensium vinearum* damno. Sub ingressum solis in leonem, nisi quandoque grati spirassent etesiæ, calores vix fuissent tolerabiles; tandem ultima hujus, prægressis noctu crebris tonitrubus nec non fulguribus, gratiosa ac tepida superveniens pluvia cum amœnissimis & subfrigidis ventis ingentissimum auræ calorem contemperavit, terram refocillavit, & omnia recreavit. In *Augusto* terra per totum mensis cursum fervido solis calore fovebatur, subinde tamen nocturno tempore tepidis pluviis animabatur, inde jam sub initium hujus mensis maturas habuimus uvas. *Ægidii dies* mira & exoptata illuxit serenitate, & serenavit totum mensem, exceptis 17. 18. diebus, qui fuerunt frigidi, ventosi, pluviosi. Per *Octobrem* totum eadem gratiosa serenitas, siccitas & æstus amœnus duravit, cum nebulis matutinis, solis splendore discussis, exceptis 6. 7. & 8. diebus, qui sparserunt pluvias. Hinc vinum crevit generosissimum. Secunda *Novembris* primam demum notavimus pruinam, & continuarunt amœnissima, calida illa tempora, præter ætatis anni morem, toto mense, nisi quod 14. 15. intervenerint pluviæ, & 24. nives ceciderint ingentes, sequenti tamen die liquefactæ. Eadem cœli tempestas continua, serena nempe, calida, aliquando nebulosa fuit usque ad 17. diem *Decembris*, 18. vero, 19. pluviosa, nec non nivosa; die 20. ingruit gelu, quod post biduum remisit, reliquis diebus pluviæ, nebulæ, venti ac calores alternarunt, quæ tempestas, prædominante calore circa Natalitia, *pyrorum flores & turiones sambucinos* elicuit. Mensibus æstivis omnis generis *febres* grassatæ sunt; frequenter autem hinc inde in civitate comparuerunt *febres*, quæ *continuas* mentitæ sunt, nobisque ab initio imposuerunt. Invaserunt hæ cum horripilatione vix sensibili, insequente calore, ultra 30. horas durante, cum vehementi siti, capitis dolore, vigiliis, vomitibus, præcordiorum angustia, anxietatibus, virium prostratione, linguæ ac faucium squalore, ita ut *febrem continuam* fore metuerim; adhibita tamen *Venæsectione* in brachio, & repetita in pede, exhibitoque uno vel altero *sudorifero*, remisit calor, & tertio aut quarto die utplurimum in *intermittentem tertianam duplicem* terminavit; ast inter apyrexiam & paroxysmum brevissimum fuit intervallum, imo, saltem aliquot interjectis horis, nova *febris*, sine ullo frigore, accessio, quæ observabatur una die intensior, & quasi composita ex *tertiana & quotidiana*, altera autem *levior* typum *quotidianæ* referens. Ante

paro-

paroxyſmum dedi *antifebrilia ex ſalibus*, *arcan. dupl. cort. chin. lap. cancr. &c.* in caloribus vero diuturnis, ob metum latentis malignitatis, nec non ingentem debilitatem, *blanda diaphoretica*, *utpote lap. bez. orient. pulv. analept. M.C.C. philoſ. magiſt. perlar. conf. alkerm. &c.* aliquando, in primis ubi *capitis dolores* fuerunt intenſi, loco *antifebrilium* præſcripſi *ſpirit. ſudorif.* ℈j. *cum ſpirit. anod.* ℈ß. & quidem laudabili ſucceſſu: non enim tantum dolores remiſerunt, ſed & paroxyſmi febriles brevi ceſſarunt, & utplurimum ſoluti ſunt ſpatio 15. aut 21. dierum. Febres *tertianæ* circa hæc tempora fuerunt frequentes, ſed adeo mites, ut poſt quintum aut ſextum paroxyſmum, adhibito *Laxativo*, nec non *antifebrilibus ſalibus* receſſerint. Febribus *continuis* corripiebantur permulti, ſed ſine gravioribus ſymptomatibus, & abſolverunt jam die 15. ſuum curſum feliciter; hinc omnes ſervati, qui non incuria neglecti, ſed methodo ordinaria tractati fuerunt. Menſe *Julio*, *Auguſto*, *Septembri*, *diarrhœæ*, *dyſenteriæ* ex radiorum ſolarium æſtu invaſerunt quamplurimos, ſine ætatis diſcrimine, cum maximis torminibus, teneſmo, dejectionibus copioſiſſimis, purulentis, cruentis. Principium curæ ſumſimus a *rhabarb. toſt. myrobal. citrin.* aliquando ab *aqua laxativa*, in primis ſi ventriculus cruditatibus labefactatus aut gravatus fuit; acrimoniam humorum temperavimus *abſorbentibus*, *v. gr. coralliis rubris*, *terr. ſigill. fl. ferr. cryſtall. mont. &c.* continuas dejectiones & dolores correximus *clyſteriis ex decoct. hord. aut oryz. capit. vervec. vitell.* ſæpe injectis, nec non *adſtringentibus*, *incraſſantibus*, *demulcentibus* ſæpius exhibitis, v. gr. *pulv. dyſent. Cr. terr. catechu &c. mithridat. theriac. cæl. laudan. de trib.* imo fateri debeo, etiamſi ſingulis 5. aut 6. horis medicamenta *adſtringentia* exhibuerim, me tamen ſine *opiatis* nihil profeciſſe, adeoque *Laudanum de trib.* in accisa (refracta) doſi aliis additum & ſæpe repetitum hic optimam tuliſſe opem. In quibusdam obſervavi neque hæc quicquam profuiſſe, quin potius infirmos aliquando evomuiſſe biliosa, indicio, ventriculum una cum primis viis, cruditatibus acribus, bilioſis, adeoque cauſa morbifica adhuc eſſe repletum, iis bis dedi *rad. Ipecacuanh.* & quidem pro doſi ℈ij. inde frequentiores habuerunt vomitus, pauciores dejectiones, quo facto, reliquum curæ *adſtringentibus*, *incraſſantibus*, *anodynis*, v. gr. ſequenti *pulvere* aliquoties exhibito, & ſingulis 6. horis repetito, Recipe *cryſtall. mont. corall. rubr. præp. terr. japon. ana gr. viij. theriac. cæl. gr. iij. jv. laudan. de trib. gr. ß. aliquando gr. j. M.* feliciter peractum fuit.

Tres

Tres perſonas notavi, quæ, abſumptis jam roſcidis & balſamicis lymphæ particulis, ſpiculis autem acribus, adeoque doloribus, auctis, tandem, ſupervenientibus dejectionibus atris, cadaveroſum odorem ſpirantibus, indolentibus, artuum refrigerationibus, mente ac ſenſu privatæ *gangræna & ſphacelo inteſtinorum* obierunt. In alia matrona 5. diebus ante mortem præceſſit *ſingultus*, omnem *caſtorinorum & opiatorum* efficaciam eludens, inflammationum & convulſionum internarum, nec non mortis imminentis prænuntius. Menſe *Octobri* in ſcenam prodierunt morbi vitio *renum & veſicæ* orti. Sic in Perilluſtri quodam Domino, ſeptuagenario, alias robuſto, notavi *Iſchuriam*, ſive totalem urinæ ſuppreſſionem, ex *calculo renum* tubulos obſtruente, natam. Adfuerunt maximi dolores circa lumbos, vomitus frequentes, anguſtiæ & anxietates præcordiorum, obſtinata alvi obſtructio, nullus veſicæ tumor, nullus in pube dolor, nulla perinæi gravitas, nulli calores, imo pulſus naturali fere ſimilis. Cathetere flexili ſæpe immiſſo ne gutta urinæ extrahi, aut *calculus* in veſica latens deprehendi potuit. Adhibuimus ſæpiſſime *clyſteres emollientes*, *balnea aquæ dulcis una cum herb petroſel. malv. parietar. chamomill. melilot. verbaſc. ſtram. aven. &c.* unguenta pro inunctione lumborum, ex *unguent. roſac. ol. ſcorp. Matth. ſucc. citr. nitr. præp. &c.* Interne fere quotidie dedi *decoctum ex ſpec. dialth. Fern. & aperitiv. For. cum fol. ſenn. mechoacann.* quibus magnam ſeroſorum humorum, alias ad renes tendentium, copiam per alvum eduximus, ne guttam vero urinæ elicere potuimus. Potus ordinarius conſtabat ex *ſpec. dialth. Fern. & aperit. For. cum raſ. C. C. ſem. aniſ.* Ex *diureticis*, *lithontripticis*, *pellentibus*, ſumſit *tinct. ſal. tartar. ſpir. ſalis dulc balſ. ſulphuris terebinth. ſuccinat. ſal geniſt. ononid. fabar. ſpir. ſalis coagul. tartar. Vitriolat.* aliaque; imo pro exigentia ſymptomatum, utpote vigiliarum, dolorum, etiam *laudan. de trib.* in refracta doſi, alvoque libera exiſtente; pro corroboratione virium *confortantia.* Sic tandem ſeptima morbi die robore naturæ moti ſunt *calculi* ex renibus in ureteres, cum vehementi, lancinante, pungente dolore; ex his brevi delapſi in veſicam urinariam: patente jam exitu parum urinæ, non quidem ſine dolore, emiſit, mox una cum tribus lapillis, magnitudine fabarum, urinam ſubcruentam. ſine dubio ex laceratis vaſculis a calculorum aſperitate, excrevit, & poſt ſubnigram, tandem, & quidem abunde, pallidam, copioſa materia viſcida, ſabuloſa refertam. Dolores ſtatim poſt excretionem urinæ evanuerunt omnes, remanente ſolum laſſitudine ulceroſa ſenſuumque torpore, donec vires ſuas deperdi-

perditas recollegit, atque ex integro convaluit. In aliis eodem tempore observavi summum *urinæ ardorem*, ubi quidem fere nullus urinæ fuit defectus, maximus tamen dolor, & in urethra ignea quasi rosio. In aliis *Stranguriam* animadverti; ubi continuus fuit ad mingendum stimulus, nihil tamen, nisi una vel altera gutta effluxit. His omnibus feliciter medebamur *decocto aperit. For. dialth. Fern. cum fol. senn. clysteriis*, nec non *topicis*, *balneis*, aliisque superius allegatis. Inter morbos illius temporis etiam occurrit *Passio Iliaca*. Hac corripiebatur quidam Vir-Juvenis, *herniæ scrotali* jam ab aliquo tempore laborans, alvi nempe contumacissima obstructione, vomitibus frequentissimis, doloribus circa umbilicum summis, instituta autem repositione, nec non adhibitis crebrioribus *enematibus*, *aquis laxativis*, *cataplasmatibus ex decoctis emollientibus*, alvus stimulata sui officii memor copiose excrementa reddidit, evanuerunt dolores, nec non Vomitus, imo jam periculum evasisse ab omnibus judicatus fuit. Sed ecce, diebus aliquot elapsis, nescio quo errore commisso, in eundem morbum recidens, accedente febre, vomitibus stercoreis, obstinata alvi constipatione, sudore frigido in extremis, doloribus atrocissimis, delirio, singultu, virium languore, & ultima die dejectionibus spontaneis, septima recidivæ die, remediis prioribus nunc nihil proficientibus, extinctus est. Jam addam, quæ de *immodico hæmorrhoidum fluxu* notavi. Fuit Vir quinquagenarius, artis pharmaceuticæ peritissimus, ex familia, cujus indigenis masculis hic affectus quasi proprius, ortus. Is jam in ætate sua juvenili fluxum hunc sanguineum expertus est, qui si statis & definitis temporibus, singulis nempe mensibus, moderate rediit, sanitati quam maxime profuit; si vero ex voto non successit, statim toti corpori languorem induxit, intestinis tormina, gravitatem circa os sacrum, calores febriles quasi continuos, biliosas capitis defluxiones, oculorum inflammationes &c. conciliavit. In ætate virili sanguis non amplius moderate ad uncias, sicuti ante, & menstruatim, nescio qua sanguinis acrimonia aut viarum laxitate, non periodice, sed singulis fere septimanis, ad libras manavit cum notabili virium dejectione, faciei colore ad viriditatem inclinante, gravitate in coxis, in cruribus magna debilitate, ut vix incedere potuerit. Sisti cito hic fluxus non debuit; sanguis enim statim regurgitavit ad pectus, & *anxietates præcordiorum*, *respirationem difficilem*, *palpitationes cordis* induxit. Cum vero immodicus hic fluxus latentem hactenus *cacochymiam*, nec non acredinem & salsedinem sanguinis insignem prodiderit, imo aut *hydrops*, aut *phthisis*, aut *apoplexia* exinde metuenda, & vires jam laban-

labantes medelam urſerint, ſuaſi omnino in brachio *Venæſectionem, roborantia & temperantia, acidula*, bilem acrem, lentam, roſivam corrigentia, & per epicraſin educentia, v. gr. *Tinct. roſar. corall. mart. aperit. c. ſucc. oxalid. M. Tinct. ſeri lact. caprin. cum tamarind & rhabarb. fact. pulv. hepat. ſal. cichor. grana granatorum acidorum ſucculenta*, quæ maſticavit, ejusque ſuccum deglutivit, *pulv. cachect. Qu. lap. cancr. crud. ſmaragd. præp. corall. mag. perlar.* emulſiones *ex ſem. frig. cum decoct. hord. & julep. roſac. fact. nitroſa* ipſa, *compoſ. Sperniol. Cr.* quibus ebullitionem in ſanguine nimiam compeſcuimus; fluxum vero immodicum *blandis adſtringentibus* cohibuimus, v. gr. *Tinct. mart. adſtring. lap. hæmatit. eſſ. travmat. ſir. de roſ. ſiccis, myrtill. trochiſc. de ſpod. carab. croc. mart. adſtring. dent. eq. mar. ſ. hippopotam. ſucco urticæ expreſſ. & depur. infuſo millefol. ſanguiſorbæ, vino rubro ex infuſ. carn. cotoneorum*, aliisque in primis topicis, v. gr. *unguento Comitiſſæ*, quo inungi debuerunt hæmorrhoides, & dorſum, aut aliis fomentis, linimentis & fotibus ex *ſucc. plantag. burſ. paſtor. verbaſc. ſangu. dracon. thur. terr. ſigill. rad. biſtort. tormentill. &c. it. vernice*, in qua intinctus fuit pannus lineus & *cum ol. roſat.* admotus. *Polygonum*, utpote ſingulare & decantatum euporiſton, ſub axillis frequenter geſtavit. Obſervari autem diligenter debuit, ne alvus plus ſolito adſtricta fuerit. Hac igitur methodo ſymptomaticas excretiones temperavimus, atque Pharmacopœum noſtrum ad multos annos conſervavimus, donec tandem mœrore animi confectus, & viribus jam exhauſtus placidiſſime obiit. Menſe *Decembri* luctuoſa *epilepſiæ* notavi phænomena. Puer octennis noctu hora XII. in aream mictum exiens ſpectrum ibi perſpicit, horrore ac terrore plenus ſummo cum angore & clamore in hypocauſtum & lectum veluti furiatus rediit. Vix ſeſe ad quietem componens tentabatur horrore, ſudore frigido, affectibus convulſivis. Mane accerſitus deprehendi inordinatam ac involuntariam membrorum concuſſionem, modo ceſſantem, modo redeuntem. Affectus hic indies invaluit, & ſecutæ ſunt brevi graviſſimæ convulſiones nervoſi generis, genarum labrorumque terribiles ſpaſmi, adfuit continuus digitorum, velut aliquid comprehendentium, luſus, contumaciſſima alvi adſtrictio, nulla ſpuma circa os, oculi manſerunt aperti & irretorti, reſpiratio libera, oris autem diſtorſio enormis, largo riſu mox ſuperveniente; dentes valide coierunt, ut pro infundendis cibis liquidis & medicamentis, inſtrumento aperiri debuerint, articulata vox periit, & nil, niſi clamor remanſit, mentis operatio defecit,

 nec

nec sensus nec memoria alicujus rei extitit, sedere, stare, ambulare nequivit, & quando mater ipsum elevare voluit, mox instar globi sese incurvavit, mox in alios incredibiles flexus instar arcus sese præcipitavit; nec paroxysmus inducias concessit, sed duos menses indesinentèr fere diu noctuque continuavit. Terrorem morbum hunc convulsivum produxisse, extra omne dubium est, licet non excluderem *vermes*, quorum aliquot ante & in morbo excrevit. In hoc tumultu morbique vehementia pro demulcendis partibus convulsis, vellicatis ac distortis, *antepileptica specifica* sæpissime exhibita, v. gr. *pulv. epilept. M. spec. cephal. Mich. mag. cran. hum. ungul. alc. præp. unicorn. mar. cinnab. nat. castor. aqua epilept. Lang. hirund. c. castor. &c.* nullum præstiterunt emolumentum. Vomitoria cum Laxantibus mixta, v. gr. Recipe: *Aquæ laxat.* ℥ij. *sir. Emet. A. S.* ℥ß. *M.* pro una vice, quæ pro educendis humoribus biliosis, cum acido confermentatis, fixis, binis vicibus exhibui, observavi hic felicissime profuisse. Jam optimo cum successu reiteravi specifica, v. gr. Recip. *Specif. cephal. M. gr. vij. pulv. epilept.* ℈ß. *castor. gr. vij. ungul. alc. præp. aut unicorn. mar. gr. v. M.* eaque quotidie bis aut in forma pulveris, aut potionis, additis aquis appropriatis & sirupis, præscripsi, quibus aliquando granum ß. aut ad summum gr. j. *laudan. de tribus* addidi. *Enemata* multum profuerunt. Atque sic post duorum mensium tædia expugnatus fuit morbus, ut jam puer sui compos stare, ambulare, sedere, cibum ac potum capessere, articulate loqui potuerit. Subsecuto mense *Majo*, ne in posterum recidivaret, misi illum ad *Thermas Badavino - Austriacas*, ex quibus redux immunis jam ab hoc execrando morbo vivit, & quod mirandum, sine ulla mentis aut memoriæ labe. Hoc mense duos notavi *apoplecticos*. Unus octogenarius ex ordine senatorio, prævia vertigine, lassitudine membrorum, desubito *apoplexia* correptus cum sensus ac motus abolitione, pulsu magno, in debilem tandem & frequentem mutato, omnibus in cassum adhibitis, secunda morbi die placidissime obiit. Alter fuit Reverendissimus hujus loci Plebanus, 56. annorum, atque habitus corporis obesioris. Hic, dum nocte Natalitii Domini hora secunda matutina sacris peragendis intentus, præ verecundia, justo diutius retinuisset urinam, ab altari reversus de torpore, vertigine, anxietatibus conquestus est, mox domum vectus & in lectum delatus ex regurgitatione seri urinosi ad superiora, *Apoplexia* fortissima cum stertore, spuma ante os, tactus, spatio semiquadrantis, adeoque eadem hora, qua sanus fuit, repente interiit.

Con-

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1707.

JAnus bifrons eadem ſerena fronte, qua veterem annum denis ſereniſſimis diebus clauſit, auſpicatus eſt novum totidem ſerenis, calidis, ſiccis diebus, unde ſtatim X. die ingruerunt frigora, mox ſubſecutæ ſunt nives copioſæ, quæ congelatæ ad feſtum purificationis usque jacuerunt durabiles. Secundus *Februarii* dies totus fuit turbidus, & regula ruſticorum hoc anno veriſſima: Sole nempe micante, die purificante, nix aut frigus erit majus, quam ante. Eo ipſo enim die remiſit frigus, nives liquatæ omnes, ingruerunt pluviæ, nebulæ, quæ ultra ſeptimanam inſtiterunt, denſiſſimæ, fœtidæ, corporibus noſtris valde infeſtæ; die 17. 18. rigidos habuimus ventos, boræos, qui ſiccarunt terram. Jam ad aliquot dies frigoris vis ſoluta, ſed die 24. Feſto Matthæi intenſior facta in medium *Martii* continuavit; adeoque *Februarius* fere totus ſiccus fuit; Bacchanalia amœniſſima, ſerena, calida, dies Cinerum valde frigidus, ventoſus; medio *Martii* ceciderunt nives, mox ſecutæ ſunt pluviæ. Æquinoctiale tempus notabatur valde turbidum, pluvioſum, nivoſum, lutoſum, imo ad finem menſis usque tumultuaria tempeſtas, mox ventis, mox nivibus, aut pluviis, moleſta, raro ſerena; adeoque *Martius* valde humidus atque ingratus. *Aprilis* incepit cum nivibus, pluviis; mox inſecuta ſunt frigora, quæ tempeſtas tumultuaria X. continuavit diebus, imo totus menſis magis fuit frigidus, ventoſus, quam calidus. Ipſo quoque *Majo* cœlum, ſi paucos amœnos dies exceperis, utplurimum atris inhorruit nubibus, & dies turbido aëre frigidisque ac frequentibus pluviis reddidit minus vernales, minus majales, rigidi præter morem extiterunt. Menſe *Junio* longe amœnior ac placidior aura comparuit. Medardi dies valde ſerenus ſine ullis pluviis, & rediit nunc calor intenſiſſimus, imo, quod ex tot aëris viciſſitudinibus & cœli inclementia, ſuperioribus menſibus prægreſſa, nullus præſumſiſſet, multo minus crediſſet, jam ante diem Viti copioſe uvas in flore deprehendimus: die XVI. ſupervenerunt pluviæ gratioſiſſimæ, fructiferæ, mox æſtus increvit, & fere tribus ſeptimanis indeſinenter, nulla intercedente pluvia, continuavit, cujus ardore terra valde exiccata dehiſcere, homines autem ob largiores ſudorum effuſiones defatigari debuerunt. Febres *continuæ* modo cum, modo ſine exanthematibus, modo benignæ, modo malignæ, prouti apud nos

quo-

quotannis observantur epidemicæ, ita & hoc semestri fuerunt frequentes, in quam plurimis malignitatis expertes, & methodo ordinaria, superioribus annis jam tradita, tractatæ, plerumque die XV. in alio nono, in uno septimo, prægressa eodem die hæmorrhagia critica, ex voto solutæ. Alios invasit cum maxima malignitate. Sic honesta quædam fœmina, quadragenaria, ex eadem *febre* die morbi demum XI. incepit delirare, quod alias pro pessimo & fatali signo habeo, XV. recesserunt calores, sed quinque diebus & noctibus insomnibus continuis transactis, valde delira ab assumpto *pulvere epilept. M. mag. marg. perlar. pulv. analept. castor.* nec non grano uno *laudani de tribus*, somno quidem jucundissimo quievit, sed expergefacta in gravissimas incidit convulsiones, cum continuo tendinum insultu variisque labiorum spasmis: tandem XVIII. die, adhibitis frequentioribus *antepileptcis*, *confortantibus*. nec non *enematibus*, alleviata præter omnium spem convaluit. Et sicuti serotina deliria latentem produnt malignitatem, si non exitium ipsum, ita præmatura funestum semper præsagiunt exitum. Observavi hoc iisdem mensibus in filiolo sex, in juvene XVII. in Viro L. annorum, qui omnes ex *febre maligna* tertia die inciderunt in continua deliria, sexta convulsi mortui sunt. Alia fœmina melancholica, & simul gravida, cujus maritus cum quatuor prolibus simul & semel mense *Martio* in uno cubiculo, epidemiali hoc morbo decubuerunt, (qui tamen convaluerunt omnes,) eadem *febre maligna* detenta cum *uvulæ ac tonsillarum inflammatione* summa, octava recentem enixa est puerum, inde valde debilitata nona delirare incepit, & ex caloribus, viribus exhaustis, emaciato corpore, vigiliis continuis, credebatur certo certius peritura. Sed ea fuit fortitudine, ut *sudoriferis*, *confortantibus*, *epilepticis*, rite tractata calores illos intensos ultra XXX. dies sustinuerit, & periculum evaserit, remanente aliquali mentis labe. Mense *Januario* singularis contigit casus. Puella XV. annorum ob leves errores commissos matris castigationem verita sibi ipsi mortem consciscere voluit, sumptisque aliquot granis *mercurii sublimati* incidit de subito in continuos *vomitus*, *alvi fluxus* cum gravissimis intestinorum torminibus, siti magna, linguæ ac faucium ariditate; sed causa horum symptomatum mox patefacta, accersitus exhibui *theriacalia*, in primis *cryst all. mont.* ʒß. *cum ol. amygd. dulc. it. juscula pinguia*, & loco potus ordinarii *lac bubulum* suasi; his acidum venenosum absorptum, acrimonia obtusa; & puella ab interitu vindicata fuit. Venena enim mineralia sola corrosivitate agunt,

ex

ex qua, si non statim ab initio idoneis medicamentis succurratur, *necrosis*, & ex hac sanguinis & seri destructio. Hoc videre licuit in fœmina mediæ ætatis, nutrice, cui ab alia *arsenicum citrinum* malitiose in jusculo propinatum fuit, intra paucas horas extincta. Hæc cardialgia, lipothymiis, intensissimis torminibus, vomitibus, alvi dejectionibus cum irritatione acerrima valde agitata, post mortem exhibuit stomachum & intestina partim *gangrænata*, partim *sphacelata*, erosa, sanguinem nigerrimum. Eodem tempore Vir quinquagenario major, sanguineus, diu noctuque per triduum somno profundo, *lethargo* vix absimili, quasi sepultus jacuit, sine ulla alteratione febrili, aut pulsus mutatione, quarta, *Potione Laxativa mannata* sumpta, expergefactus, sibi optime præsens, atque ad interrogata apposite respondens, de *prostratione virium*, & sequenti die in brachio dextro de *tumore*, aliquali *rubore*, sed *dolore* summo valde conquestus, sexta obortis *caloribus* & supervenientibus *deliriis*, atque omnibus incassum adhibitis, *suffocatus* obiit. Hac hyeme *articulorum dolores* sine inflammatione, sine tumoribus, valde grassati sunt, ubi *laxativa*, *aperientia*, *præcipitantia*, *decoct.* nempe *aperitivum cum fol. senn. S. S. rhabarb. mann. tartar. lap. cancr. præp. sal acetosell. cichor. diagryd. sulphurat. pulv. hepat. flor. nitr. tartar. Vitriolat. &c.* sæpius adhibita omne absolverunt punctum, & intra quadragesimam medicam morbi vehementiam infregerunt. In honesta quadam fœmina iisdem *doloribus* detenta, sed *alvi fluxu* simul laborante, septima die morbum notavi jam solutum. Præstat igitur in his affectibus *alvum* habere magis *laxam*, quam adstrictam. Mense *Februario* in ablactatis & lactentibus copiosas observavi *febres catarrhales*, quæ invaserunt tenellos cum tussi vehementi, caloribus continuis, ariditate faucium, facie floridiori & rubente, siti, sternutationibus, respiratione frequentiori, in aliquibus inter respirandum cum stertore & sonitu, utplurimum cum *dentitione*. Profuerunt hic *enemata* sæpe adhibita, *expellentia temperatiora*, aciditatem lymphæ corrigentia, cum *pectoralibus* mixta, v. gr. *pulv. alexit. epilept. spec. diair. antihect. Pot. lap. cancr. C. C. philos. sir. pectorales*, inunctiones ex *ungu. pectoral. rubr. potab. cum ol. irin. anis. dest. &c.* ratione simul habita virium. Atque hac methodo omnes ante nonum diem feliciter ad sanitatem perducti sunt; *convulsionibus* autem *epilepticis* simul tentati perierunt fere omnes. Vernale tempus *phthisicis* & *hecticis* valde grave, quam plurimis funestum fuit. Sic inter alios officialis, necdum tricenarius

narius, ex castris sub finem *Novembris* præteriti anni redux, & jam ab aliquo tempore *hectica pulmonari* laborans de tussi vehemente, gravitate pectoris, copiosa materiæ purulentæ expuitione valde conquestus est. Affectum hunc curatius examinans ex rorida partium nutriendarum substantia jam fere consumpta, ex calore non amplius latente, sed jam manifesto, ex pulsu frequentiori & celeri, in primis post pastum, ex urina oleaginosa, ex difficili respiratione ad motum quemvis atque aëris alterationes, ex frequentiori tussi, quandoque sicca, quandoque cum sputo purulento, quam utplurimum, sumptis cibis, secuta est vomitio, *secundum hecticæ febris gradum* jam imminere, atque humorem nutritium in gelatinosam magis substantiam conversum quasi deliquari, sive pulpas carnium hinc inde in corpore manifeste quasi depasci, quæ *species febris Marasmodes* dicitur, judicare debui. Externe pariter & interne adhiberi curavi remedia, quæ alias huic affectui habentur appropriata, *expectorantia*, *abstersiva*, *analeptica*, *refrigerantia*, *travmatica*, *obtundentia*, v. gr. *pulver. anonym. spec. diair. lac sulphur. pulv. Haly*, *lap. cancr. spec. de gemm. frig. pulv. analept. antihect. Pot. spec. pro decoct. flor. & fruct. spec. pectoral.* (quibus quandoque beneficio alvi non succedente, addidi *mannam electam*,) *Sir. de jujub. flor. papav. loch. san. & expert. de pulmon. vulp. conserv. rosar. bellid. tussilag.* emulsiones ex *seminibus cum decocto hordei*, *julepo rosaceo & nitro perlato* paratas, *gelatinas ex herbis pectoralibus &c. lac caprillum cum sacharo* mane potum, aliaque; externe *unguent. rubr. potab. pectoral. cum ol. irin.* nec non *emplastra pectoralia* usitata & *cataplasmata*. Cura hæc hyemalis videbatur succedere ex voto, rediit appetitus, redierunt vires, remiserunt calores, non nisi post pastum revertentes. Ast induciæ solum ad breve tempus fuerunt, nulla pax. Insinuavit enim se malum, nobis id minus opinantibus, increverunt calores, sæpe velut paroxysmos febrium æmulantes, supervenerunt sudores nocturni, vel matutini colliquativi, virium prostrationes, respiratio anhelosa, indicio manifesto, miasmata pulmonum ulcerativa in massam sanguineam copiose delata ibique confermentata, ignem peregrinum internum non solum hactenus fovisse, imo erosione ad glottidem producta, vocem raucam conciliasse, verum etiam alimentarium ac roridum lymphæ nectar acrimonia sua volatili, aut fermento suo putrido penitus inquinasse & destruxisse, ut jam corpus marasmo incurabili consumptum, pedes vero tumidi, & cutis vix ossibus hærens, tanquam funeri suo propemodum

modum ſuperfuerit, donec tandem lenta morte tabeſcens menſe *Majo* placidiſſime obiiſſet. *Hecticam ex ſcorbuto calido* natam obſervavi in juvene XVII. annorum. Is alias melancholicus, vitæ ſedentariæ amans, ſæpe ſenſit tumorem in ſiniſtro hypochondrio, aliquando febriles alterationes, brevi tranſeuntes, palpitationes cordis, frequentes phlegmatis moleſte ſalſi e tonſillis aliisque oris glandulis rejecti, in primis matutino tempore, exſcreationes. Facies fuit lurida, pallens, ſubtumida, maculis copioſis, lividis, granulatis referta, quaſi pulvere pyrio afflata, indicio certiſſimo, liquores vitales a ſalibus acido-bilioſis, acribus, valde jam eſſe deturpatos, unde particulis ſulphureis rarefactis facillime *febris lenta*, *hectica*, ſeſe inſinuare potuit. Calor fuit primo occurſu mitis, paulo poſt acer & mordax, qui ſemper circa veſperum ſub ſchemate *febrilis paroxyſmi* rediit, ſed in inflammatorios calores terminavit; obſervabatur jam urina oleoginoſa, reſpiratio difficilis, ſitis magna, appetitus proſtratus, emaciatus corporis habitus, continua pulmonum oppreſſio, virium languor, decubitus in dextrum latus valde moleſtus, tuſſis cum ſputo purulento, ſpiſſo, fœtido; corpus ſudore tota nocte quaſi diffluxit cum pulſu frequenti & maraſmo, atque contabeſcens torpidus fuit, moroſus, profundis cogitationibus defixus vix ad interrogata reſpondit, neque claram, ſed non niſi ſubmiſſam & raucam vocem edere potuit, quod vitio pulmonum ſanie repletorum, qui aëris copiam, quo vox formatur, imminuunt, natum. Hoc tamen notandum, quoties alvus fuit concitatior, & ad *diarrhœam* proclivior, toties alleviationem ſymptomatum ſenſit patiens. Acceſſit tandem facies Hippocratica, nares ſcilicet acutæ, oculi concavi, tempora collapſa, genæ exeſæ, malæ protuberantes, ſcapulæ, claviculæ, coſtæ prominentes, artus cum reliquis muſculoſis partibus excarnes, verbo: oſſa tegit macies, nec juvat ora cibus, & fuit ſceleto ſimilis. Adhibuimus ex ſpecioſiſſimo medicaminum *thoracicorum & ſcorbuticorum* apparatu ſatis mature remedia, v. gr. *pulveres pectorales* ſuperius notatos, *cum pulv. hepat. rad. ari, tartar. vitriolat. &c.* remixtos, linctus, gelatinas, emulſiones, electuaria, infuſa, decocta ex *ſpec. pro decoct. pectoral. flor. & fruct.* nec non *herb. fumar. beccabuug. trifol. fibrim. cichor. acetoſ. hepat. nob. flor. bellid:* aliisque cum *ſero lactis*, aliquando cum *aqua* ad formam potus Theæ parata, imo menſe *Majo*, cum animadvertiſſem, hecticos calores aliquantum deferbuiſſe, *lac caprillum recens* cum modico *ſachari*, a quo tamen ob acidum vel ſalſum ventriculi fermentum, anxieta-

tes præcordiorum, hypochondriorum tensiones, adauctam inde febrim, mox abstinere debuit. Nil vero magis profuit in *sudoribus nocturnis*, quam *unguent. resumtiv. infrigid. Gal. cum saccharo saturni* paratum. Ast vehementia & diuturnitas morbi elusit opem & operam omnem, donec tandem medicamentorum pertæsus, accedente extrema virium prostratione, fati necessitatem longiori vita dignus, magno cum parentum luctu persolvisset. Eodem tempore Franciscanus XXX. annorum laboravit *phthisi vera*, sive consumptione partium corporis musculosarum a colliquatione & pulmonum vitio orta, quæ fuit cum compressione pectoris, difficili respirio, sed fere sine febre; huic præmissis *pectoralibus* in primis *antihectico Pot.* aliquando cum *pilulis de cynoglossa* remixtis, exhibitisque subinde *laxantibus mannatis*, decoctis quoque aut jusculis ex *herbis pectoralibus*, *resolventibus*, *expectorantibus &c. lactis caprilli* usus optime cessit. Acrimonia enim humorum salina inde fuit temperata, serum dilutum, corpus humectatum, & ad nutritionem dispositum. In aliquibus observavi *febrem hecticam ex Quartana*, utplurimum autem ex *febribus continuis* male judicatis subortam. Harum enim fermentatio & calor p. n. continuatus alimentarium lymphæ rorem absumsit, inde virium habitusque corporis concidentia; acredo vero, quæ alias per vices accessit, & tumultus edidit fermentatione continuata, aucta & quasi domestica facta *febrem hecticam Marasmoden* in uno & altero induxit lethalem. In pueris & puellis III. IV. V. VI. annorum, notavi eodem tempore apud nos alias valde frequentem *Tabis speciem*, quæ fuit cum *abdominis tensione* & intumescentia, calore intrinsecus aucto, pulsu circa vesperum celeriore, inquietudine nocturna, carne flaccida, totius corporis extenuatione, etiam in iis, qui avidissime comederunt, ita quidem, ut carne jam absumpta, ossa omnia prominuerint, sola cute contecta. Faciei color fuit pallidus, subniger & lividus, nulla fere adfuit tussis, nullum sputum, respiratio libera, indicio evidentissimo, hos sine pulmonum corruptione, marcore confectos, causam autem fuisse quærendam in *mesenterii*, ductuum nempe lacteorum, *glandularum* obstructione, nec non humorum corruptorum in abdomine abundantia; utut non negem, *lumbricos* tunc simul in intestinis nasci potuisse, qui quandoque in conspectum venerunt. Unde non mirum, cum universi sanguinis systema sale acri-acido jam scaturierit, corpora debito alimento privata, in tantam incidisse maciem. Huic malo quamplurima opposuimus remedia, in primis *aperientia*, *mar-*

tialia,

tialia, v. gr. *croc. mart. aperit. cum ſalibus*, *arcan. dupl. nitroſa*, *pulv. hepat. ſal. C. B. tartar. vitriolat antibect. Pot. lap. cancr. rad. ari &c.* aliquando *anthelmintica*, *v. gr. aquam contra verm. cum ſir. flor. perſic.* aliaque *Topica*, *unguent. contra verm. deoppilat. martiat. ol. cappar. tamariſc. colocynth. ſpirit. ſal. ammon. &c.* ſed irrito conatu omnia, donec tandem lenta tabe conſumti ſupremum diem clauſiſſent. *Octimeſtres* aliquot *partus* his menſibus habuimus, quos tamen omnes ſpatio V. VI. vel VII. dierum mortuos obſervavimus. *Julius* incepit cum caloribus, quos tamen quandoque contemperarunt pluviæ lenioresque venti, has die X. habuimus copioſas, quas ſequentibus XIV. diebus calores exceperunt intenſiſſimi, die XXI. XXII. XXIII. tonitrua horrenda cum fulguribus, quandoque cum, quandoque ſine imbribus; a die XXV. ad finem usque variæ aëris viciſſitudines, mox diverſi ventorum tumultus, mox frigora, mox pluviæ, rariſſime ſolis ſplendor. Integer *Auguſtus*, ſi ſex aut ſeptem dies amœnos per intervalla calidos, exceperis, pluviis & ventis præter ætatis anni indolem, valde rigidus fuit. Pluviæ continuarunt ipſo *Ægydii die*, ſequenti autem, diſcuſſis jam nubibus nebuloſis, cœlum ſerenatum gratiora nobis promiſit tempora, & ſecuti ſunt XIV. fere dies calidi, ſereni, noctes tepidæ, viniculturæ exoptatæ. Medio *Septembris* rurſus varias ſubiit mutationes tempeſtas, maximæ exortæ nebulæ, ſolis demum meridiani ſplendore diſſipatæ, ſed brevi in pluvias fere continuas, aut de die, aut de nocte, in primis *æquinoctiali die* abeuntes, quæ cœli inclementia ventoſa ac pluvioſa in *Octobrem* usque duravit, unde botri nec dum bene maturi aut digeſti juſto citius ob exceſſivum humidum computruerunt, & deciderunt copioſe in terram. Quinta *Octobris* ſpem fecit haud exiguam ſerenorum temporum, ſed octava valde pluit, a qua ad ultimam lunæ quadram, i. e. XVIII. grato ſolis ſplendore corpora noſtra incaluerunt, quo ipſo ingruerunt pluviæ, XIX. gelu, XX. nives, quorum caſus die XXII. cum procelloſis aëris agitationibus ac frigore ingens fuit, earum tamen præceps ſolutio. Jam imminuerunt *vindemiæ*, & vinum, quod collectum fuit ante pluvias aut nives, in *Julium* usque, ſalibus heterogeneis a mucilagine terreſtri & ſulphurea quaſi ligatis, & in fermentationis negotio ſufficienti impeditis, permanſit turbidum, mucilaginoſum, ſed ſine fœtore; poſt pluvias autem contraxit fœtorem putridum, quem retinuit usque ad depurationem, quæ tandem poſt annum ſubſecuta eſt cum grato colore & ſapore. Circa finem *Octobris* autu-

mnalis amœnitas nobis iterum affulsit, quæ toto fere *Novembri*, qui siccus extitit, continuavit. *December* varius & inconstans fuit, mox frigidus, mox nebulosus, mox pluviosus, unde nives, quæ die Sancti Andreæ ceciderunt, brevi tabuerunt. Hoc semestri frequentes habuimus *febres Tertianas*, quæ utplurimum sine prævio horrore, potius cum corporis gravitate, præcordiorum angustia, vomitibus, siti, capitis dolore, vigiliis, in primis caloribus intensis inceperunt, & primis IV. diebus magis *continuarum*, quam *intermittentium* genium redoluerunt, donec tandem ad perfectam apyrexiam devenerunt. Initium curæ a *Venæsectione* sumsi, atque præscripsi *præcipitantia, antifebrilia ex lap. cancr. sal. absinth. C. B. centaur. min. arcan. dupl. antimon. diaphor.* tandem die intermissionis *Laxativum*; quibus feliciter sexto, aut ad summum septimo paroxysmo sublatæ fuerunt. Nec defuerunt *quotidianæ*, *quartanæ*, facili tamen negotio levatæ. Eodem tempore viguerunt *febres continuæ*, acutæ, quæ sub initium videbantur benignæ, tertio tamen & quarto die latentem suam prodiderunt malignitatem; calores enim hactenus vix considerandi, jam intensiores facti, immanes produxerunt cephalalgias, vehementissimas virium prostrationes, deliria, vigilias, sitim, linguam scabram, fissam, tendinum contractiones, motus convulsivos varios ac inordinatos, quos una cum tremore labiorum in chirurgi hujatis facie observavi frequentes, non tamen, quod mirandum, lethales. R. P. Franciscanis lues hæc fuit popularis, eosque fere omnes hic existentes invasit. Illi enim mustum mendicatum & collectum emissi vino novo turbido ac musto se obruerunt, ac corpus prava victus ratione ad *cacochymiam* disposuerunt. Jam reduces cibis luridis esurialibus, pro more & exigentia temporis, stomachum onerarunt, indeque has *febres continuas* sibi conciliarunt. *Venæsectiones* sub initium administratæ optime profuerunt, *diaphoretica expellentia*, v. gr. *antim. diaphor. mithridat. diascord. Frac. spec. de hyacinth. C. C.* cum *confortantibus & antepilepticis* mixtæ omne tulerunt punctum, morbumque hunc præcipitem, qui ex symptomatibus gravissimis judicabatur pernicialis; ubique septima die, nulla interveniente notabili crisi, represserunt, atque omnes, (fuerunt illorum undecim,) ex hoc morbo convaluerunt. Fœminas notavi aliquas ætatis provectioris, non gravidas, *fluxu mensium immodica* laborantes, qui utplurimum, in primis in plethoricis, ad XIV. dies duravit, & intra octiduum rediit cum languore, lassitudine totius corporis, facie pallida, quasi exsangui, inap-

inappetentia, ſiti, caloribus, dolore capitis, lumborum, hypochondriorum inflationibus, lipothymiis. Cauſa immodici hujus fluxus eadem omnino, quæ menſium ordinate fluentium; & ſicuti in hoc ſanguis turgeſcens venulas interiorem vaginæ ſuperficiem adeuntes divellit, ac per harum extremitates ruptas nomine menſtruorum nigricans lente promanat, donec ſubſideat aliquantum ac imminuatur ejus turgeſcentia, de quo legi meretur *Bohnius œconom. animal. progymnaſ. 16. pag. 254.* ita in immodico fluxu eadem vaſorum vaginalium oſcula rupta, necdum occluſa, ſed magis hiantia continuo quaſi fundunt ſanguinem, modo grumoſum, modo ſeroſum, pro habitudine ſanguinis & ſeri hic aut in quantitate, aut qualitate, & motu peccantis atque exitum affectantis. Laxior enim & mollior vaginæ compages admittendis & emittendis ſanguinis menſtrui ordinarii æque, ac extraordinarii, copiis magis accommodatur, quam ſolidior ac durior uteri ſubſtantia. Cum vero affectus hic, ſi negligitur, utplurimum *cachexiam*, *hydropem*, *atrophiam* minari ſoleat, maturavi curam, atque in plethoricis quantitatem ſanguinis, indeque natam ferocientem turgeſcentiam deplevi *Venæſectione in brachio* feliciter inſtituta, excedentem ebullitionem & fermentationem ab humoribus bilioſis, acribus, ſalinis volatilibus, ſanguini inductam *uterinis leniter incraſſantibus, & adſtringentibus*, v. gr. *corall. rubr. lap. hæmatit. trochiſc. de carab. de ſpod. pulv. Heurn. croc. mart. adſtring. terr. ſigill.* imo *terreis* omnis generis, *Tinct. antiphthiſ. Gr. corall. ſucc. urticæ &c.* in malo contumaciori & refractario cum his *adſtringentibus figentia*, i. e. *laudanum de tribus* acciſa doſi maritavi. In *hypochondriacis*, *ſcorbuticis*, ubi ſanguinis impetus ex obſtructione viſcerum, in primis meſenterii, non ſpontaneus fuit, ſed, qua data porta, ruens coactus, ab *Adſtringentium* uſu *præcordiorum anxietates*, *capitis dolores*, aliaque ſymptomata hyſterica notavi. Hic omnino locum invenerunt *Laxantia*, ſed leniſſima, extra paroxysmum propinata, v. gr. *decoct. fol. ſenn. tamarind.* & quod ſpecificum fuit, *rhabarb.* ipſum in ſubſtantia deglutitum. Profuerunt quoque, licet per Accidens, cum *confortantibus* mixta, v. gr. *Tinct. tartar. corall. compoſ. ſperniol. Cr.* aliaque *martialia temperata*, acorem ſimul abſorbentia. Pro meliori tandem viſcerum & vaſorum firmitudine, nec non fibrarum ac pororum coarctatione, optimo cum ſucceſſu ablegavi illas ad thermas *Badavino-Auſtriacas*, ex quibus reduces ordinarium, & naturæ convenientem menſtruum fluxum ex-

pertæ

pertæ sunt. In Perillustri quadam matrona notavi *Tumorem exiguum in pudendis*, qui tamen non extra pudoris sinum propendebat, sed, mensibus non fluentibus, quotide crescebat & intumescebat valde, mensibus autem fluentibus, qui sæpe intempestivo, aliquando immoderato & continuato ad aliquot septimanas fluxu urgebant, detumescebat. Adnatus fuit *uteri orificio*, cujus substantia cum vagina & pudendis absque hoc spongiosa, rugosa & glandulosa est, in qua varii generis humores stagnare & subsistere possunt, inde tumoris incrementum & decrementum. Tentavimus *injectiones cum aqua calcis vivæ*, *decocta lignorum* aliaque, irrito tamen conatu; suasi tandem *incisionem*, quam reformidarunt *Chirurgi Viennenses*, atque potius naturæ hoc opus committi, quam crudele & anceps sectionis remedium experiri decreverunt. Ejusmodi tumorem utero extrinsecus adnatum, tres libras ponderantem, in virgine XXIV. annorum, felicissime secuit *Chirurgus Halberstadiensis*, cujus mentionem facit *Frider. Hoffmannus in annotat. super Poterii opera, cent. III. cap. 47. pag. m. 332.* & ipse *Poterius eodem loco*, nec non *Blancardus in Collect. Medic. centur. 3. observ. 51. pag. 421.* Sarcoma autem totam uteri vaginam occupans, forasque propendens, atque interno ejus orificio adnatum observavit *Kerkringius Spicileg. Anatom. Observ. 53. pag. 114.* ex uteri orificio interiori varias excrescentias membranaceo-carnosas propendentes *Ruyschius, Centur. Observ. Anatom. chirurg. 6. pag. 12.* nec non *Bartholinus Centur. I. histor. 94. pag. 139. Centur. II. histor. 6. pag. 161. Centur. II. histor. 58. pag. 248. Segerus in M. A. C. decen. I. ann. 2. pag. 199.* aliique. Laboravit simul *fluore albo*, effluxitque fere indesinenter e pudendis materia purulenta, fœtida, sed sine dolore, indicio certissimo, serum seu lympham hic sola peccare copia, deponique in glandulis per uterum illiusque vaginam disseminatis, quæ nimium laxantur, ductus autem excretorii inde valde dilatantur, & sphincteruli, quibus hi ductus claudi recludique solent, a peccantium humorum, qui in vasis sunt fluxiles, jam extra vasa lentescentes & ichorescentes, mucosi, copia magis vel minus resolvuntur. Pro depletione seri excrementitii & viscosi, cum sit plethorica, ordinavi *Venæsectionem in brachio*, *fonticulos*, *laxantia ex manna*, *rhabarb. fol. senn. diuretica*, *terebinthinata* nempe & *succinata*, *mag. lap. cancr. decoctum dauci*, *aperitivum For. &c.* non omissis quandoque *martialibus & tartareis*: Serum corrigere, ejusque qualitatem cum sanguine contempe-

rare,

rare, nec non uterum glandulasque flaccidas roborare voluimus *infuso ror. mar. cum vino*, *pulv. absorbente Wedel. pulv. ex ebor. unicorn. fossil. oss. sep. corall. osteocoll. test. ovorum calcinatis*, *perlis*, *alum. plum. sacchar. saturn. tinctur. corall. essent. lign.* in primis *elix. Propriet. rhabarbarino* mane ad 40. guttas, vespeti vero sequenti pulvere: Recipe *magist. osteocoll. carniol.* ãã. ℈ijß. *corall. rubr. præpar. margar. præpar. mastich. gumm. arab. oss. sep. unicorn. foss. ebor.* ãã. *gr. XV. ol. lign. sassafr. gttij. M.* & dividatur in V. dos. it. Recipe *rad. chin. sarsæparill.* ã. ℥j. *passul. min.* ℥ißs. *mastich.* ʒij. *alum. plumos.* ℥j. *semin. anis.* ʒj. *concis. D. ad nodul. Spec.* Säckel zum Wasser sieden, pro potu ordinario; nec omisimus *Topica*, inunctiones, suffitus ex *salvia*, *mastiche*, *succino*, *thure*, imo nil intentatum reliquimus, eradicare tamen penitus affectum hunc contumacem non potuimus. Cum autem ex longa praxi constet, *fluorem* hunc *album* quandoque, in primis valde obesis, prout nostra fuit, & jam a lunari tributo fere absoluta, nec adeo enervata, in quibus humores turgent, si non est immodicus, proficuum esse, & pro *fonticulo* microcosmi habendum, qui impedit, ne corpus in majorem excrescat molem, abstinendum jam a medicamentorum usu, & curam ad *thermas majales* differendam duxi. *Hypochondriaci* variis & gravibus symptomatibus his temporibus tentati sunt; in quibusdam *ventris inferioris viscera*, in aliis *præcordia*, in aliis *cerebri confinia* maxime affici videbantur. Ex multis unicum saltem *hypochondriaci* enarrabo exemplum, in quo syndrome gravissimorum symptomatum apparuit. Vir, ætatis mediæ, temperamenti cholerici, habitus corporis tenerioris, ipso *æquinoctii autumnalis die* incidit in *ventriculi dolorem*, quem presso pede secuti sunt æstus vagi, atrocissimi capitis dolores, cordis palpitationes, anxietates præcordiales, dolor & constrictio in pectore, sive gulæ strangulatio, quæ *suffocationem* minabatur, præcordiis enim constrictis; non solum respiratio difficilis, & ad motum quemvis laboriosa fuit, sed & non raro supervenerunt animi deliquia, ex quibus laboribus & angustiis sudor erupit frigidus; in partibus extremis notabantur spasmi & stupores cum formicationis sensu & tremore undulante, in somno pavores, terrificis insomniis interturbati, continua intestinorum murmura, in ore sapor biliosus, alvus utplurimum obstructa. Observavi autem ex symptomatum horum confluxu suffocationes has hypochondriacas plerumque fuisse *spasmos* & contractiones partium nervosarum, ortasque a ventosa & humorosa hypochondriorum sentina. Sæpe ex mœstitia nimia, atque diutius continuata, nec non

 excessi-

excessiva lætitia, in has incidit ægritudines. In paroxysmo, præmissis *clysteribus*, eximie profuerunt, & omnibus palmam præripuerunt *castorina* cum *anodynis* mixta, v. gr. *pulv. castor. gr. viij. epilept. M.* ℈ß. *specif. cephal. g. v. laudan. de trib. g. j. M.* it. *mist. simpl. cum ess. castor. anodyna* maritata. Extra paroxysmum in eam maxime incubuimus curam, ut humores viscidos, acidos, obstructionum autores, attenuaremus. Multi in hoc passu multa laudant, atque pro specificis venditant. Nos in tanto medicamentorum apparatu in *martialibus & blandis laxativis*, v. gr. Rec. *Vitriol. mart. g. j. diagryd. sulphurat. g. iij. pulv. hepat. g. vij. ol. carminat. M. gutt. j.* M. pro j. vice, indubitatam semper medelam invenimus, imo hoc pulvere exhibito imminentem sæpe paroxysmum declinavimus; levi enim eguit purgante, quantum vel infans vj. septimanarum, vel minor adhuc ferre posset, sed singulo mense bis eundem *pulverem* in usum vocare debuit, inde alvus octies soluta, & molestissimus affectus sublatus fuit. Non minori voto successerunt *acidulæ Roitschenses*, quarum usu maximam alleviationem sensit. Jam addam, quæ in Viro ecclesiastica dignitate conspicuo de *Anaudia* notavi. Is LIV. annorum, plethoricus, atque alias *hypochondriaco affectui* obnoxius, jam mense *Julio balbutie linguæ* laborare cœpit; non enim tantum in concionibus, sed etiam prælectionibus precum publicarum, quin & in communi conversatione quasdam syllabas & voces inter pronunciandum absorpsit, vel quasi suppressit, ut vix intelligi potuerit, & sumsit hic affectus sensim atque sensim sua incrementa, donec sub finem *Septembris* mane derepente incidit in *Anaudiam*, sive *impedimentum sermonis*, ut articulate nec duo verba proferre quiverit, cum *stupore digitorum manus dextræ*, memoria factorum & gestorum, imo reminiscentia reflexiva læsa; neque enim scribendo mentem suam exprimere potuit. Linguam quaquaversum movit, volutavit, exporrexit, sapidissime comedit. Graviora metuens *Venæsectionem in brachio* ordinavi sine mora, nec non medicamenta *nervina, cephalica*, v. gr. *spec. diamosch. dulc. diambr. contr. apoplex. spec. cephal. M. extr. castor. sal. volat. succin. C. C. spir. sal. ammon.* cum *aqua lil. conv. ess. ambr. lign. aloës, sal. volatile oleosum*, aliaque. Linguam, in primis frenulum, inungi jussi linimento ex *conf. anacardina, alkerm. compl. ol. rut. lavend. cinam. extr. castor.* His frequenter adhibitis adhuc eodem die sese recollegit, atque intelligibilius loqui cœpit, redeunte simul memoria. Sensus motusque linguæ usus semper perstitit integer, loquelam nunquam amisit, quin potius sermonem exteriorem per motum linguæ exprimere, ob aërem tamen minus sufficienter

inter fluctuantes gutturis sinus impulsum & reflexum, non satis intelligibiliter proferre potuit; natum hoc utique vitio *laryngis*, nervorumque sexti paris, qui sunt vocales. Sermo enim impeditus fuit a resolutis aut relaxatis nimium musculorum angustæ laryngis rimæ constringendæ aut angustandæ dicatorum, ligamentis, quorum fibræ sine dubio a sero nimis copiose, vel per arterias, vel per vasa lymphatica ex toto corpore plethorico affluente, flaccidæ redditæ rimulam haud sufficienter pro allisione & extrusione violenta aëris angustare ac disponere valuerunt. Accessit & aliud malum valde suspectum, *faucium constrictio*, suffocationem, sive strangulationem mentiens. Hæc aliquoties, sed derepente venit, ipsiusque fauces quasi laqueo constrinxit, liberamque respirationem inhibuit, brevi tamen remisit. Putabant vitium hærere in *pulmonibus*, aut *abscessum* inibi latitare, sed falso; potius a particulis acidis & austeris hypochondriacis, mediantibus nervis recurrentibus, musculos faucium in spasmos cogendo, viam idcirco aëri præcludentibus, ne a musculis respirationi inservientibus præ angustia loci facta ex- & impelli queat, deducendum. Cum vero vidisset, se quidem voces & verba, nondum tamen expedite, neque semper integro sensu & phrasi proferre posse, ursit ulteriorem curam, quam ob anni ætatem, *autumno præcipiti*, ipsi denegavi, eamque ad incrementa dierum differre volui. Moræ igitur pertæsus incidit in aliquem, qui perfectam mali curam etiam hoc tempore promisit, deditque inter alia *Vomitorium*, ipso solstitio hyberno imminente, quo id assecutus est, ut quidem magnam humorum saburram, fictitium nempe, aut potius *imaginarium pectoris apostema* Vomitu rejecerit, inde alleviationem ad biduum senserit, paulo post tamen in majorem debilitatem, mentis vacillationem ac torporem, propensionem in somnum, loquelam difficiliorem inciderit. Nec his acquiescere voluit, sed ordinavit *fumisuctionem nicotianæ*, ipsi alias insuetam, nervis infestam imo *nervinis morbis exitiosam*; experientia enim constat, *Apoplexiam* inter *nicotianæ* usum sæpe invasisse, teste *Deckero exercit. Pract. p. m. 89.* & *Richardo Carr, epist. Med. 2. p. 21.* Inde valde obliviosus factus, & sub *initium Februarii* sequentis anni gravissima *apoplexia* tactus, subito interiit.

Constitutio Epidemica Semproniensis Anni 1708.

CRedidisses hac *hyeme* denuo permutata fuisse tempora, atque adesse æstatem etiam in frigidissimis alias mensibus. *Januarius* quippe nullum fovit gelu, nullas nives, fuit utplurimum pluviosus, nebulosus, humidus, nubilus, calidus. *Februarius* quasi totus calidus, amœnus, utplurimum serenus, quandoque pluviosus, ventosus, & circa finem cum modico frigore & nive, quæ tamen altera die evanuit, unde jam medio mense observavimus diversos flores. Huic ad *æquinoctium* fere usque plane similis *Martius*, amœnus nempe, calidus, qui in copia flores elicuit. Circa *æquinoctium* die XVIII. XIX. XX suborti sunt venti valde frigidi, rigidi, qui congelarunt terram, sed sub finem mensis aura iterum comparuit turbida, pluviosa. *Aprilis* præter morem illuxit serenus, calidus, plane æstivus, raro pluviosus, siccior magis. *Majus* variabilis, ad medium usque frigidus, pluviosus, a medio ad finem calidus, amœnus: II. autem, III. & IV. fuerunt pruinæ, quæ hinc in vineis damna fecerunt. Totus *Junius* pluviosus, *Medardus* quoque & *Joh. Baptista* effuderunt pluvias, imo nulla dies hujus mensis fuit sine pluviis. Toto *Januario* præter *otalgiam* in Viro, *mictum cruentum* in filiolo quodam post partum, *pleuritidem cum diarrhœa*, nullos fere vidi morbos. *Variolis* tamen laborantes habui, quorum unus erat VI. annorum, qui eruptis prius tertia morbi die una cum *variolis petechiis purpureis*, quarta die antea correptus *hæmorrhagia narium* mortuus est. Mense *Februario* observavi *Apoplexias fortissimas*, uti quoque *febres continuas* VII. die solutas. Hoc mense fœmina quædam enixa est *fœtum mortuum*, *secundinæ* remanserunt, altera die mortua. *Martio* filiolum quendam Rustensem *clausura ani* laborantem habui sub cura, de quo *Sculteti Armamentarium* videri potest: succurri etiam fœminæ *otalgia* laboranti *mist. simpl.* mixta cum *ess. castor.* De *doloribus capitis*, *Vertigine*, *diarrhœis* cum maximis caloribus, *febribus tertianis*; *continuis*, *variolis* tunc temporis grassantibus nil adducam. *Aprili*, *Majo*, *Junio* continuarunt *variolæ*, quas tamen modo in filiolo quodam prægressa est *epilepsia*; modo in puella die III. IV. V. secuta est *hæmorrhagia narium*, jam in alia die XII. *herpes miliaris*. Quædam *variolæ* confluebant, quibusdam jungebatur sub initium *diarrhœa*, quibusdam *epilepsia*. *Febres continuæ catarrhales*, *diarrhœæ* quoque his temporibus in conspectum prodibant.

Mense

Menſe tamen *Junio Variolæ* epidemice graſſantes maxime erant malignæ. Sic eas obſervavi in aliis cum *maculis purpureis*, in alio cum *vibicibus*, in alio ſuborti ſunt XII. die *furunculi* inſtar *anthracum*, in aliis *tumores* & *parotides* inſtar *bubonum*; aliis *palatum, gingivæ, fauces* fuerunt *exeſæ*: alios conſumpſit *calor hecticus*, inflammatorius, & fuerunt hæ variolæ funeſtæ die X. XXIII. XXVII. Sic malum, ſive venenum varioloſum in Gratioſo parvulo Ebergényi fuit inſanabile, adeoque plus docta valuit arte. Incepit morbus cum *horrore*, quem ingentes exceperunt *calores*, quandoque *deliria*, *ſitis magna*, *pulſus celer*, *languores* totius corporis, tertia die eruperunt *variolæ*, quarta *maculæ petechiales coloris purpurei*, guttarum inſtar copioſe per cutem diſperſæ, inde variolarum excretio retardata fuit, quæ tandem omnes coierunt in *unam*, totamque faciem *cruſta*, ſanie fœtidiſſima referta, contexerunt. Undecima die ſupervenit *diarrhœa*, brevi tamen conſopita, die XII. aliæ effloruerunt *veſicæ*, *aqua limpida flava*, quandoque *ſanguine remixto*, plenæ, quæ ordinarias contexerunt *variolas*, magnitudine *ovi columbini*, imo *ovi gallinacei*. Sie haben ausgeſehen wie die ordinairen Zangen-Blattern, ſo durch ein *Veſicatorium* aufgezogen werden, oder als wenn man ſich in heiß-ſiedend Waſſer verbrennt hätte, & ſteterunt per biduum: die XIV. notavimus in dorſo lateris dextri *tumorem*, qui nullo modo maturari potuit, ſed reſolutus tandem collum occupavit, omnemque maturationem reſpuit, imo ſeſe reſolvit: interea *calores* continuarunt intenſi, acceſſit *tuſſis* cum expuitione *materiæ purulentæ*, quandoque *ſanguinis*, *fœtor oris* fuit cadaveroſus, indicio certiſſimo, pulmones variolis refertos, valde eſſe inflammatos, exulceratos, utplurimum conſumptos, ſi non *ſphacelatos* XXIII. demum die pauperculus viribus jam exhauſtus obiit. Poſt mortem obſervata tota *facies* & *abdomen nigerrimum*, ex quo colligendum, non ſolum totam maſſam ſanguineam, verum etiam omnia viſcera corroſivo hoc veneno varioloſo fuiſſe infecta, & tandem *ſphacelata*. *Julius* magis pluvioſus fuit, quam ſerenus. *Auguſti* initium æque pluvioſum; quinta inceperunt calores, qui toto menſe continuarunt. *Ægidii dies* ſine pluviis; & per totum *Septembrem* mira aëris ſiccitas, calores præfervidi, intenſiſſimi, etiam nocturno tempore, qui durarunt usque *æquinoctium*, mane ros cecidit, & supervenerunt nebulæ fructiferæ. Flavit utplurimum hoc tempore auſter, bonum alias conſtantis tempeſtatis ſignum. *October* ultra medium ſereniſſimus, pulcherrimus, calidus, d. XIX. XX. noctes frigidæ, inde in aliquibus promontoriis botri congelati, ſuperveniente tamen ſolis ſplendore ſtatim regelati; d. XXVII. ante feſtum Simonis & Judæ ingentes ceciderunt

nives, dies festivus, nempe XXVIII. valde serenus, sed frigidus borealis, XXX. nec non XXXI. iterum ninxit, sed tertia nix absumpsit priores, ut jam sine damno vindemias nostras uberiores, præter expectationem, colligere potuerimus, neque nocuerunt nives, potius conservarunt botros a frigore, vinum autem, quod crevit in abundantia, fuit generosissimum, suavissimum, dulce. In *Novembri* aëris temperies longe benignior, & quidem calidior affulsit. *Decembri* aëre mutato ceciderunt d. VII. VIII. X. nives copiosæ, profundæ, mox secuta frigora, & circa finem denuo nives. Mense *Julio* continuarunt *Variolæ malignæ*, neminem tamen, qui X. annum excessit, hoc tempore invaserunt. Accedebant semper cum *somno*, ita ut nocte dieque dormiverint III. aut IV. diebus. *Augusto* nulli fere morbi visebantur præter *diarrhœas* & *dysenterias*. Circa finem ob continuas aëris siccitates, calores præfervidos, Sirio insigniter urente, inceperunt *febres erraticæ*, quæ nullum typum servarunt, invaserunt cum aliquali *frigore*, insequente *calore*, aliquando ultra XX. aliquando ultra 40. horas durante, post apyrexiam aliquot saltim interjectis horis novus paroxysmus accessit, cum *capitis dolore*, *siti*, *linguæ & faucium squalore*, *virium debilitate*, ita ut *febrem continuam* fore judicasses, donec tandem transactis aliquot paroxysmis in *tertianam ordinariam* degeneravit, quod utplurimum circa septimum diem contigit. Adhibui *V. S. diaphoretica*, *præcipitantia*, quamprimum vero notavi *tertianas*, aut *tertianas duplices*, exhibui statim *chinnata cum arcan. dupl.* optimo cum successu. *Septembri* continuarunt *febres tertianæ*, sexto paroxysmo solutæ, ubi optime profuerunt *chinnata &c.* De his febribus erraticis vid. M. N. C. *Dec. III. ann. VI. p. m. 177. app. nec non H. M. V. p. 300.* Inter alia notavi, *animi affectus* quid possint. Officialis quidam incidit in ejusmodi *febres*, præcessit horror, secuti sunt calores, qui in IV. durarunt diem continui cum anxietatibus præcordiorum, aut pectoris compressione, ut sæpe in lecto erectus sedere debuerit, cum capitis dolore, siti, deliriis &c. Adhibita *Venæsectione in brachio & pede* quinta die remisit calor, qui tandem undecima intermisit, ut jam extra periculum judicatus fuerit. Quid fit, accepto tristi & ingrato nuncio derepente incidit in *somnum profundum*, & quasi in ecstasin, ut exinde expergefieri non potuerit, tandem applicatis *clysteriis*, nec non *Vesicatoriis* intra XV. horas ad se rediit, omnium rerum inscius, vix loqui valens præ nimiis debilitatibus, ast eodem die relabitur in priorem *somnum profundum*, sicque elapsis vix XII. horis, accedentibus *convulsionibus*, *sine febre comatosus* fatis cessit. Pari ratione nobilis matrona, quinquagenaria, temperamenti seroso-biliosi, habitus

carno-

carnosioris, in sterili matrimonio semper existens, tributum tamen lunare suum accurate, sed largissime persolvens, *hypochondriacis* nec non *hystericis passionibus* valde obnoxia, jam a longo tempore valetudinaria, incidit sub finem *mensis Septembris* in *febrem continuæ subsimilem*, quæ rite tractata degeneravit in *tertianam exquisitam* septimo paroxysmo judicatam. Reliquit autem post se *summam virium prostrationem*, *anorexiam*, *capitis gravitatem*, *anxietates*, *cachexiam* ipsam. Urina, quam hactenus reddidit, fuit turbida, cum sedimento copiosissimo, mucoso, coloris rosei, non tamen fœtens. Materiam hanc hypochondriacam, quam natura, optima morborum medicatrix, per ductus urinarios excretam voluit, jam motam, promovimus *digestivis*, *aperientibus*; v. gr. *pulv. hepat. tartar. vitriolat. arcan. dupl. sal. cichor. lap. cancr. tinct. sal. tartar.* tandem *decoct. aperit. For. cum fol. senn. & manna* acuato. Quinquies inde dejecit, relicta tamen aliquali, sed torminosa in intestinis *hypercatharsi* ad biduum; qua sedata melius sese habuit, atque *ordinarius mensium fluxus* institit. Octiduo post, i. e. quarta *Februarii* observavi pulsum alteratum, justo celeriorem, sexta vesperi *affectum soporosum*, propensionem nempe gravem & invincibilem in somnum, reipsa dormivit, & excitata oculos aperuit, ad interrogata paucis, sed apposite respondit, de nullis doloribus conquesta, mox relapsa in somnum; si adstantes devotas ac pias cantilenas canere inceperunt, ipsa simul expergefacta statim cecinit, neque ante cantare destitit, quam inchoatam absolvit stropham, adeoque semper sibi fuit præsens, omnes cognovit, nunquam sensibus neque internis, neque externis, neque motu destituta, sed valde debilitata, & ad actiones more solito obeundas languida, respiratio fuit integra. Calor febrilis notabatur p. n. lentus, acris & mordax, qui vespertino tamen & nocturno tempore intensior, pulsus celer, mollis, facies pallida, subtumida, quasi *leucophlegmatica*, oculi ultimis diebus quasi turbidi, lachrymabundi. Opposui huic *Comati soporoso* varia, v. gr. *castorina*, *cinabarina*, *jovialia*; *sal. volatilia*, *succin. C. C.* cum pulveribus *epilepticis & confortantibus* remixta, nec non *Vesicatorium* nuchæ applicatum, sed sine operatione, imo irrito successu omnia, donec tandem somnus hic p. n. septima die corpus fratri suo morti tradidit. Paulo post mortem e naribus copiose stillavit *ichor serosus*. Verissima igitur manet *observatio Wedelii opiologiæ* inserta, *p. m. 46.* qua fatetur, se nunquam vidisse *affectum soporosum* vere talem, ubi non adfuisset *calor p. n.* simul, quod & ipse aliquoties jam in praxi observavi. Eodem mense *Illustrissima Comitissa* gratiosam enixa est

filiam

filiam, quæ *lac sugere ex papilla non potuit*, sed id per nares summa cum molestia & anxietate reddere debuit. Examinatis faucibus, *columella & tonsillæ cum postica parte palati* abfuerunt, unde lac, quod deglutire non potuit, per nares resultavit. Non diu superstes fuit, tertio enim a nativitate die, accedentibus *motibus convulsivis* fatis cessit. In causas inquisituri, quare natura in formando corpore a recta formatione & scopo deflexit, harumque partium deficientium oblita fuit, sciant, *Illustrissimam matrem libenter & quidem attente ac considerate sæpe in distractos canum & felium rictus ludendo inspexisse*, adeoque horum structuram fortiter sibi impressisse. Interim *Wedelianum porisma*, uvulam nempe ad deglutitionem eximie facere, manet verissimum. Parallela aliquo modo hisce exempla, si cui volupe fuerit legere, adeat *Observationes Wedelii recensitas in M. A. N. C.* legat *Dec. II. Observ. 5. ann. 5. M. A. N. C. p. 12.* nec non *Salmuth. observ. med. 6. cent. 3. pag. 115.* ubi similes reperiuntur casus. *Febres erraticæ* adhucdum *Octobri* continuarunt, calores autem non adeo fuere intensi, interim observavi *hemitritæos*, ubi *febris una die bis venit, & altera semel.* ViceColonellus quidam ex *febre colica biliosa* cum *vomitu* correptus incidit in *deliria*, ex his in *convulsiones epilepticas*, qui tamen evasit. Sic alius quidam Vir laboravit *febre continua* cum *maximis debilitatibus*, *capitis dolore*, corrosione & *torminibus ventris*, sexta supervenit *fluxus alvi*, septima *icterus*, qui occupavit totum habitum corporis, cum *dejectionibus albis*, *urina saturatiori*, *nigricante*, *oleaginosa*, *proclivitate in somnum*, & solvit calores. Ab initio dedi *diaphoretica* cum *confortantibus* mixta, caloribus vero jam abactis *spec. diacurcum. cum pulv. rhabarb. tartar. vitriolat. sal. cichor. trochisc. de eupator &c.* *Novembri* inceperunt grassari *morbilli* utplurimum *benigni*. *Tusses ferinæ* atque *catarrhi* fuerunt frequentissimi. Mense *Decembri* continuarunt adhuc *morbilli*, qui tamen sub finem anni maximam induerunt *malignitatem*, fuerunt valde *parvi cum maximis catarrhis, fuerint &c.* Quidam correptus ex *febre maligna cum diarrhœa, vomitibus, singultu continuo*, tandem adhibitis *V. S. stypticis, castoriinis*, nec non *opiatis*, quæ pro dosi *ad gr. iß.* præscripsi, nona die convaluit præter omnium expectationem.

Con-

Constitutio Epidemica Sempronienſis Anni 1709.

JAnuarius incepit cum frigore, quod a die V. ad XII. valde exaſperatum, imo poſt hominum memoriam acerbiſſimum fuit, remiſit tamen ad aliquot dies, d. XVIII. vero iterum intendebatur, verbo, nives ceciderunt ſupra nives, gelu ſupra gelu, & continuavit per totum menſem. Menſe *Februario* continuarunt frigora, imo III. & IV. ceciderunt nives copioſiſſimæ cum horrendo gelu & ventis, ut homo in plateis vix ire potuerit, quam tempeſtatem nemo unquam obſervavit, adeoque vera fuit ruſticorum obſervatio: Sole micante, die purificante, nix major erit, quam ante. Sol enim hoc die ſplendebat. Poſt *novilunium* remiſit gelu, ſed rediit die XVIII. XIX. ingens cum nivibus, quod continuavit: die XXV. & XXVI. longe majores ceciderunt nives cum omni tempeſtatum inſolitarum, frigorum & ventorum genere, quæ præcluſerunt ubique vias, arbores frigoribus obnoxias deuſſerunt cunctas. Duravit hoc in *Martium* usque. Continuavit enim & hoc menſe gelu una cum nivibus, quæ copioſe ceciderunt, ad *æquinoctium* usque, adeoque *hyems hujus anni fuit ſumma*, tempeſtas ſæviſſima, *nivis altitudo maxima*, cujus nulla hominum ante nos recordatur memoria. Jam miteſcente hyeme jucundiora & calidiora affulſerunt tempora. *Aprilis* enim fuit valde amœnus, ſerenus, calidus. *Majus* tamen erat frigidus, pluvioſus, XVII. die ninxit. *Junio* denuo calida, ſicca tempeſtas obſervabatur. Menſe *Januario* continuarunt adhuc *morbilli cum tuſſibus vehementiſſimis*, *catarrhi*; *febres continuæ* ſeptima die ſolutæ, quæ tamen leviſſima occaſione redierunt. Hoc menſe in *puella octenni* obſervavi *menſes ordinarios*. *Februario* graſſabantur *petechiæ*, *febres continuæ*, & matrona quædam mortua eſt *comate ſomnolento* ſeptima morbi die. *Martio* viſebantur *morbilli*, *herpes miliaris ex puerperio*. *Catarrhi* fuerunt frequentiſſimi, & apud infantes *cum febre continua*. *Febres continuæ*, *petechiales* adultos quoque invadebant, quæ poſteriores per totum *Aprilem* obſervabantur. Menſe *Majo* morbi præter *catarrhos*, *febres intermittentes* fere nulli. Virgo tamen quædam nobilis hoc menſe *ſphacelo ex colica bilioſa* duarum dierum fuit mortua. Erat hæc ipſa virgo XXXII. annorum, atrabilaria, quæ d. IX. *Maji* derepente veſperi incidit in ſæviſſimos & *acutiſſimos ventris dolores*, qui *dextra*

magis parte cruciarunt, atque modo sursum, modo deorsum iverunt, in primis vero *regionem umbilici usque ad scrobiculum cordis* occuparunt, tanta sævitie, ut existimaverit se veru ignito perfodi, urserunt *vomitus*, *anxietates summæ*, adfuit *omnimoda excrementorum & flatuum retentio*; ordinavimus frequentes *enematum injectiones*, nec non *aquam laxativam*, quam prima vice rejecit, altera vero retinuit, irrito tamen conatu omnia. Secunda enim die fluxerunt *menses coloris nigerrimi*, accessit paulo post *singultus*, mox *totalis fere tum pulsus*, tum *caloris extinctio*, salvis sensibus, motuque membrorum illæso, quam refrigerationem non percepit, quin potius de intensissimis caloribus internis, quasi candenti ferro intus adusta fuisset, conquesta, manibus glaciei instar rigidissimis subinde loca petiit frigidiora, eademque die, i. e. secunda *Martii* vesperi mentis tamen compos, velociter, sed feliciter humanis rebus erepta est. Succi hic intestinales, in primis biliosi, acres inter plexus nerveos mesentericos, nec non fibras intestinales hærentes, atque in illarum anfractibus conclusi, acrimonia sua tormina & cruciatus excitarunt terribiles, atque in fundum Ventriculi penetrantes Ventriculum ad vomitus & singultum stimularunt, arsenicalem autem naturam mox induentes intestina instar mineralis veneni assumti corroserunt, dilacerarunt, atque in ea more perforantis terebellæ, aut spinæ infixæ, se infixerunt, inflammationem conciliarunt, & stagnante in capillaribus sanguine, acrimonia sua corrosiva in momento fere intestina sphacelarunt, quasi in ferventissimam aquam immersa fuissent. Similes casus vid. apud *Joh. Sophron. Kozack de sale*, *cap. 6. sect. 15. pag. 260. Dominic. Panarolum Observ. Med. 50. Pentecost. 4. p. m. 139. Segerum observ. 82. dec. I. ann III. M. A. N. C.* Mense *Junio* morbos nullos observavi, exceptis *febribus tertianis*, nec non casu infelici cujusdam Domini, *febre continua* laborantis, quam die IX. exceperunt *terribiles convulsiones epilepticæ*, inde secuta *deliria &c.* *Calores* intermiserunt, *deliria* vera remanserunt. Sub initium quartæ septimanæ observavi novos *calores* ex *scorbuto* ortos, cum *maculis scorbuticis purpureis*, *vigiliis continuis*, *deliriis*, nec non *copiosa sanguinis per inferiora* partim grumosi, partim floridi ad tres medias *ejectione*, inde summa virium prostratio, & cum fine quintæ septimanæ mors. *Julius* hujus anni fuit valde ventosus, quandoque præter morem austerus, frigidus, sine pluviis fere. Totus *Augustus* erat valde calidus, exceptis sub finem aliquot diebus, qui fuerunt ventosi, frigidi. Frigus quoque observabatur per totum *Septembrem*,

qui

qui utplurimum pluviosus fuit. Ægidii die usque ad prandium pluebat, in Festo Matthæi circa vesperam habuimus ingentia fulgura, tonitrua, pluvias, sed sine grandinibus. Mense *Julio*, *Augusto*, *Septembri*, *Octobri insolitæ* sine ætatis discrimine sævierunt *febres*, peculiarem enim habuerunt naturam, invaserunt cum modico *horrore*, mox *caloribus continuis*, ut etiam peritissimi crediderunt, adesse *febres continuas malignas*, *vomitibus*, *alvi fluxu*, *siti*, *doloribus capitis*, *vigiliis*, V. demum die remittente calore degenerarunt in *intermittentes exquisitas*, quæ pro subjectorum temperamentis, sanguinisque ac humorum constitutione modo contumaciores, modo benigniores fuerunt. Paroxysmum imminentem utplurimum comitabantur frequentes *dejectiones biliosæ*, nec non *Vomitus* terribiles *choleræ* instar. Evomuerunt quippe modo frusta *pituitæ* coagulatæ, viscidæ, modo *bilem flavam*, modo *viridem*, modo *vermes* ἄνω & κάτω copiosos, diebus intercalaribus cessarunt vomitus, alvique fluxus. Versipellis hæc *febris epidemica* quosdam invasit cum *exanthematibus urticæ puncturis* similibus, quæ calore retrocedente recesserunt, & calore redeunte redierunt. In duabus personis, una XVII. altera XXX. annorum, observavi his *febribus* supervenisse *apoplexias fortissimas lethales*. Raro servarunt stata sua tempora, sed quandoque X. XII. horas præponendo & anticipando virulentiam suam ad XXX. aliquot, imo 40. horas exercuerunt, quandoque unus paroxysmus excepit alterum, donec tandem peregrino materiæ miasmate sufficienter dissipato & extincto, septimo, aut ad summum octavo paroxysmo terminatæ sunt, relictis post se *pustulis & fissuris in lingua*, *inflammatione faucium*, *abscessibus*, semper autem *virium prostratione* summa. *Venæsectio* etiam in principio adhibita nil profuit, quin potius *febrilis paroxysmus* post ejus administrationem incrementum sumsit, sanguis autem extractus floridissimus apparuit, & natura magis debilitata fuit. Conduxerunt *blanda diaphoretica*, quæ paroxysmos in ordinem redegerunt, & post tertium paroxysmum *laxantia* die a febre vacuo exhibita. Tandem devenimus ad *antifebrilia*, uti sunt *salia amariuscula*, quæ incidunt, serumque attenuant, v. gr. *sal absinth. C. B. centaur. min. arcan. dupl.* nec non *alcalica fixa*, *pulveres* nempe *insipidos ac terreos*, quales sunt *lap. cancr. specif. febril. Cr.* Omne autem fere punctum absolvit decantatissimus *cort. peruv. cum salibus* mixtus, & *evacuato jam corpore*, i. e. ante accessum V. VI. & paroxysmi propinatus, septimum vel ad summum octavum paroxysmum subegit, atque hac ratione *febrem*

hanc jugulavit. Rimatus causas procatarcticas epidemialis hujus febris, aëris anomaliæ & intemperiei, nec non largiori potui propter calorem externum vix tolerandum eam adscribendam duxi. *Augustus* enim, qui fuit calidissimus, poris nimium apertis corpora sudore copioso manare fecit, inde serum absumptum, aut subtractis partibus tenuioribus biliosæ particulæ auctæ, atque hoc modo acrimonia biliosa, fermentifica, irritativa enata, quæ licet a largiori potu dilui, & serum refundi videretur. Ventriculi tamen & intestinorum tonum labefactavit, & ad excernendum ἄνω καὶ κάτω plus justo contenta citavit. Utut non negandum, *febres has epidemicas* ex miasmate, aëris sobole, simul aliquid participasse. Non fuerunt *contagiosæ*, imo si rite tractabantur, nulli funestæ, ex incuria tamen & negligentia, aut medicastrorum præpostera & perversa cura ac imperitia accedente *cachexia & hydrope*, multis exitiosæ. Et hæc ratio est, quod in aliquibus locis Hungariæ ex defectu medicorum & medicamentorum, aut perversa, aut neglecta cura hæ febres *malignitatem pestiferam* assumserint, in primis si ex miasmate, aëris sobole, aliquid participarunt. *Febres petechiales*, quæ tamen autumno præcipiti quotannis sunt frequentissimæ, hoc anno vix observavi, & si vidi, fuerunt *benignæ*. *Diarrhœæ atque dysenteriæ* eodem tempore frequentes quoque fuerunt. Infantes, quos corripiebant, si superarunt *nonum diem*, evaserunt.



DE MELLIS OPPORTVNA DECENTIVE QVANTITATE

Pro Theriaca, Mithridatoq́; componendis

FABII VLMI

PHILOSOPHI AC MEDICI

VENETI

RESPONSIO

Ad Præclarißimum Philosophorum ac Medicorum Venetorum Collegium.

NON PERIBIMVS.



VENETIIS, Apud Petrum Dusinellum,

M DC XVII

Superiorum Permissu, & cum Priuilegio.

PRAECLARISSIMIS, ET INTEGERRIMIS CELEBERRIMI VENETI COLLEGII PHILOSOPHIS, AC MEDICIS OMNIB. DOMINIS SVIS HVMANISS.

FABIVS VLMVS

Eiusdem Collegij Vnus, & Consiliariorum alter, Artium Medicinæq; Doctor. S. P. P.



Ertum est Dialecticorum illud axioma, receptissimaq;, & infallibilis veritatis ea propositio, talem contradictionis esse naturam, talem conditionẽ ipsius, vt, si quis iam in alteram eius partem siue spontè, siue aliqua ratione ducatur, nequeat eodem momento temporis in partem alteram inclinari; Cæterùm ingenium meum (Amplissimi Patres) primo ab eo die, ex quo præsens de Mellis quantitate legitima, & opportuna pro recta Theriaces compositione dubietas in examen reuocari cœpit, vsque adeò distractum, ac ita sibi met ipsi quasi repugnans fuisse videtur, vt vno, & eodem tempore prorsus nec loqui vellem, neq; silere, vnoq; rursus & eodem temporis ferè momento nec manus admouere calamo, nec ab eo scribẽdi genere, quod

mihi propoſue-
ram, diſtrahi, reuocariq́; cuperem. Cuius ingenij mei in v-
tranq; partem, vno ſimul, & eodem momento temporis in
clinantis, lubricitatē, dum ſæpius anxius admodum admi
rarer; &, vnde tam inſueta cōtingerent, multas etiam per
noctes inſomnis, pridieq́; maximè parum ante ſolis ortum
vigil adhuc meū ipſe diutius inquirerem, & attentius
examinarē; ſorte fit (ſed præter ſpem) vt caput aggrauari
parumper incipiat, & attentari, palpebræ cōcidant, ſpiri-
tibusq́; diuturna cogitatione fatigatis, et ad ſua principia
retractis, ſenſuū externorum officinæ claudantur; caloreq́;
pariter ad interna corporis viſcera recurrente, iā omnis
ab externorum obiectorū præſentia prodiens, & inchoata
ſenſatio tollatur; ac tandē ex toto palpebrarū tegmentis ob
ductis oculis, placidiſsimo, atq; dulciſsimo ſenſim ac ſenſim
ſopore corripiar. Dū verò tāta, tādiuq́; expectata corporis
(grauib. etiā alijs feſsi laboribus) tranquillitate, tanta ani
mi pace potirer; nullisq́; tunc ſimulachrorū viſis, & imagi
nib. quæ nos in ſomno decipere, ludificariq́; ſolent, mens agi
tata, quieſceret; ecce repente confuſa quædā, & inordina
ta phātaſmata, quæ ſeſe mihi per quietem obijciunt, & (nō
ſecus ac aliquando contingit, & apparet in nubib.) varias
ocyſsime formas permutantia, & accipientia, tandē in duo
rū quorundā inuicem contendentiū, & altercantiū ſimu-
lachra degenerāt. Horum. n. cœteris omnib. imaginib. eua-
neſcentibus, modico poſt Idola ſola conſpiciuntur, ſolaq́; mi
hi per ſomnum occurrere, ac obuiam fieri (& ſatis quidem
audacter, ac importunè) videntur. Erant autem hæc inter
ſe nihil, parumve diſsimilia; nā vtraq; vnius ſedati viri,
nec

nec ſane [illegible],neq;

Accedũt ambo eiuſmodi viri(pro talib.enim,non pro meris à me,nudiſq; ſimulachris accipiebantur)æquo ferè pariq.(vt dici ſolet)pede currentes;& vnà ſimul ad me cõuerſi, confuſa multa loquuntur, garriunt,obſtrepunt, increpant,partim etiam obſecrãt,ingenij lubricitatem accuſant , & vt in alteram contradictionis partem inclinari, duciq; paterer,importunè contendunt. Hic ab omni ſcribendi, immo verò dicẽdi genere multis me rationibus remorari,ſeu prorſus auocare conabatur. Ille autem totidẽ rationib. alijs è contrà,me ad hoc & illud agendum vno, & eodem inſtanti temporis cohortabatur. Interim ego diſtinctius quid ſibi velint audire peroptans ; conuertor ad eos,precor,vt placidè ſaltem & amicè loquantur;promittoq; me facillimè rationibus potioribus ſubſcripturũ, & in contradictionis partem,in quam fortiora me ducent argumenta,fore ſtatim inclinaturum. Addo tamen non prius me illos auſcultaturum,quàm qui nã ipſi reuera ſint,vnde veniant,& num ab alijs fortaſſe miſsi,vel ſpõtè potius ad nos acceſſerint,explicare non recuſauerint.Reſpondent ambo coniunctiſsimos eſſe mihi,modico certè (forteq; nullo) ſpacio loci ſeiunctos,nullorum iuſſu , precibuſq; motos eſſe,ſed ſponte veniſſe;meq; totum id(addunt)facilè intellecturum,& aſſequuturum,vbi diſtinctius eos intueri, & attentius,defixiſq;(vt dici ſolet)in ipſos oculis,amborũ vultus,facieiq; totius delineamenta conſpexero. Cõuertor iterum ad eos illico, perquiſitius inſpicio,nec multa tẽporis interpoſita mora,etiam vtrũq; perfectè dignoſco. Erat enim eorum vnus Vlmus ille,quem vos (integerrimi vi-

ri)

tatem vocastis quidem, sed non elegistis, aut tanto, quanto opus erat, consensu, non approbastis Alter autem erat & Vlmus, sed quem totidem ante iam mensib. in vnum præclarißimi collegij vestri consiliarium tùm appellastis, tùm etiam tantis, quantis opus, vel satis erat ad hoc, voluntatis vestræ significationib. delegistis, & confirmastis. Ille quidē verbis, & nutbus aliquādo, oriq; sæpe digitos admouēs, irreprehensibile, et nunquam vlli nocuum silentium efficacißime commendabat; meq; sacris illius misterijs initiari precabatur; omninoq; mihi tùm à dicendo, cùm à scribendo supersedendū esse contendebat; alioquin facilè malè me plures (aiebat) accipient; forteq; in multis, & in ijs potissimum, accusabunt. Quod primùm, scilicet, videar collegij totius voluntati non me negligentis, sed non eligentis, obsequi recusare: deinde verò quòd cum amicißimo, & eruditißimo iuuene, non sine alicuius etiam ambitionis suspicione, cōtendere, & præter oēs amicitiæ leges, acerbius agere, dimicareq; velim. Postremò quòd onus superfluum prorsus, forteq; penitus etiam vanū, & frustratorium assumā. Superfluum quidem; eò quoniā doctißimè iā, copiosßimeq; ferè quidquid in huiusmodi re dici potest, ab integerrimo, & præstantissimo Viro D. Hieronymo Thebaldo in concione, quam habuit coram omnibus ferè nostri collegij Patribus, diebus elapsis, assumptum, examinatum, et ad unum vsq; resecatum sit. Frustratorium autem, eo quoniam iam collegij mentis, & futuri iudicij conspiciantur initia: cum tanta scilicet Theriacæ copia minori mellis quantitate paratæ, vel (ea iam à toto collegio veluti suspecta reie-

cta)

cta)paranda, potius exordium, aut signum consequuturæ sententiæ, quàm certi alicuius experimenti videatur indicium. Hic autē è contra verbis, & nutibus itidem sinistra manu simul os adaperiens, et dextera calamum offerens, dignitatis & gradus illius, in quo collegium me collocauerat, munus, officium, et partes commemorabat; nec à tantis Patribus in Consiliariū Collegij totius designari, probarive, quid aliud esse monebat, quam in consilium adhiberi, vocariq́ semper; consilium autem (cum nihil aliud reuera sit, quam excogitata ratio aliquid agendi, vel non) expetiri summopere tunc, et ab omnibus desiderari, cum dubia simul, & grauia quædam examinantur, & in controuersiam posita sunt; grauißimumq́ illud esse nō solum præclarißimo collegio nostro, sed vniuersæ reipublicæ, & ciuitati, de quo nunc agitur; vitioq́ maxime mihi vertendum, & imponendum esse, ni partibus meis & officio, cui tota mente, totisq́ viribus incumbere debeo, quantum erit in me satisfecero; impium, et execrabile quidpiam, addēs, me facinus esse perpetraturum, si, quæ veritati lumē aliquod afferre possunt, tacitus pertransibo, et importuno silentio percurram; cum nihil sit ipsa veritate sacratius, nil iustius, nil amabilius. Neq́ verò timenda, vel multifacienda subaddebat ea esse, quæ tam constanter ab altero obijciebantur. Nam etiam si Patribus illis eo tempore visum sit peculiare difficultatis huius examen non mihi, sed alijs imponendum, aut (si placet etiam) credendum esse; ius tamen, & eam, quæ maximè solet cum dignitate, & consiliarij gradu coniungi, facultatem, in dubijs omnib. propriam explicandi sententiam, non ademerunt: Immo verò

ro propterea me forsan ad opus hoc præsignatum deligere despexerunt, quod intelligeret, vt ad cætera, sic ad hoc (peculiari dignitatis, et loci ratione) me semper existimandū, et habendum esse delectum. Multo verò minus aiebat ex hac indagatione veritatis verendum esse, ne putent aliqui me sanctas amicitiæ leges violasse, atque tam firmæ, confirmatæq; iam familiaritati, quæ mihi cum eruditissimo iuuene multis abhinc est annis, renunciasse; cū nō propterea quòd aliter ac ille sentiam, amicissimus illi nō sum, aut inter familiares illius dinumerari non debeo. Quippe quoniam, quamuis omnes vno consensu constituant amicitiam in vnione quadam positam esse; Vnio tamen hæc ad eādem opinionem nulla necessitate determinatur; cum, sicuti non repugnat eos, qui sese inuicem grauiter odisse possunt, eadem in pluribus opinari, sic non inconuenit, vt illi qui arctissimo quoque necessitudinis vinculo iuncti, colligatiq; sunt, possint aliquando in opinionib. esse diuersi. Quod autem acerbius, quàm amicitiæ leges exquirant, cū amico sim tractaturus; vel nullus vnquam, qui nostra viderit, vel si quis fortè, non rectè tamen, sed vanè prorsus, & imprudenter obijciet. Quemadmodum etiam nullus, qui rectè nouerit qualia, cum quibus, & qua ratione tractentur, nos ambitionis insimulabit. Neque verò me remorari, aut ab honesto eiusmodi officio reuocare tot illa debent, quæ subtilissimè iam, doctissimeq; sed oretenus, ab Excellentissimo D. Thebaldo disputata, & examinata fuere. Quandoquidem præter ea, (quorum aliqua poterunt iterum, sed exactius, facilius, & clarius adhuc explicari) nō deerunt alia consideranda, quæ forsan omnem duritiem

cordis

cordis ab illis euellere, auferreq́; poterunt, quibus ex ijs, quæ iam à viro doctißimo tradita sunt, incepit ipsum cor emolliri parumper, & aliqua ratione mulceri. Postremò verò nec vanum, neq; frustratorium officium hoc futurũ esse superaddebat, eo quoniã nondum Collegium nostrum in eiusmodi causa sententiam dixit, sed omnia pariter in ancipiti posita sunt, & lis (quemadmodum dici solet) adhuc sub Iudice pẽdet. Nam quæ nuperrimè sunt, veluti occasiones experimenti faciundi cuiusdam, Theriacæ confectæ, solaq́; mellis illa diuersa quantitate paratæ, quales existant iam Patres ipsi nouere; quam verò pauci tam illæ, quàm aliæ, (si quæ tamen eo modo parabuntur) nobis emolumenti pro cito, recteq́; decernẽdo futuræ sint, meum esse quoque dicebat (suo loco tamen, suo tempore) demonstrare. Hæc Vlmus ille consiliarius dum loqueretur, nuebat alter, nutabat, nictabat, totoq́; corpore mouebatur; nec tandem sustinere, tanta patiq́; potens, iterum cæpit obstrepere, & ita vociferari, vt externo quodam veluti strepitu facto, protinus ego quasi perterritus, expauescere, dimoueriq́; cœperim, & spiritibus iterum ad externorum sensuum instrumenta demissis, ac foris prodeunte calore, statim ad vigiliam ex somno redierim, & pauco temporis interuallo negotijs, & curis eisdem iterum sim restitutus. Veruntamen vbi quæcunque mihi per quietem occurrerant, & quorum adhuc imagines videbantur in sensibus veluti relucere, diligentius attendere, examinareq́; cœpi, ceßit omnis admirationis occasio, rem vniuersam facilè noui, nec amplius cur in vtranq; contradictionis partem vno, & eodem momento temporis inclinarer, obstupui.

Vidi siquidem, & intellexi me quodammodo duplicem esse, duosq́ referre diuersos, quamuis vnus, et simplex appaream. Ego namque sum ille, quem vos (amplissimi Patres) ad hanc examinandā difficultatem vocastis quidem, sed non approbastis. Ego pariter sum alter ille, quem prius vos ipsi quoque Collegij totius vnum ex consiliarijs constituistis, delegistis, et confirmastis. Quid mirum igitur si (cum sua cuiq́ rectè conueniant, & debeantur) eodem prorsus instanti temporis vtranque partem contradictionis eligerem, negligeremq́, probarem, ac reprobarem? Caterū ad me cōuersus, et duos illos, qui in vno me reuera positi collocatiq́ videbantur, inuicem conferens, ac vtriusque rationes, quibus in proprium sensum & hic, et ille traducere me conabatur, perquisitè considerans, vbi valdè probabiliores, & efficaciores posteriores illas fore dignoui, statim Consiliarij partes elegi, & in probatam ab illo contradictionis partem inclinari sum passus. Iam igitur oblatum mihi ab ipso calamum ecce suscipio, & qualis in eiusmodi re, mea sententia, quale consiliumq́ meum sit, explico, vobisq́ (Patres integerrimi) sacro, voueo, donoq́. Vos tamen cuncta non vt cōsilia, sed vt amoris, et obsequij germina potius, & debiti mei pignora, rogo suscipite, diuq́ valete.



DE

FABII VLMI

PHILOSOPHI AC MEDICI,

VENETI

De Mellis opportuna decentive quantitate,

RESPONSIO.



PROOEMIVM.



Ogitabam modo diutius ipse mecum, vnde sumpturus in eiusmodi ambiguitatis examine principium essem. Videbatur enim ex vna parte historiam totam, & occasionem difficultatis, vt quę pręclarissimis omnibus huiusce Collegij Patribus (ad quos hęc nostra præ cęteris dirigũtur) notissima sit, præsupponendam quidem, nulla verò necessitate repetendam, aut præmittendam à nobis esse. Veruntamen, quoniam hæc eadem nostra, publica (ac proinde alijs quoque communia) futura sunt, necessarium quoque nobis ex altera parte facere videbatur, vt historiam totam exponeremus, & vt à primis, præcipuisque tantæ dubitationis occasionibus auspicaremur. Sed in eis etiã inueniendis, & ijs, qui primi tricarum harum autores extiterint, recognoscendis, adhuc incerti, dubiaque pariter, & ancipiti cogitatione distracti, nondum vbi dicendorum principium facere iure merito, & sine vlla exceptione possemus, ex toto patebat. Suspicabamur etenim Nos, & non sine ratione putabamus duos esse, qui (quanquam non palam & aperte, occultò tamen, & clam) de prioritate contendere, certareque possent; doctissimum .s. & eruditissimum D. Angelum Busti Vidua vocatum, & egregium hominem D. Pompeum Sprechi Pharmacopo-

iam ad lingua duorū Æthiopum. Dixi *non palam & aperte*. Quando quidem D. Pompeus amicus noster priuatim agens quandoque nobiscum, profitebatur se multis ante iam annis huiusmodi mellis consuetam, & vsurpatam à Venetis Pharmacopolis, quantitatem, in compositione Theriaces, illegitimam iudicasse, & veluti suspectam, odisse, conuenienti ratione tamen, promotionem difficultatis huiusmodi, ad hæc vsque tempora distulisse. E contrà vero doctissimus, & eruditissimus Vidua in suæ disputationis præfatione, siue in Epistola dedicatoria, se primum errorem hunc (ita enim vocat) obseruasse, dignouisseque gloriatur, dum ita scribit: *circa quam maximum hucusque, & non obseruatum errorem commisti cognoui, cum ex vestro decreto ad Theriaces ac Mithridati cōpositiones simul cum excel. D. Ioan. Bapt. Peradæ pridie Kal. Iunij Præses creatus essem &c.* In qua rerum varietate, difficultateque, Nos (quidquid de primatu sit, à quo si faciendum initium esset, certè non esset ab eorum aliquo faciendum; cum ex monumentis Collegij nostri, vti distinctius omnia suo loco narrabimus, satis appareat, multos ante annos hos consimilem huic apud maiores nostros inductam, & in examen reuocatam esse difficultatem. In qua tamen nihil ab eis innouatum, nihil sancitum fuisse reperitur: Fortè quoniam rectè dignouerint, cum de inueterata iam, & antiqua, proficua semper, nec vlli nocua, immo verò neque vlla vnquam ratione reprobata, consuetudine permutanda differitur, non ita temerè pronunciandum, neque nisi diligentissimè, diutissimeque re tota considerata proferendum iudicium esse: proindeque dilato negotio, sanctius, & iustius existimauerint, nullo euidenti constituto decreto, decernere, nullaque aperta facta sanctione, sancire nihil innouandum, nihil immutandum esse.) Nos (inquam) quidquid de primatu sit; ea solum, quæ nostris ijs temporibus successere, breuissimis nunc explicanda fore censuimus; & ideo ab eo tempore solo, quo cæpit inter Collegij Patres eiusmodi res pertractari (cæteris propriori loco remissis) totius modo disputationis huius, & futuri sermonis, sumemus exordium. Quo peracto deinde præcipuas rationes aliquas afferemus, quibus moti, persuasiq; nos conuenientius, & rectius fore putauimus, si scriptis, & calamo potius, quàm verbis, & lingua, Patribus ijs consilium nostrum, & quidquid animo, ac mente sentimus, vberrimè exponeremus. Postremoque totam tractationem hanc in partes præcipuas aliquas separabimus, & ad tria potissima puncta vniuersam disputationē hāc reducemus. Primū siquidem in scriptorum autoritate versabimur: atq; tot autoribus ab eruditissimo iuuene, vt eorum testimonijs sua tueretur, adductis, Nos (illis tamen primo recognitis) vel

totidem

totidem alios, aut non pauciores admodum, (& eos forsan longè maioris existimationis, & dignitatis) qui nostra pari modo tueantur, fideliter opponemus. Deinde verò tum rationibus, tum adductis in aduersum autoritatibus, dilucidè respondebimus. Tertio demum, & vltimo loco essentialia quædam ad eiusmodi dubitationem attinentia maximè, recẽsebimus, referemus, & examinabimus. Colligentes ex omnibus difficultate proposita vtraq; ex parte probabilibus rationibus comprobata solummodo, nihil innouandum esse, nihil penitus permutandum. Cum. s. ad confirmatam, & iam probatam consuetudinem aliquã euertendam, demõstratiuæ rationes requirantur, probabiles verò nullo modo sufficiant.

Explicatur historia, et difficultatis occasio tangitur. *Cap. I.*



QVOD igitur ad historiã attinet; ea talis est. Cũ pridie Kalen. Iunij currentis anni 1613. Collegij Patres (vt moris est) duos ex eodem collegio viros, & eos quidem eruditissimos, qui magnarum Antidotorũ cõpositioni pręessent, elegerint, approbauerint, & delegauerint excellentissimũ, scilicet, & eruditissimum D. Ioannem Baptistam Perandam; & excellentissimum, atq; pariter eruditissimum D. Angelum Busti Vidua cognomento nuncupatum: Cumque D. Vincentius Calcanis Aromatarius tum ad Insignia capitis aurati, tùm etiam ad insignia Diui Marci, Theriaces, atque Mithridati confectionem, (præmisso publico per triduum apparatu, quemadmodum fieri solet) iã moliri fuisset aggressus; ac Mellis proinde consuetam, pro siccis corporib. vniẽdis, quãtitatẽ exhibuisset, & obtulisset; visum est illico D. D. Pręsidibus nostris, vniqúe potissimum D. Angelo Vidua, tantam mellis copiam, vt quæ proportione nullo modo respondeat constitutæ à Galeno ex Andromacho quantitati, veluti suspectam, interdicendã, & (quidquid actum hucusqu e perpetuo fuerit) tunc temporis respuendam esse. Quo factum fuit, vt, cæteris abnuentibus, atque nouę huic opinioni minimè cõsentientibus, statim ac fieri potuit, Collegij Patres omnes conuocati sint (spectabat enim iudicium ad illos.) Quibus non solum exposita, enarrataque fuit ab eruditissimo Vidua difficultas inducta, & occasio difficultatis; verum etiam fuit ab eodem vltra petitũ, vt, iuxta Galeni mentem ab ipsis illico, & nulla interposita mora, præscriberetur ea quantitas, & copia mellis, quæ pro Theriaces compositione

sufficere, vsurparique posset: cum neque tantillum nobis liceat à Galeni doctrina recedere, ac deuiare. Cuius eruditissimi Iuuenis opinioni (tanquam illi, quæ Galeni nomine exornabatur) cum multi manus & assensum præbere cepissent; ego vero rem hanc maioris, quam videbatur prima fronte, momenti fore cognouerim, rogaui Patres, & omnes Collegij Proceres, ut maturius negotium hoc examinari permitterent, ne (sicuti monuit, & docuit nos aliquando Philosophus) celeriter operantes, veluti non ratiocinantes agere videremur. Erat enim prius diligentius animaduertendum, & perquisitius inuestigandum, numquid aliàs aliquid à maioribus nostris vel apertè statutum, & sancitum sit; vel tacito forsan, & confirmante ferè silentio, permissum: numque sic explicata Galeni mens apud omnes, vel potiores Medicinæ scriptores pro vera Galeni mente sumeretur (quandoquidem noueram alios aliter illam interpretari.) Quod Seniores intelligentes, existimarunt differendum iudicium esse; proptereaque Nonis Iunij statutum, & à Collegio sancitum fuit, vt vtriusq; Antidoti compositio eo prorsus modo pararetur in posterum, quo toto superiori tempore parata fuerat, donec Antidotarium (multis ante iam annis inchoatum) perficeretur, ac absolueretur, aut aliter à Collegij Patribus decerneretur. Interim ab aliquibus alijs Pharmacopolis, quibus in promptu res erant, vtraque Antidotus consueta fuit Mellis quantitate parata. Cum verò cæperint priuatim etiam inter se Collegij doctores eiusmodi cõtrouersiã examinare, Galeniq; ac etiam aliorum probatorum scriptorum libros euoluere, & quid eorum pluribus, atque potioribus videbatur, expendere; factum est, vt nonnulli magis in vnam, alij verò magis in alteram sententiam declinarent, & ducerentur; multis etiam eorum consuetam illam Mellis quantitatem parum ab ea Galeni recedere sentientibus, & profitentibus; alteris autem longè differre, tertiaque ferè parte distare constituentibus. Quo factum est vt, instantibus difficultatis huius Autoribus, & alijs ex ijs, qui eisdem dedere manus, (omnibus tamen forte non minus alienis impulsibus, quàm spontè motis) efflagitantibus, ut cito quid esset agendum à Patribus indicaretur, & id, quod Collegiũ vel cum Antidotario, vel ante quoque (suo tempore tamen) decreturum esse spoponderat, ocyssime decerneretur, sint iterum (idque pridie Idus Iunij) Collegij Patres in loco solito conuocati. Vbi statim illis oblata fuit syngrapha, in qua D. Pompeus Sprechi pollicebatur apertè, satisque cõfidenter etiã profitebatur se velle Theriacã, sicut in reliquis, ita pariter, quo ad Mellis quãtitatem, ad Autorum mentem probè conficere. Quod, vt sibi concederetur, non solum Patres orabat, & hortabatur; verum etiam vt illi festinanter

rer id agerent, instabat, & precabatur. Quæ cum Collegij Patres audiue rint, optimè verò dignouerint, ad huiusmodi rem definiẽdam, & decernendam maturo opus esse consilio, tutius admodum fore putarũt, si, duobus ex eodem consessu mandarent, vt (quemadmodum etiam in alijs quibusdam rebus examinandis, & inuestigandis obseruari cõsueuit) diligẽter eiusmodi rem, & ambiguitatem expenderent, atque inde Collegio toti, Patribusque referrẽt. Fuerunt autem hęc Collegij verba, decretaque. *eligantur duo, qui diligenter examinare debeant quantitatem Mellis ingredientis Theriacam, & Mithridatum, iuxta mentem scriptorum, qui de ipsis Antidotis scripsere, iuxtaq; mentem excellentissimi Collegij.* Quibus vltimis sanè verbis significabatur eos, actus, & monumẽta Collegij nostri, propriis quibusdam adnotata libris, cõseruata, ac æternitati commissa, conspecturos esse, vt deinde Patribus referre possent, si quid aliàs forte in eiusmodi re tactum, sancitum, & à maioribus nostris decretum sit. Nam quæsò, quid aliud est diligenter examinare quantitatem Mellis Theriacam & Mithridatum ingrediẽtis iuxta Collegij mẽtem, quã quidquid in eiusmodi re fuerit alias in Collegio tactum, indagatũ, permissum, & disputatum expendere? immo uerò Patribus ipsis sub ea, qua disputatum est ratione, referre? Prioribus autẽ verbis innuebãt Patres ab eisdem tùm Galeni, cùm aliorum quoque probatorum Autorũ, qui de Theriaca, Mithridaticaque confectione scripsere, codices studiosè euoluendos, & eorum mentem Collegio referendam, & reportandam esse. Electi verò fuerunt ad munus hoc obeundum, Doctissimus, & nunquam satis laudatus vir, excellentissimus D. Ioannes Moratinus, & eruditissimus D. Angelus Vidua. Quorum doctissimorum virorum cum tamen alter iam propriam sententiam dixisset, consiliumque suum explicasset, & omninò probasset, vt inueterata illa cõsuetudo penitus tolleretur, & Mellis ea quantitas permutaretur, & imminueretur: Alter autẽ is idem esset, qui ambiguitatum harum Autor extiterat, & mordicus opinionem eam tuebatur; non mirum si concordes in omnibus ambo, iam statim in vnam & eandem iuere sententiam, sicque magis in ijs rationibus apportandis, quæ eandem persuadere quopiam modo posse videbantur, quam vel in ijs respondendo, aut aliis, alteri opinioni fauentibus, diligentius inuestigandis, laborauerint, ac insudauerint. Plurium igitur hi mensium spacio vniuersos Collegij libros, in quibus maiorum nostrorum actiones continentur, euoluere, & multorum aliorum scriptorum mentes inquirere, ac omni (vt inquiunt) adhibita diligentia perscrutari non sunt grauati; postremoque nihil penes hoc à maioribus nostris statutum esse dignoscentes: Quod nam (eorum sen-

I tentia

tentia) Galeni, potiorumque Medicinæ ſcriptorum conſilium eſſet, ſub vnius de Mellis conuenienti atque legitima quantitate ad Theriacam componendam Diſputationis titulo, declararunt, & vniuerſam diſputationem eam typis deprompram &(vno tamen ſub eorum nomine ſolum) impreſſam, Collegij Patribus pro reſpōſione conſecrarunt. Hęc vbi peragebantur, ego, quamuis iam totum ab initio munus, & officium hoc intelligerem ſolum ijs demandari, ac proinde cognoſcerem laborandum in huius ambiguitatis examine mihi vel parum, vel non amplius eſſe (potiſſimè cum ad onus hoc ſubeundum initio quoque vocatus, non tamen delectus, aut à Patribus confirmatus eſſem) dubius tamē adhuc permanebam, & anceps, num prorſus ab omni ſolicitudine, omnique inchoato ſtudio rem hanc à capite ad calcem (vt dici ſolet) examinandi, deſiſtere & ſuperſedere deberem; an potius, omnibus conſuetis negotijs adhuc, familiaribuſq; ſtudijs vndique ſpretis, & intermiſſis, huic eidem inueſtigandæ confirmandęque veritati, totus incumberem? & quæ horum relationi (cum iam intelligerem & præuiderem qualis illa futura foret; & quā eos oretenus Collegio daturos & apportaturos exiſtimabam) obijci & opponi poſſe cognoſcerē, ſubtilius expenderem, diligentius colligerem, & ad reſponſionis vſque tempus in ordinem digeſta ſeruarem; quò ſcilicet vna, uel altera concione tandem Patribus omnibus veritatem ipſam, nullis ambiguitatum velamētis inuolutam, oſtēdere, nulliſque falſitatum fucis conſpurcatam, ante illorum oculos exhibere, & offerre poſſem. cum ecce Doctiſſimus & amiciſſimus vir, qui nos orat, & petit, vt illi totum negotium hoc relinquamus, in omnibus ſe cauſam hanc toto corde totiſque viribus tractaturum, & aduerſarijs vndiq; reſponſurum, aperte pollicitus. erat autem hic excellentiſſimus D. Hieronymus Thebaldus, quem vt honoris cauſa ſemper, ita nunc temporis vt teſtem etiā (quo ſcilicet noſcant omnes me non mentiri) libenter appello. Placuit nobis amiciſſimo, & ingenioſiſſimo viro, non ſemel, ſed bis, & pluries ardenter id requirenti, tunc temporis inſeruire, & obtemperare. Tanto igitur defenſore contentus (erat enim admodum mihi illius eruditio, & intelligentia nota) ſuperfluum exiſtimabam, vt amplius circa difficultatem hanc immorarer; ſatiuſque multò fore putabam, ſi iā ad conſueta ſtudia redirem, atque iterum me ad libros Ariſtotelis de partibus Animalium interpretādos, accingerem: & ita factum profectò fuit. Poſt igitur circiter quinque menſium ſpacium, cum iā inſtaret prædictus D. Pompeus Sprechi, vt quid in eiuſmodi re decernendum eſſet, iam Patres ipſi decernerent; & conſtituerent; octauo (ni fallor) Kal. octobris cōuocato Collegio, Doctiſſimus Vidua ſuo & excellētiſſimi D.

Ioannis

Ioannis Moratini nomine, Patribus Disputationem illam, de qua superius, humaniter obtulit, & vnicuique Doctori peculiatim libellum, in quo disputatio tota continebatur, lubenti animo, lætaque fronte dilargitus est; ea tamen lege ferè, & eo pacto, vt cum vna post, vel altera die, Patres iterum conuocati, sacris adesse deberent; ea lecta, cōsiderataque, protinus conuenirent, & quid agendum in posterum, nulla amplius interposita mora, decernerent, & cōstituerent. Insueta profecto res ea fuit, nec vnquam ab alijs (quòd ego nouerim) obseruata; nimirum, vt, quæ verbo, Collegio relationes fieri, reportarique solent, nunc scriptis, & publicæ factæ, iam, redderentur. Nos igitur vbi noua, & insueta hæc multorum animos (vt quę subtilia & artificiosa maxime viderentur) mouisse nouimus; statim (ne sine paritate, & ęqualibus rationibus causa talis apud ipsos Collegij Patres, veluti proprios iudices, tractaretur; ac proinde non auditis ex ęquo partibus, sententia pronunciaretur) statim (inquam) altero scilicet eo die, postquam, peractis sacris, in vnum Patres iterum conuenere, multa diximus, & (ita senioribus annuentibus) non permisimus, vt Iudicium (tanta inter actores disparitate reluctante) cōsequeretur: Vlterius insuper addentes, & omnibus significantes conuenientissimum videri nobis, vt, adductis rationibus, nō alio modo, quam eo prorsus, quo fuerant adductæ, responderetur; idipsumque nos præstaturos (cœteris tamen abnuentibus, & onus hoc recusantibus) pollicentes. Quod cum iustum, & valde dignum Patribus ipsis, potissimum vero senioribus, videretur; nouissent autem omnes excellentissimum Tebaldum ad eiusmodi rem tum doctissime, tum citò quoque, perficiendam, & peragendam, paratissimum esse; Plures ad eum conuersi; monstrabāt id onus alteri nulli commodius, & iustius imponi posse: alij verò distinctius, & apertius eum hortabantur, & præcabantur, vt propriam, quam verbo sententiam, dicturus erat, calamo scriptisque diceret, & explicaret. Qui tamen illico orandi munere & officio tacite confirmato, vel saltem non recusato, scribendi prouinciam (forte quoniam cum affini, cognatoque viro res agebatur) aperte neglexit. Quapropter ego, qui studia iam isthæc (ita mihi Deus testis sit) intermiseram; quique iam, ne huiusmodi causa sine defensoris paritate tractaretur, huic oneri me subijceram; oraui Patres, & humanissime petij, vt mihi tantum temporis impertirent, quantum ipsi recte dignouerint homini multis medendi negotijs (saltem ijs, quibus ex pacto tenetur, vt absit iactantia verbis.) impedito, detentoque satis esse. Tandem pluribus renuentibus, & huiusmodi genus respondendi non approbantibus, post varia, multaque & hinc,

& inde considerata, terminum præscripsere viginti dierum, cum prius octo decemve, aut quindecim (dure nimis) proposuissent. Eo verò præscripto dierum spacio, vix mihi licuit tot ab eruditissimo iuuene oppositos nobis, & enumeratos autores, (præcipuè qm̃ paucorum quorundã libri tantummodo, locique ab illo citantur) vt opus erat, euoluere, & recognoscere. Quare transacto iam termino dierum illorum; cum Ij, quibus nihil magis cordi fore videbatur, quàm, vt eiusmodi consuetudo penitus tolleretur, instarent, &, omni adhibito nixu studerent, vt Patrum consiliũ explicaretur, & haberetur; ijs iterum conuocatis, vberrima est habita coram omnibus ferè Collegij Patribus, & doctissima concio ab eruditissimo, & ingeniosissimo viro D. Hieronymo Thebaldo. Sequenti verò die, congregatis iterum omnibus, cum, pro respondendis ijs, quę superiori die ab excellentissimo Thebaldo disputata fuere, nonnulla fuerint à doctissimis viris aliquibus in medium adducta; ego verò supplex adhuc exorarem Patres, vt donec ijs, quæ iam inceperam, vltimas manus imponerem, iudicium differre, protrahereque vellent; visum est primis ipsius difficultatis autoribus, (quò fortè sibimet ipsis aliqua saltem ex parte satisfacerent) proponere Patribus, vt cum iam cuncta D. Pompeus pro Theriaca Mithridatoq; conficiendo seruasset, præparataque tenuisset, eidem permissiuè concederetur, vt medietatem Theriacę (quodam tamen addito pacto, nonnullisque conditionibus) conficeret cum mensura mellis proportionata quantitati à Galeno, ex eorũ opinione præscriptę (quæ verò sit eiusmodi quantitas suo loco monstrabitur) Alteram autem medietatem eo modo, quo Venetijs hucusque componi consueuit: Quò, scilicet, post eius fermentationem, sexque transactis mensibus, quæ foret inter vnam, & alteram differentia, dignosci posset: cui propositioni subscripsere Patres. In qua tamen explicanda permissiua concessione, cum multi ex Patrum consessu (inter quos numerabar & ego) sic intellexerint medietatem illam Theriaces esse parandam, vt in omnibus, quo fieri posset, ad ipsius Galeni consilium & mentem conficeretur, ac proinde præscripta, determinataque vini quantitas à Galeno lib. de vsu Theriaces ad Pamphilianum, iuxta proportionem massę totius, in hac ipsa quoque susciperetur, & vsurparetur: altero tamen Patrum conuentu, ad eiusmodi (sed sero nimis) difficultatem enodandam, illico, vel parum post cõuocato, declaratum est, solam intellectam esse differentiam illam inter vtramque Theriacam, quo ad copiam mellis; atque ita pares in reliquis omnibus eas ambas esse futuras, vt non ratione sola, sed experiẽtia duce, securius, & rectius iudicium consequi, & effici possit; ac proinde quæ nam potius inter illas probanda veniat;

ratio

ratio iubeat, experimentum verò confirmet. Quanquam forsan inutile multis (vt etiam nobis) eiusmodi experimentum videretur, vt quod vnicuique facile per se patescat; cum nemo nesciat eam paulò duriorẽ euasuram, quæ minori mellis quãtitate parabitur; sicut è contra paulò molliorem eam, quæ maiori: cumque terminus ille sex mensium pro differentia noscenda, certi nihil nobis afferre possit, quò tuto possimus agnoscere nũ tẽporis maiori tractu, earũ altera nimis exsiccata durescat; Quo fit, vt in eiusmodi terminãda particula, vno vel altero solũ superante suffragio Collegij mens apparuerit, declarataq; sit. Hęc est tota sanè, à primo die, ex quo cępit hæc inter Collegij Patres difficultas agitari, fidelis historia, quæ, scilicet, huic proposito conuenit, & quam pro nonnullarũ rerum dignotione præmitti necessum erat. Nã, quæ post hæc successerè, non ea sunt, vt hic apponi, referrique debeant; cum vel nullius, vel paucissimi momenti sint ad huiusmodi, quæ paramus, intelligenda; nec adhuc vltimum assequuta finem esse videantur. Illud fortasse non erit (vt quod rem etiam nostram quoquomodo respiciat) inuolutum silentio prætereundum, vtramque.s. Theriacam illam à D. Pompeo paratã iam Patribus omnibus Collegij nostri suspectam euasisse, nec amplius experimenti loco nobis inseruiturã; quinimmo prorsus & ex toto reiectam, ac reprobatam ab ipsis Collegij Patribus, duobus tantum suffragijs abnuentibus, re vera fuisse. Cuius rationem explicẽt alij: non enim est hic locus, vt talia nos diligentius examinare debeamus.

In quo posita difficultas eiusmodi sit perquisitius ostenditur: & rationes nonnullæ, quibus ad scribendum motus est Autor, explicantur. Cap. II.



QVamprimum Patribus, & vniuerso Collegio nostro ab eruditissimo Vidua relata, propositaq; difficultas ea fuit de legitima mellis pro confectione Theriaces quantitate sumenda; vnaque ac altera Præceptoris nostri Galeni sententia, & autoritate confirmata; cum scilicet tam libro de Theriaca ad Pisonem, quàm etiã de eiusdem vsu ad Pamphilianũ, & (vt placuit aliquibus) ex Andromacho iuniori quoq; primo de Antidotis, apertissimè decem mellis ipsius libras pro siccis, & aridis corporibus ijs vniendis, quæ senior Andromachus carminibus elegiacis ad talis Antidoti compositionem præparari debere, cecinerat, satis esse, statuere, sancireq; videatur: atque vnà simul

ab eodem eruditissimo viro petitum, vt eã, qua Veneti pharmacapole ad hæc vsque tempora, tùm in Theriaces, cùm etiam in *Mitridatios* cõpositione, mellis quantitate sunt vsi, Collegij Patres ad veram Galeni redigerent, & (superexcedente quocunque resecato) præscriptæ ab ipso quãtitati, coęquari decernerẽt: statim mihi, qui sicuti certus eram Galeni tempore, & eius manu potissimum, rectè paratam, & optimè semper compositam fuisse Theriacam; ita quoque temporibus ijs, non experientia sola, quæ rerum omnium est vera magistra, sed probatorum, & magni nominis scriptorum quorundam autoritate, fideque, tanta copia mellis, quanta ab eo tempore, ex quo prædicta conficiuntur Venetijs Antidota, à nostris Pharmacopolis vsurpari consueuit, æque bene parari, paratamque diu conseruari, nulla prorsus ratione timeri, aut in dubium reuocari posse dignoueram: statim (inquam) illud mihi (quod aliàs memini, dum Senioris Andromachi Versus, & Galeni locos illos examinarem, excogitasse) venit in mentem; vel. s. omnino nihil, vel saltem parum admodum interesse, referreque siue vna siue altera mellis quantitate talis Antidotus conficiatur; dummodo certa constet experientia rectè parari, & ad summum perfectionis, & proprij vigoris, conuenienti consistentia seruata, peruenire posse. Vel, si quicquam refert, ob alteram trium rationum harum contingere, & vsu venire, vt tam illa Galeni, quàm ẽt nostra experimento porbè respondeat, & condecentem illam consistentiam diu retinere, conseruareque possit, quæ huic Antidoto per sexaginta circiter annos duraturo, quemadmodum Galenus est testis, à suæ factionis initio conuenit, & iure debetur: Vel quoniam. s. Atticum mel, quod à Galeno, & ab omnibus ferè Medicis, qui Romæ degebant, aut etiam alibi medebantur, vsurpari consueuit, alterius admodum melioris conditionis à nostris esset, & quod non ita facilè processu temporis incrassaretur, aut foret exsiccationi subiectũ: Vel quoniam ea vini quantitas, qua copiosiori Galenum, quàm nostri faciant, vsum in ipsa Theriaces compositione fuisse, neminem vnquam sanę mentis dubitare dignoui: quippe cum licet aliquando scripserit assumendum ipsius esse quod satis est; libro tamen de vsu Theriaces ad Pamphilianũ, id satis ad duos sextarios verbis apertissimis, determinauerit, & (quemadmodũ placuit alijs) eo primo de Antidotis drachmis tricentis, & viginti, quæ mensuram eandem efficiunt, eiusdem quantitatem quoque præscripserit, maior (inquam) ea vini quantitas, vnà cum mellis quantitate ab eo nuncupata, vniuersam Theriaces massam, & totùm ipsius corpus adeo conuenientis, & moderatæ cuiusdam consistentiæ reddebat, vt diutius exsiccationi resisteret, & in

eadem

eadem ferè diſpoſitione perpetuo conſeruaretur. Quod pauciori ſumpto vino (quemadmodum forte Falerni defectu, & inopia, modo ſolet à noſtris Pharmacopolis aſſumi) nunc ab aliquibus experientia certa probatum, & cognitum eſt, euenire non poſſe: Vel tandem quoniam decem illæ mellis à Galeno propoſitæ libræ, ſi noſtrum reducantur ad pondus, non admodum forſan ab ea quantitate, copiaque mellis, quam Veneti Aromatarij in componendis ijs magnis Antidotis, ſeruata proportione deſumunt, abeſſe, recedereque videantur. Neq; verò temerè, nullaq; ratione motus, & autoritate, talia putabam. Nam quòd vel nihil, vel parum admodum referre cenſuerim ſiue pluri, ſiue minori quantitate mellis vtamur in harum nobilium Antidotorũ compoſitione (dum intra certos, & conſtitutos ab experientia limites cõtineamur) in cauſa fuere Galenus, & maxima quoque Medicorum illorum pars, quorum compoſitiones ab ipſo, ſecundo libro de Antidotis deſcribũtur, & referuntur. Galenus quidem, eo quoniam libro de vſu Theriaces ad Pamphilianum in fine, poſtquam decem mellis Attici libras ad perficiẽdum hoc opus aſſumendas eſſe conſtituit, illico ſubdit alijs aliter viſum eſſe, nonnulliſque pauciores, vtputa ſex, alijs etiam pauciores ijs, nempe quatuor ipſius libras ad eiuſdem Antidoti compoſitionem aſſumere placuiſſe. Quorum ſententiam cum neque reprobet, neque damnet, conſueuerit autem in ſimplicium aliorum examine, quæ confectiones eiuſmodi magnas ingrediuntur, minima quæque percurrere; & excedentem vini quantitatem aliquando damnauerit: mihi ſanè viſus eſt ipſe quoque Galenus non multi feciſſe, neque admodum referre putaſſe (quod ſpectat ad rectam medicamenti compoſitionem) ſiue pluri, ſiue pauciori quantitate mellis vtamur, & arida corpora excipiamus. Vanum ſiquidem, & riſu dignum mihi videtur aſſerere, & arbitrari Galenum eorum ſententiam, quam libro de vſu Theriaces ad Pamphilianum adduxerat, altero quopiam libro, non amplius tamẽ adductam, immo verò neque etiam tactam, reprobare deinde, damnareque velle, quemadmodũ audio nonnullos ipſum exiſtimaſſe primo de antidotis cap. 4. ſubintelligere voluiſſe, dum ita ſcribit. *Propterea tales Antidotos Romæ conficiunt non ſolum optimi quique Medici, ſed etiã vnguentarij. Qui tametſi omnes in earum compoſitione nunc plus, nunc minus impingant, eas tamen vſui non inutiles conficiunt.* Quaſi. ſ. velit etiã ibi Galenus innuere tales in mellis copia quoque ſumẽda peccare, & impingere. Cum tamen ne verbum quidem eo loci de mellis quantitate protulerit, aut eam verterit in controuerſiam; ſed de ſimplicium probitate, delectuque in Antidotis multæ mixturæ, & cinamomum recipientibus

bus conficiendis, ibidem disputet, & apertè loquatur; in quibus illi nunc plus, nunc verò minus errabant, & impingebãt. Adde quòd nec ibi, nec alibi legimus (quòd ego sciam) mellis Theriacã ingrediẽtis quantitatẽ Galenũ ipsum vel, vti defectuosã, & diminutã vel, vti nimiã, & superexcedentem, accusasse; quemadmodum primo de Antidotis in vino fecit; cuius cum plus impendio foret ab aliquo in Theriacam, quam spontè præparauit, iniectum; copiam vnà cum vini qualitate damnauit, vt quæ præcipua foret occasio cur Theriaces illa iam acida effecta, redditaque videretur. Huic eidem consilio, cogitationique meæ fauit plurium Medicorum etiam eorum autoritas, quorum cõpositiones (vt dicebamus) Antidotorum quorundam à Galeno secundo illo de Antidotis referuntur. In cunctis enim ferè Theriacis, atque alijs Medicaminibus ab ipsis ad eundem vsum, hoc est, ad lethalia paratis, nulla certa quãtitate præscripta, tantum mellis assumendum esse præcipiunt, quantum satis fore videtur. Et ipse Damocrates varias eiusdem mensuras in varijs antidotis proposuisse quoque conspicitur: nunc enim duplum ad totum; nunc autem facta ad arida comparatione triplum; nunc triplum ad totum, ad arida corpora quadruplum, nunc verò solũ quod sufficit & satis est, addere, & assumere iubet. Secundo siquidem capite secundi libri de Antidotis, quod satis est, docet in Mithridatica confectione mellis assumi dum ait.

Vini, & mellis adde quantum est satis.

Duplum verò iubet accipiendum in alterius Antidoti descriptione, quã vltimam tertio capite eiusdem libri Galenus apponit. Scribit enim.

Omnium pondus Mel Atticum duplicet.

Deinde triplũ ad arida præcipit mellis assumi in illa nobilissima Antidoto, quã Charmes mille (vt inquit) vẽdebat drachmis Atticis, nec totã libram tamen dabat emptoribus, gratisq; se dedisse putabat. ait enim

Sed mellis aridis pondus triplum omnibus.

Deniq; triplum ad totum, ad arida verò corpora quadruplum; immo verò diuersam mellis quantitatem, & magis ẽt indefinitã, in altera eiusdem Antidoti Charmem dicti, descriptione, compositioneq; iubet assumendam ijs verbis.

Mellisq; libras quinas, & paulò magis.

Etenim si præscripta mellis quantitas referatur ad totum, triplam circiter proportionem habet, si verò tantum ad arida corpora referatur & cõparetur, paulisper quadruplam proportionem excedet, etiam si quinæ solum libræ sumantur: Siue scilicet melle velit in dissoluendis liquabilibus vtendum esse, quemadmodum excellentissimus Odus, & Socij credidere

didere

didere,& ex versione Iulij Martiani Rotæ colligitur, quæ sic habet.

Confice hoc pacto. Succos dissolue prius.
in melle calido, atque resinam optime.

Siue sola resina melle soluta, cœteris vero liquabilibus vino (subintellecto tamen, sed non expresso) quemadmodum legit Andernachus, forteque melius. ait enim

Sic præpara solutis iam liquoribus.
& melle calido resina fusa probe.

Siquidem neque in duobus alijs Antidotis, siue triplum ad sicca sumat, siue duplum ad totum, vini mentionem aliquam effecisse videtur. Hinc etiam factum fortasse fuit, vt post Galeni tempora, nostroque seculo ab aliquibus vtraque Antidotus maiori fuerit, ab alijs verò minori mellis quantitate parata, sic vt nonnullis quoque placuerit in eadem specierum dosi, ad viginti libras vsque ponderales ascendere: alijs autem totidem ferè libras quot species omnes, tam.s. arida quam liquabilia corpora, sunt, in compositione Theriaces assumere, non displicuerit. (quanuis vt parum illis liquidior, ita his modico tẽporis interuallo siccissima reddita sit) Nullus tamen pondus hoc pertransierit, quòd experimento nimirum cognitum sit, ad probum vsum accommodari non posse. Omnia siquidem tùm Naturæ, tùm Artis opera (vt innuit quandoque Philosopus) proprios quosdam limites habent, & intra certos terminos continentur. Quod verò talem naturam, & mellis Attici conditionem (quoniã scilicet plus siccitati resistat, & minus incrassationi subijciatur) existimauerim occasionem esse potuisse, vt illud idem minori mellis quantitate Galenus præstare posset, quod maiori solet à nostris eiusdem mellis quantitate præstari (si minori tamen eiusdem copia Galenus in sua componenda Theriaca sit vsus) in causa fuere Doctissimus ille Ruellius, immo verò Galenus ipse. Ruellius quidem, vt qui tertio suo libro de stirpium natura cap. 21. de Attico melle sic inquiat. *Porrò cum mel omne temporis spacio resiccetur, Atticum manet humectum.* Galenus autem eo quoniam scripserit primo de Antidotis mel quoddam apud suũ Genitorem amarum adeò fuisse, vt illi prorsus, quod nascebatur in Ponto quibusdam in locis, vbi Apes ipsum ex Absinthio congregabant, simile videretur, veruntamen illud & Atticum, & præstantissimum quoque fuisse, sed multo tempore inueteratum, amarum sic euasisse: Quod cũ inutile ipsi quoque sit visum, ab obitu Patris ad eum vsque diem seruatum à se, longe plus amarum, & nigrius, non tamen crassius admodum, redditum esse. nam *id*, inquit, *mellis optimi præcipuum indicium est.* Quo loci subdit illico in Eleonte Chersonẽsi iuxta regionem illam vbi

monu-

monumentum est Protesilai, mel natum esse, Quod quamuis diu easdẽ conditiones haberet, quas & Hymetium, crassius tamẽ, & conglobatius processu temporis reddebatur. Quod autem sumpta vini maiori copia pro Theriaces compositione (vt in illa Galeni) potuerit ea consistentiam humidiorem ab initio nancisci, nactam verò conseruare diutius, quàm si minori pararetur; ac proinde, quòd non ita facilè sic, sicuti, si sine tanto vino, imminuta etiam mellis quantitate, conficeretur, siccitati subiecta foret; ratio, ab ipsa rei natura desumpta, per se sola sat est, vt idipsum ostendere, & vnicuique persuadere facilè possit. Siquidem vinum actu longè videtur humidius esse, quàm mel: Vt proinde quanuis etiam non tanta sit auctio vini duobus sextarijs appositis in Galeni Theriaca, quanta forsan esset imminutio mellis in nostra, si reduceretur ad decem libras illas vt ponderales, & fiat illius ad hanc in vtroque collatio; supplere tamen actualis humiditas illa vini, mellis quantitati, siue defectui quoquo modo possit. Cum etiam ob rationem alteram valdè probabile videatur, vt, imminuto vino, mellis pondus augeri debeat. Nimirum quoniam, cum inijciendum sit Theriacæ vinum non austerum, sed dulce (quemadmodum primo de Antidotis visus est consuluisse Galenus) quo.s. medicina gratioris gustus efficiatur; cuius etiã solicitudo in iis, quæ deglutiuntur medicamentis habenda est, vtpotè in quibus amara multa contineantur; conuenit, vt imminuto vino, auctione mellis, simpliciũ eorum, quæ in vtraque Antidoto qualitatibus amara sumuntur, ingratitudini consulatur. Denique verò quòd ego putauerim decem illas Galeni libras si reducantur ad pondus, proximè ad eam quantitatem mellis accedere, quam Aromatarij nostri in ipsius compositione Theriaces vsurpare solẽt, occasionem quoque Galenus præbuisse videtur: Quippè qui, cum sexto de compos. med. secundum genera capite octauo (ni fallor) ignorare se fateatur, & ambigat, vtrum Priores illi Medicinæ professores, qui pharmacorum varias quasdam, & vtiles cõpositiones posterioribus tradiderunt, dum liquidorum Medicaminũ quantitatẽ modo per vncias, modo verò per libras explicant, intelligãt illas ponderales, an mensurales; cum perspicuũ sit liquidorum corporũ, sicut etiam aridorum, alia grauiora, alia verò leuiora fore; ansam quoq; mihi dubitãdi præbuisse videtur, & pariter ambigendi, num decẽ libras illas, quas in Theriaces compositione sumendas præcipit, pro mensuralibus, an verò pro ponderalibus ipse quoque susceperit. Cur enim si superius allegato loco Galenus *Medicos*, inquit, *in libris de medicamentis accuratius scribere oportebat, quales videlicet vncias, vel libras Medicaminum liquidorum immitti vellent, mensurales ne, an ponderum?* Non

icebit

licebit itidem mihi saltem ambigere, & à Galeno requirere, num ponderales, an mensurales intellexerit eas libras esse? Potissimũ verò, cum, nõnullorum cautela, respõsioq; statuentium ex alijs in Theriaca positis, & ponderatis, colligi posse libras illas ponderales esse, non mensurales, fuga quædam, & ea tardissima, quæ rationis vim non effugit, esse videatur. Cum. s. etiam illi, de quibus eo loci Galenus, arida cœtera in eisdem medicamentis assumpta, certis ponderibus præfinire, describereq; cõsueuerint. Qui tamen neque (Galeni sententia) certis deinde vel vncijs, vel libris ponderalibus liquida descripsisse, determinasseque visi sunt. Quòd autem sic illæ libræ desumptæ, dum reducuntur ad pondus, parũ ab ea quantitate recedant, quę solet à nostris assumi, diligẽtius proprio loco monstrabitur. Nunc verò satis erit summatim dicere, consueuisse nunc temporis (conformiter ijs, quæ ad hunc vsque diem Venetijs obseruata sunt) Nostros Aromatarios in vtriusque Antidoti scilicet tã Theriaces, quàm Mithridatios cõpositione, pro singulis tribus triturabiliũ, & aridorum corporum vncijs, libram vnam mellis adijcere. Cuius tota dosis, seu pondus ascẽdit ad libras circiter quatuordecim, modica solum aliquando varietate notata; prout inter species & arida, ex liquabilibus nonnulla ab aliquibus (vt quæ cum actu siccissima sint, facilè quoq; cõtundi possint) enumerata, repositaq;, pondus specierũ adaugent; ab alijs verò liquata, vinoque dissoluta, diminuunt. Cui sanè mellis quantitati vel vndique, vel circiter saltem, decem Galeni libræ, si pro mensuralibus accipiantur, respondere, suo loco, quemadmodum dicebamus, facta diligenti computatione, monstrabimus. Hæc omnia, cum satis mihi probabilia viderẽtur, vt vel singula per se ipsa sumpta seorsum, aliquibus; vel plura simul pluribus ẽt, persuadere possent ab inueterata consuetudine recedendũ nequaquã esse. Inter ea tñ id vnũ maximoperè mihi probabatur, quòd decẽ illæ Galeni libræ tã pro põderalibus q̃ etiam pro mensuralibus indifferenter intelligi, & accipi possent. Vt proindè tota eiusmodi incepta disputatio, controuersiaque vnum ex illis problematibus esset, quorum neutra pars demonstrari, vtraque verò paribus hinc, & inde rationibus, persuaderi forsan, & ex æquo probari possit. In qua tamen rationum paritate, nos aduersarios nostros eatenus etiam exuperamus, quatenus in ipsa re positi, & cõsuetudinis inueteratæ bona possidentes, satis facturi simus, vt in eiusdem possessione seruemur, & maneamus, si tam rationes illas è medio tollamus, quibus ij probare conãtur libras eas ponderales esse, quam reliquas etiam, quæ, vt mensuralibus illis acceptis, ostendunt tanti ponderis esse non posse, quanti mellis est ea quantitas, quam Myropolæ Veneti in compositione Theria-

ces aſſumere, vſurpareq; ſolent. Hæc autem huius ambiguitatis occaſiò, & ratio difficultatis ſic explicata, quanquam illico mihi maximoperè probaretur, nō tamen adhuc per initia tanti mihi videbatur, vt poſſem audacter, & palam illam exponere, ac publicè profiteri: Quandoquidem etiam ſi fundamentum illius ab inducto Galeni loco deſumeretur, & ipſi rationi videretur innixum, verebar attamen, ne eiuſmodi opinio, & autoritatū earum interpretatio, veluti noua, nulliuſque probatioris nominis autoritate confirmata, ſuſpecta pluribus videretur. Verūtamen, poſtquam eiuſmodi ambiguitatem in cæteris etiam à Galeno ſcriptoribus examinare, & inquirere cæpimus, & plurimos, eoſq; magni nominis, & exiſtimationis, Medicinæ ſcriptores inuenimus longè maiorem, quàm decem illæ Galeni libræ ſignificēt (vbi. ſ. pro ponderalibus accipiantur) copiam mellis in compoſitione Theriaces iubētes aſſumi, & (quod magis eſt) in celebri Medicorum Bergomenſium Antidotario legimus idem hoc à grauiſſimis Patribus illis excogitatum ante fuiſſe: cum. ſ. ita ſcribant: *Damocrates, Paulus, & Aetius mellis habent libras decem; quarum pondus (ſi de menſuralibus intelligatur) ad quindecim aſcendēt libras; quæ triplam ad ſicca proportionem pauliſper excedunt*, non amplius hæc ſilentio digna cenſuimus, ſed audaciores effecti, non ſumus veriti ſententiam noſtram alijs exponere, & eam (ſaltem probabiliter) ſuſtineri poſſe profiteri, nec vllas eſſe rationes affirmare, quæ nos ab ea declinare cogant, aut, quæ ſententiā alteram, magis etiam quam probabiliter, demōſtrare, perſuaderevè poſſint. Vnde etiam factum eſt, vt, cum in eiuſmodi re nihil ex Galeni ſententia certi conſtitui poſſit, dignum opere fore cenſuerimus, ſi in cæteris etiam probati nominis Medicinæ ſcriptoribus difficultas eiuſmodi examinetur, recteque proinde ſancitum, & à præclariſſimo Collegio noſtro duobus propoſitis, & electis ab ipſo doctiſſimis viris mandatum eſſe diiudicauerimus, vt non, quæ Galeni ſolum, (cum. ſ. ille videatur incertus) ſed, quę probatorum quoque ſcriptorum aliorum, qui difficultatem eiuſmodi pertractarunt, ſententia foret, inueſtigarent, & diligenter inquirerent, atque vniuerſo Collegio deinde referrent, fidiſſimeque narrarent. In qua re quanto iuuenis eruditiſſimus artificio, quanta ſubtilitate, (ne dicam ingenioſa calliditate) ſit vſus, in totius diſputationis huius progreſſu patebit.

Interim ſequitur, vt, quibus ego rationib. exiſtimauerim tutius eſſe ſcriptura, quam voce ſententiam noſtram Præclariſſimis Collegij Patribus explicare, potiuſque calamo, quam lingua contendere, & pro inueterata conſuetudine tuenda, nunc agere, quam breuiſſimè referam.

Quan-

Quanquam autem ex ijs, quæ superius apposita, notataque sunt, potior vna, præcipuaque ratio, qua nos ad id agendum impulsi, immo verò lacessiti fuerimus, colligi possit: nempè, ne causa talis ante Collegij Patres disparibus defensori bus ageretur: huic tamen & aliàs quasdam non minoris sanè momenti nũc nobis addere placet. Quarum vna primaque sit: Quòd, cum inducta disputatio sine multorum Medicinę scriptorum testimonijs agitari, tractarive nequeat: conueniat autem testes adducendos condignos esse, nosque in eorum autoritatibus afferendis fore fideles, & nullo modo mentiri, nec fore solum, sed vt tales etiam ab ijs recognosci, quibus demandatum est ius in huiusmodi causa, quibusque tanquam Arbitris, & disceptatoribus vti debemus: Visum est nobis hæc omnia facilius, & certius haberi posse, si causa scriptura, non ore, seu voce coram Patribus ijs tractaretur: manẽt enim, quæ scripta sunt, cito volant, quæ verbo dicuntur, illa nunquam veluti non scripta negãtur; hæc autem sæpè, quasi non dicta, refelluntur: in illis abscondi mendacia vix, immo verò nullo modo, possunt; in ijs autẽ, omni in malè purgatas audientium aures culpa reiecta, teguntur mendacia, & vna sæpè, vel addita, vel ablata syllaba, quæ falsitatis inhonestata vitio prolata sunt, veritatis ipsius pedibus, reformata gradiuntur. Vnde etiam fit, vt, cum scriptorum autoritates, & testimonia proprijs ex locis adducta, plerunque, vel quoniam falsò, vel quia non bene in eorum monumenti virtute, qui concioni præsunt, maneant insculpta, sed, oratione continuata, subsequentibus alijs, obliterentur; haud facilè possint ab Arbitris, & ijs, quibus iudicandi munus est demandatum, (sibi forsan in hoc satisfacere sæpè cupientibus) vt opus esset, ante Iudicij tempus attendi, perfectiusq; recognosci; iure nobis, quibus nihil minus est cordi, quam cæteros velle decipere, eiusmodi disputandi modus arriserit. Altera verò, secundaque ratio fuit, quoniam in ipso sermonis impetu, dicendiq; fluxu, plerumque irascibilis Animæ Facultates excitantur; & ipsa vis cogitandi, seu Mens, celeri, sibi à virtute phantastica oblatarum imaginum motu, perturbatur, & sic offunditur; vt ratione facultatis vtriusque concitatę, & à proprio statu dimotæ, duplici nomine cogamur impingere, ac aberrare; & in re. s. de qua tractatur, & in ijs etiam, cum quibus agitur: volat enim sępius (quãquam nobis inuitis, & vndiq; præter cõsilium) ambiguum aliquod, nonnunquam etiam & mordax, sed irreuocabile verbum: quibus omnibus non æqui bonique consulentibus illis, in reprobum sensum acceptis, occurrit, vt hinc rixæ postmodum, iurgia, contumeliæ, & apertæ nonnunquam, sæpè etiam occultæ inimicitiæ consurgant, & oriantur. Cum itaque veritatis inuestigatio paca-

to egeat animo, & omnis disputatio ab odio, & a cunctis animæ perturbationib. libera prorsus esse debeat, & aliena: Qua ratione Pythagoras discipulis suis mādabat aliquando, vt neq; cerebrum, neque cor ederēt: Quasi diceret, & doceret eos ad veritatis indagationem, neque Mēte cogitationibus perturbata, neque ea vi, in qua irarum æstuat ardor, à sua sede dimota, & cum priori confusa; sed vtrisque pacatis, accedere semper & moueri debere; placuit nobis amicissimè tractaturis, hoc potius, quàm altero proposito sæpius à multis, disputationis genere vti. Postrema denique ratio fuit; quoniam, vt ea, quæ disputantur orando, vix vllam permanentiam habent, sed in quodam transitu posita, cito volant, & præterita potius, quàm pręsentia vocari, censeriq; solent; ita quæ scriptis, & altero hoc disputandi modo traduntur, diu (saltem pro legentiū arbitrio, voluntateque) permanentia, veluti præsentia sumuntur, & in præteritorum numero non recensentur. Iam verò sicuti armonia, dum præsens auribus nostris illabitur, vehementius afficit, quàm dum præterita cogitatur; ita etiam magis, exactiusque ad veritatem agnoscendam ea faciunt, & mouent, quæ scriptis (quoniam scilicet vt dicebamus veluti præsentia sint) quàm ea, quæ siue oratorijs, siue Philosophicis disputationibus, verbo traduntur. Cum enim natura comparatum sit (quemadmodum sapientissimus quidā vir dicebat aliquando) vt res ipsæ multo maiorem, quàm earum nomina, vim habeant: Quæ scriptis illustrata sunt, veluti vitam concipientia, rebus ipsis proximè accedunt; è contra verò quæ verbis, nominibus vtique proximiora, quam rebus, existunt. Atque tot non solum excusationis cuiusdam gratia dicta voluimus; sed propter illos etiam, qui nobis imposuere, quòd non rationum euidentijs aliquibus, sed aliorum precibus, & quorundā seplasiariorū monitis, quorum res in discrimen adductæ videntur, veterem cōficiendi talem apud nostros antidotum, componendiq; normam, liquidis potiùs vsuri verbis, quàm solidis argumētis, aut probatorum scriptorum autoritatibus, & testimonijs, tueri velimus: tum etiam, vt cum illis amicè quoq; tractemus, quibus hic respondendi modus non probabatur, & quibus insuper partim superfluus (cum scilicet illud idem oratio, sermoq; prestare, ex eorum sententia, possit) partim etiam insuetus, & odiosus, immo verò (quòd magis est) detestabilis, & execrabilis videbatur. Sed iam tempus est, vt ad rem, & primum punctum ex tribus in hoc difficultate propositis accedamus.

Duas

Duas in proposita difficultate præcipuas opiniones reperiri, duasq; nunc temporis à nobis potißimum esse considerandas. Cap. III.



Vanquam plures in eiusmodi controuersia tùm recentiorum, cùm etiam veterum Medicorum sententiæ reperiantur; & preter enumeratas ab aduersarijs, possent & aliæ de varia mellis quantitate sumenda pro compositione Theriaces opiniones adduci: cum (sicuti superius innuebamus) neq; defuerint, qui longè minus quam decem illæ (quomodocunque sumantur) Galeni libræ significent, mellis, ad talis antidoti compositionem assumi posse crediderint: iamque Nos ex eiusdem Galeni relatione dixerimus alios maluisse sex, alios etiam quatuor vniuersæ cõpositioni mellis ipsius libras iniicere, & solis ijs arida, triturabiliaque corpora excipere, nec non cum cæteris omnibus liquidis in vnitatem redactis, totam ipsius Theriacæ massam conficere, & conformare: cumq; doctissimus Rondelletius. 33. cap. sui libri de ponderibus medicamentorum varias etiam nonnullorum quorũdã sententias referat, qui in Antidotis conficiendis, diuersa, multipliciq; censuerint quantitate mellis vtendum esse. *putant enim*, inquit, *Medicorum aliqui pro qualibet illius libra, binas pulueris, seu specierum vncias iniici posse, alii verò tres, alij quatuor, quidam etiam quinque, vel sex, alij denique septem*, (qualis forsan fuit Nicolaus, quo, loco Galeni à Rondelletio, vel potiùs à Typographo nuncupati, reposito, mendum in litera facile corrigetur.) Quãuis, inquam, plures, & variæ possent in hac difficultate Medicorum sententiæ referri. Nos tamen breuitati modo cõsulentes, quibusdam illarum veluti longè à Galeni, immo verò potiorũ omnium Medicinæ scriptorum mentibus, alienis, omnino posthabitis; cœteras alias ad duas præcipuas atque potissimas tantummodo redigẽdas (quantum, scilicet ad nos attinet) esse censemus, hoc est ad vnam illorum qui decem; & ad aliam quorundã, qui circiter quatuordecim parumve minus, aut plus, aliquando mellis libras in talis Antidoti confectione sumendas esse præcipiunt. Ad quod efficiendum duplici quoque ratione mouemur. Quarum vna, primaque est; quoniam earum opinionum nonnullæ pro diuersis ab aduersarijs acceptæ (si diligentius examinentur, in vnam facile cadunt, & ad vnicam reducuntur: Ita siquidem contingit in, tertia, ab eruditissimo Iuuene primo suæ disputationis capite

pite

pite recensita & enumerata sententia; quæ sane parum admodum ab ea quam secundo loco disposuit in ipsa mellis quantitate recedit, immo verò cum illa ferè coincidit. Quàm tamen vafre, artificio mirabili, & ex industria ab eodem arbitror fuisse seiunctam & separatam ab illa. quò, scilicet, consueto nostro parandi modo non parum existimationis, & autoritatis eriperet, atque nulla, nisi Georgij Melechij autoritate suffultos Venetos Aromatarios ostenderet compositionem ipsius Theriacæ prosequi, molirique consueuisse. Cum tamen constet (vt propriori loco monstrabitur) ex memoratis autoribus secundæ classis, plerosque fuisse (ni dicam omnes) qui quatuordecim circiter mellis ponderalibus libris; immo etiam qui, additis ijs vncijs quinque, & (vt minima non præteream) duplici drachma, prædictam (parum ab ijs, qui in tertia classe recensentur in pondere differentes) conficiendam Antidotum constituerint. Altera verò, secundaque ratio est; quia non versatur inter nos difficultas circa modicum mellis, in quo fortasse nonnulli secundæ classis, ab ijs, qui tertio loco dinumerantur, euariant; sed circa longè maiorem ipsius quantitatem, tertiamque ferè partem imminuendam, & à consueto pondere detrahendam. In qua re differunt ab ea prima reliquæ tres eodem loco seiunctæ, & explicatæ sententiæ. Ad binas igitur vniuersas horum opiniones tuto iam redigentes, distinctius modo dicamus vnam illorum esse, qui præscripto ex Andromacho seniori specierum, hoc est, triturabilium, & aridorum corporum pōderi, triplum circiter mellis addi (Galenum sic interpretantes) sunt arbitrati; vel ad omnium pondus, hoc est, tàm aridorum, quàm liquabilium corporum vnà sumptorum, circiter duplum. Alteram autem eorum, qui triplum ad totum, aut quadruplum mellis ad species, (quod idem est, ac pro singulis tribus puluerum vncijs libram vnam mellis assumere) commisceri debere (neque forsan à Galeno recedentes) existimarunt. Est enim illud (quod huic nostræ bipartitæ diuisioni maximè videtur accommodatum) supponendum, & nūc animaduertendum differre parum siue dicamus triplum ad totum, siue quadruplum ad species, triturataq; corpora, siue tres specierum vncias pro libra singula mellis. Diligenti siquidem facta computatione dignoscemus inter primum, & duos alteros, qui in vnum omnino coincidunt, componēdi modos, vel nullam, vel modicam saltem aliquando differētiam in ipsa mellis quantitate reperiri. Quod, si contingit, non alia sanè ratione contingit, nisi quoniam ex ijs, quæ (in ancipiti ferè posita) nata sunt, vt vtroque modo præparari possint, hoc est, tum vino dissolui, tùm verò contundi, nonnulli ex nostris Aromatarijs, vt dicebamus, aliqua

conte-

conterunt, & inter species enumerant; alij verò dissoluunt, & inter humida seu corpora liquata recensent. parumper igitur auctis speciebus aliquando augetur & mel; imminutis verò minuitur. Cæterum varius hic præparandi modus non est in ipsa compositione Theriaces ex toto damnandus; cum in aliquibus æquè bene perfici possit, (quemadmodũ rectè doctissimus Odus, & socij notarunt) & apud veteres etiam variè nonnulla præparari, & ad ipsius Antidoti compositionem vsurpari videantur. Siquidem aliqua ab Andromacho, & à Damocrate colliquabantur, quæ Galenus tritura contundit. Quædam autem è contra Galenus vino macerabat, & emolliebat, quæ nec à Damocrate, neque ab Andromacho macerabantur. Immò verò nonnulla ab ipso quoque Galeno vino madefacta soluũtur, quæ nostri modo contundunt cuiusmodi sunt Napi semina, & Thlapsis; quæ tamen ambo prius ab eodem (vt ipse fatetur) triturata, contusaque ad eundem vsum assumebantur. Ita quoq; Galenus Myrrham, & Crocum, vino macerata leuigabat, vt primo de Antidotis cap. 15. scriptum habetur. Quod in croco Damocratem obseruasse quoque colligimus ex illius Antidoti descriptione, quam sanguinis infra, supraque prorumpentis impetum sistere, cohibereque docuit: dum ita. s. ex Andernachi versione scriptum reliquit.

——Sic para; mundum Crocum
Perfunde vino dulci, & albo Cretico,
Duos finiens vnà dies vt plurimum;
Quum molle cernas, fragile, mox inditum
Mortario, cochleari læuiga, &c.

Nostri verò Crocum omnes, Myrrham autem nõnulli cõtundunt, neq; vino perpetuo dissoluũt. Multo verò minus eiusmodi varietatis præparationis in casu nostro, (nimirũ quatenus ad Antidoti consistentiam attinet) est habẽda solicitudo; tùm quoniã minima ex vno, vel altero administrandi modo, consurgit in mellis quantitate varietas; tùm etiam quoniam vbi, speciebus adauctis, mellis pondus paulisper augetur; vini deinde quantitas modicum etiam tollitur, & imminuitur. Sicut è contra contundendis, in vino maceratis, & non contusis, vt uini copia paulisper augetur, sic mellis quantitas imminuitur. Cum itaque duæ præcipuæ sint in eiusmodi ambiguitate, sententiæ; vtraq, proprios fautores (& viros quidem insignis autoritatis, & maximi nominis) habuit. Priorem etenim, illorum. s. qui Galeni dictum, prout sibi videtur, interpretantur, & libram vnam tam liquidis, puta vino, & melli, quam aridis corporibus inseruire contendentes, & existimantes, decem illas ex Andromacho iuniori constitutas à Galeno libras, ad certum drachmarum

rum

rum numerum (.f. noningẽtarum & ſexaginta) reduxere, non pauci ſequuntur; de quibus eruditiſſimus Iuuenis in eo primo capite ſatis videtur eſſe loquutus. Alteram autem, illorũ.ſ. qui prædictas, à Galeno quidem, ſed non ab Andromacho determinatas, libras, diuerſas à ponderalibus eſſe, ex eiuſdem Galeni placitis colligentes, mellis ipſius quantitatem quatuordecim noſtris ponderalibus libris, vncijs quinque, vel circiter determinatam, propoſitis ab Andromacho ſpeciebus, optimè reſpondere (multiplici, & aliàs adducenda ratione) cõſtituere; plures quoque neque minoris exiſtimationis, & dignitatis, quam priores illi, ſequuti ſunt. Hos igitur omnes, tam priores.ſ. quam poſteriores etiam, nos diligenter examinabimus; & prioribus ab eruditiſſimo Iuuene pro ſuæ, & ſequacium opinionis confirmatione dinumeratis, & adductis authoribus, poſteriores alios è diametro paulò poſt hæc opponemus: vt probabilioribus rationibus ijs ab autoritate deſumptis, per initia quoque propoſitis, cum fautoribus opinionis oppoſitæ ex æquo certemus; ac proinde ſtatim hæc prima diſputationis huiuſce capita inſpicientibus oſtendatur, & conſtet, nos in hac rationum paritate, viciſſe; quoniam, ſcilicet, nullis vrgentibus, nec aliquid plus aduerſarijs ad eorum confirmandam ſententiam nobis, habentibus, in euitabili quadam neceſſitate conſequitur, vt vetus ea conſuetudo permutanda nõ ſit. Ad hoc enim ſemper tota noſtra dirigetur oratio; nimirum, vt difficultatis, & ambiguitatis eiuſmodi probabilitatem primo demonſtremus, vt, ea ſuppoſita, & demonſtrata, deinde tot illuſtrium, & præclariſſimorũ Patrum iudicium pro nobis declaretur, & ſtet, conſuetudo tota probetur, & nihil penitus innouãdum, aut permutãdum eſſe decernatur. Quod tanto magis à vobis (ad quos iterum vertimur, integerrimi Patres) conſequuturos eſſe non diffitemur, quanto certo ſcimus vndique vobis, & uniuerſis, ad quos hæc noſtra peruenerint, perſpectum fore futurum ſemper nos aduerſarios noſtros, ſiue in ſcriptorum, quorum fulcimur autoritatibus, dignitate, & exiſtimatione; ſiue in rationum euidentijs vis omnis poſita fuerit, & ad alterutros collatio fiat, longè lateq; fore ſuperaturos. Sed iam ad eos qui priori ſententiæ fauere, recenſendos, examinandos, & recognoſcendos autores accedamus.



Fauto-

Fautores prioris opinionis ab Aduersarijs adducti, recensentur, et examinãtur; vbi nõnulli, qui sententiæ nostræ non autem oppositæ subscripsere, recognoscuntur. Primoq; Syluius, & Fuchxius explicantur. Cap. IIII.



QVindecim, Doctissimus Iuuenis primo suæ disputationis capite, præter Galenum, & Andromachum, scriptores enumerat, & veluti certos opinionis illius, quam sequitur, ipse, fautores apponit, Syluium, scilicet, Fuchxium, Rondelletium, Vvecherum, Foesium, Franciscum Alexandrinum, in suo Apollo, Marantam, Romanos Medicos, Bononienses, Florentinos, & Bergomenses (in Antidotario tamen latino idiomate impresso; qđ verũ, inquit, Bergomensis Medicorum Collegij est Antidotarium) Hieronymum Calestanũ Aromatarium, Ioannem Paulum ex Spinellis: A quibus cùm parum etiam discesserint Marcus Odus, & Socij, hos inter suos, (& iure quoque) recenset. Postremo Syluaticum, in eadem classe, leui quadam coniectura, reponit. Cęterùm Nos, cum inter illos, aliquos primùm suspicaremur, ex eorum esse numero, qui sententiam nostram sequuti sunt; deinde verò certiores effecti, furtim hos ipsos surreptos nobis, inter suos prauè, fuisse repositos dignouerimus: operepreciũ facturos esse censuimus, si, diligentius, quàm ab eruditissimo Iuuene factum fuerit, singulas singulorũ sententias ex proprijs locis hauserimus: & quos ex prænumeratis autoribus, è nostris fuisse sublatos recognouerimus, iterum, illos (proprijs appositis verbis, locis adductis, nullos decipientes,) veritati, suoque priori candori restituerimus. Quod cum vnico capite, sine tędiosa prolixitate, præstari nequeat, iustum verò sit, vt eodẽ ordine, & eadem serie, qua dispositi ab aduersarijs in ea classe, collocatique sunt, à nobis inspiciantur, quos, scilicet, nostros ab alijs ex toto seiũgere, & recognoscere valeamus: vniuersam tractationis huiusce partem in proportionata quædam capita seiungentes quæsò, iam in præsenti capite (ijs quæ de Syluio, Rondelletio, Foesioque inferius, & propriori loco coniunctim dicturi simus, modo posthabitis) à duobus primò propositis hoc est, à Syluio, & à Fuchxio principium diligentioris huius examinis efficiamus: ac primùm à Syluio, tanquam à primò recensito, nunc ordiamur.

1 Hunc acutissimum sanè virum, & in hac de medicamentorum rectà parandi ratione disciplina, versatissimum, Galeni doctrinæ propugnaculum, & sectatorem eius acerrimum (quemadmodum sua cuncta, sed

præ cæteris alijs anatomica scripta demonstrant.) Hunc, Hunc inter eos eruditissimus Iuuenis, qui propriæ, suiq; ipsius opinioni fauere dicitur, primò recenset, & in prima sede reponit. Et (si sic esset) iure quidẽ. Sed, bone Deus, quanto decipitur. Hunc statim nos recognouimus nostrum esse, nostra tueri. Quòd, vt omnibus sine suspicione mendacij persuadere, demonstrareque valeamus, oportet, vt sententiam huius, propriaque verba, signato loco, necnon (si Dijs placet, & opus erit) signata pagina, recensere, transcribereque studeamus. Syluius igitur quarto libro suæ Methodi de compositione Medicamẽtorum (incipiam ab eo loco, qui Iuuenem eruditissimum fortè decepit.) Theriaces compositionem, in qua non Solius Andromachi Iunioris, sed senioris, & Patris, ac nonnullorum quorundam aliorum, puta Demetrij, vniusque sæpè Damocratis meminisse videtur, accuratè descripsit; sicuti de Damocrate passim in quorundam simplicium explicatione conspicitur: De Demetrio verò præsertim in prima pastillorum scilliticorum determinatione; dum inquit. *Pastillorum scilliticorum drachmæ quadraginta octo, Andromachus. Sed Demetrius tempore Galeni factus etiam Archiatros, tantum drachmas quadraginta sex miscebat.* Syluius, inquam, eo loci, postquam omnia, quæ ad aromata, & alia cuncta eiusmodi Antidoti compositionẽ ingredientia, pertinent, perfecit, & explicauit, tandẽ ad mellis quantitatẽ præsignandã accedens, hæc ait, *mellis Attici drachmas centũ quinquaginta, seu libras decẽ. Andromachus.* Ex hoc, arbitror, loco deduxit Aduersarius noster doctissimũ Syluium, & in omnibus diligẽtissimũ, decem mellis libras pro cõpositione Theriaces determinasse. Cui si concessero totum, & ego, deinde verò quæsiero, cũ duplex apud Antiquos, potissimumque Romanos (vt suo loco monstrabo) libra daretur, Mensuralis vna, quæ liquoribus primo, deinde verò nonnunquam aridis et corporibus inseruiebat: altera verò põderalis, quæ primò siccis corporibus, postmodum autem aliquãdo liquoribus accommodabatur; de qua nam putet Syluium intellexisse cum dixit, *mellis attici drachmas cẽtum quinquaginta, seu libras decem. Andromachus?* Statim ipse (ni fallor) intrepide respondebit, de Ponderali. Si verò dixero, cur non de Mensurali? hic iterum respondebit, eo quoniam colligit libras ex drachmis, & nunquam legitur apud Antiquos drachmarum nomine mensuram aliquam præsignari, sed bene pondus. Verum vbi rursus obijciam Syluiũ, ex eo drachmarũ numero, nullo modo potuisse decem libras illas efficere; cum centum quinquaginta drachmæ constituant libram vnam, semilibram, & drachmas sex, quid respondebit? Rursus (arbitror) extemploque respondebit Syluium fuisse deceptum, & in duobus ijs potissimè

me falsum: primò quia textus illius mendum non agnouit; secundò quoniam malè numerum drachmarum illarum ad decem libras redegisse videtur, cum ex nullo Galeni loco drachmas eius pōderis inuenire liceat, vt earum cētum quinquaginta decem libras constituant. (tot. n. & talia de Syluio, Rondelletio, & Foesio, primo eiusdem disputationis capite apud aduersarium ad verbum ferè scripta leguntur.) Sed (vt conuertar ad te mi carissime) dicas mihi, si placet, quomodo tu ex incerta Syluij autoritate, & incerto loco, in quo, te iudicè, bis errauit, tam fiduciter colligis præsignatam à Syluio mellis quantitatem, non aliam esse, quā à te constitutam? decemque libras illas ponderalibus respondere? Cur nō eadem ratione, decem inquis, & octo mellis vncias, & drachmas sex, quæ resultant ex centum, & quinquaginta drachmis, ab illo propositis, Syluium pro mellis Theriacam ingredietis quantitate describenda posuisse? cur drachmas, recensitas, etiam ab illo respuis, & libras accipis? Quoniam, inquis, Syluius errauit. Sed heu mi Sylui? Qui nam tibi nūc imponuntur errores? Nec mendum textus agnoscis? neque prima computandi rudimenta calles? Quam fidem in alijs (istis de te suppositis) posteriores accipient? nullam, sanè nullam. Verùm quid audio? Confide Sylui, quia veritas conculcata, se ipsa resurgit. Non errasti, errarunt ipsi. Et (vt de mendo recognoscendo nunc sileam, altero commodiori loco dicturus) in drachmarum reductione, non deliquisti, quippe, qui scribas. *Drachmas centum quinquaginta, seu libras decem,* non autem, vt isti referunt, *idest libras decem,* An forte nesciunt, ij particulam, *seu,* disiunctiuam esse, qua iungimus ea, quorum sæpius alterum non utrumque affirmamus? *Idest,* autem esse particulam explicatiuam, qua non alterum, sed indifferenter vtrunque tanquam duo non diuersa perpetuo significamus? vtique nesciunt, aut saltem nescire se fingūt. Non est igitur, vt ex hac autoritate locoque Syluij (nisi melius intelligatur) certam adhuc mellis qnantitatem pro compositione Theriaces vllo modo colligamus: cùm æque potuerit de mensuralibus, ac de ponderalibus libris, intellexisse. Quòd sanè tanto magis affirmare, & probabili satis cōiectura, persuaderi potest; quanto constat Syluium (quem paulo post dicam nostrum,) & libras, & vncias, & (quòd aduersarijs nostris admodum graue videtur) drachmas etiam mensurales eisdem libris dignouisse, constituisse, declarasse, & à ponderalibus distinctas esse, docuisse. Siquidem tertio librorum eorundem in fine iam de ponderibus, & mensuris, quæ Galeno præcipuè, & ætatis nostræ medicis etiam, in vsu frequētiori sūnt, loquuturus; vbi prius de pōderibus tum Romanis, cum etiam Græcis Atticis sermonem absoluit, ad explicandas Romanorum men-

furas accedens, de Culeo, tanquam omnium ferè mensurarum earum maxima, scribit eum capere libras mensurales mille sexcentas. Deinde verò paulò posterius de Congio loquens, formalibus ijs, ita scribit. *Congius capit sextarios sex Romanos, 6. de comp. phar. p. G. seu libras decem.* Subdit verò de Sextario sic. *Sextarius, quia est Congij sexta pars dictus, capit heminas duas, seu libram, & bessem, idest, octo vncias; siue vncias viginti, mensurales, non pōderales. Nisi liquidorum quem metieris, vt mel grauissimum, oleum leuissimum, vinum (præsertim fuluum, nam nigrum crassius, & grauius) medium expresseris: & sic tot sextarij sunt explicandi, quot sunt res metiendæ.* Sed ut ad minimas, siue minores mensuras, & drachmas etiam deueniamus; audite quæsò, quid autor idē paulò posterius, vbi de liquidorum mensuris copiosè differit, & vnicuique mensuræ pondus in tribus liquidis ijs corporibus Oleo, vino, & melle, longè diuersum refert, & confert, scriptum reliquerit. *Acetabulū,* inquit, *sesquiciathum capit, seu vncias duas, & drachmas duas.* Neque timendum est ipsum de mēsuralibus intellexisse; tum quia de talibus loquutus erat in mensuris alijs; tum etiam quoniam eiusdem mēsurę pōdus in vnoquoque trium propositorum corporum liquidorum expendens, & eodem loco paulò post explicans; diuersas, & aliàs ab illis, ponderales vncias, & drachmas inuenit, & in omni liquido corpore certò cōstituit. Siquidem. *Acetabulum,* addit, *olei pēdet sescunciam, & drachmas tres, seu drachmas quindecim. Vini autem vncias duas, & scriptula duo; mellis vncias tres, & drachmam vnam.* Hæc ille. Quapropter Nos, admodum probabiliori coniectura, putare, & arbitrari debemus Doctissimum Syluium decem librarum earum nomine, potius mensuræ, quàm ponderis libras intellexisse; sicuti quoque voluisse credimus, & accepisse Galenum. Atque tot, vt Syluium inter eos, qui vestræ opinioni subscripsere, reponi non posse, multoque minus in fronte, primaque sede collocari debere, demonstremus, dicta sint satis. Nunc superest, vt ex nostris esse probemus, & in mellis hac præscribenda quantitate, nobiscum sentire, iam declaremus. Porrò Syluius noster (Nunc enim sic eum appello) cum allegato loco superius Theriacæ compositionem ex Andromacho quidem, sed ex alijs etiam autoribus seiunctim positis, & ijs, in quibus differunt, explicatis, & adnotatis, excerpserit; nec nō decē mellis eas à Galeno constitutas libras indeterminate saltē, neq; .s. mēsurales, neq; pōderales, cōstitutas esse cognouerit; exactius quātitatē eandem eo loci determinare, & explicare despexit; aut saltem non admodū in cuius ordinis, cuiusq; rationis eæ libræ forent, inuestigādo laborauit. Siue quoniam tacitè forsan consuetudinem approbare voluerit: siue potius (vt

arbi-

arbitror) quoniam ipse non admodũ ante, se ipsum iam exposuerat, & explicauerat. Siquidẽ in Antidoto Mithridatio paulò superius ex Andromacho ab ipso descripto, ad internos omnes affectus, & deleteria, in quo tum gummi, tum lachrimæ, tum liquores, & opium recipiuntur, mensuram mellis accurate præscripsit, & qualis ea futura foret in ipsa Theriaca, determinauit: Postquam etenim ibi cuncta recensuit, & explicauit; de melle sic ait. *Mellis Attici optimi, quãtum sufficit, hoc est, libram vnam in pulueris vncias tres; vel si delicatius vis, sed minus efficax, in pulueris vncias duas.* Neque verò contentus ijs, sed, vt eodẽ modo nos doceat se in compositione Theriaces fore postmodum intellecturum, ita subdit. *eadem est ratio mellis, seu sacchari quantitatis, & puluerum in cæteris Antidotis.* Quid clarius? Quid lucidius in Syluio? Nõne nobis doctissime Iuuenis hunc, quem furto substuleras, & inter tuos reposueras, cõcedes in posterũ, vt inter nostros enumerare possimus? Vtique. Paulo sanè longiores oportuit nos in Syluio recognoscendo fuisse; tum quoniam maximus hic in Galeni doctrina vir, maximæ autoritatis, & existimationis existit; tum etiam quoniam multa in eiusdem explicanda sententia circa librarum, & vnciarum diuersitatem, lucidius à nobis declaranda suo loco, prælibare primum, ac rudi quodam veluti modo delineare, & pro nonnullis alijs recognoscendis autoribus, quasi præmittere, ac præsupponere necessum erat. Nam (vt summatim dicã) paucissimos Aduersarij nobis scriptores opponent; qui cũ Galeni Theriacam ex Andromacho rescribentes, decem libras quoque mellis assumẽdas esse determinent, ita determinẽt, vt constet ipsos libras illas põderales, non autem mensurales esse voluisse: cum tamen omnes ex altera parte, qui mellis copiam, & quantitatem iam enarratam, circiter. s. quatuordecim librarum ponderalium, aut parum quid amplius efficiũt, determinatè demonstrent se intellexisse Galenum (nisi penitus ab Ipso recedere profiteantur, quod admodum certè raro, contingit) libras illas pro mensuralibus accepisse: nempè cum mellis mensura librarum decẽ, aut vnius congij, ponderi circiter librarum quatuordecim correspondeat, vt euidentius, diligentiorique facta computatione suo loco monstrabimus.

2 Sed Syluio nostro relicto, videamus an Fuchxiũ, qui secondo loco succedit, aliqua saltem ex parte, recognoscere valeamus. Hunc sanè vidimus, & in Andromachi senioris describenda Theriaca legimus sumere & ipsum mellis libras decem, quemadmodum Galenus aiebat, sed cum non explicet quas libras intelligat, ponderales nimirum, an mensurales, existimamus, & ipsum eidem subesse modo conditioni, cui dice-

bamus

bamus hucuſque Galenum fuiſſe ſubiectum, vt proinde, quicquid de Galeno ſtatuetur in poſterum, illud idem quoque de Fuchxio (immo verò de reliquis ijs, qui ſolam Theriacæ deſcriptionem ex Galeno trãſcribunt, nec aliquid amplius de melle determinant) iure merito conſtitui poſſit. Veruntamen vbi diligentius eiuſdem autoris nonnulla cõſpicimus non admodum nobis præter rationem fore videtur, exiſtimare Leonardum Fuchxium in hac intelligenda, præfiniendaque mellis quantitate, aut incertum omnino fuiſſe, aut libras illas pro ponderalibus non accepiſſe. Incertum, & ambiguum in huiuſmodi re fuiſſe propterea. (nec ſine ratione) conijcimus, quoniam in ijs annotationibus, & ſimplicium quorundam conſiderationibus, quas poſt medicamentorũ ſingulas compoſitiones addere ſtatim, & apponere, ſolet; vbi de vino, tantum dixerat ſumendum eſſe, quantum pro liquoribus diſſoluendis, & gummi videbatur fuiſſe ſatis; de melle nihil, ne verbum quidem in medium affert: cum tamen in varijs alijs Antidotis triplum mellis nunc abſolutè, nunc autem ad ſpecies (quanquam forſan ſpecierum nomine corpora quæque nonnunquam intelligat, vt in Theriacæ diatheſſaron Ioannis Meſuæ Damaſceni deſcriptione, & eius annotatione colligitur) ſumendum eſſe pręcipiat. Plus verò mellis, quam ſit menſura decem librarum ponderalium intellexiſſe, probabili quadam, & non ſpernenda coniectura puto ex adnotationibus eius in Aurea Alexandrina Nicolai Myrepſij deduci poſſe, dum inquit. *Mellis quod ſatis eſt, triplum verò mellis ſumitur. Quod ſemel, addit, meminiſſe ſufficiat.* Quo fit vt cum illico poſt, Theriacæ compoſitionem apponat; non ita præter rationem mihi videatur aſſerere, cẽſuiſſe Fuchxium Triplum etiam mellis in Theriaces compoſitione ſumi, vſurpariq; poſſe. Cum certo quoq; conſtet eundem non libras ſolum, & vncias, ſed drachmas etiam menſurales conceſſiſſe, & apposuiſſe; Quandoquidem præter multos alios, eſt locus vnus ad hoc ſatis apertus & clarus in ipſo, nimirum, num. 174. dum explicat ecligma Socratis ad rabidos à Nicolao Myrepſio deſcriptum, in quo iubet Nicolaus quartam cotylis partem vini veteris inijciendam. Fuchxius autem hæc ait ad verbum. *Cotyle eſt duplex, Attica nimirum & Italica. Attica habet vncias italicas, hoc eſt cornu libralis, ſeu menſurales nouem. Italica cotyla non eſt niſi libra menſuralis. Quam ſi intellexit Nicolaus; quartam partem eius conſtituent vnciæ menſurales tres. Sin de Attica intelligendus venit Nicolaus, quarta pars pendebit vncias duas menſurales, & drachmas duas.* Veruntamen quidquid ſit de Fuchxio; de quo probabiliter tantum hæc dici poſſe putamus; & & quem (vt fateamur ingenue) potius inter ambiguos, & incertos adhuc

quam

quam inter certos illius opinionis authores, qui decem mellis libras acceptas pro ponderalibus, in Theriaces compoſitione ſuſcipiendas eſſe voluerint, reponi poſſe ſuſpicamur. Quippe qui cum in Aurea Alexandrina tripiũ mellis abſolutè, nulla.ſ.ad ſpecies habita, aut explicata ratione ſumẽdam eſſe docuerit, immo verò (quemadmodum dicebamus) idipſum intelligendum in omnibus alijs(ſub verbis illis, *quod ſemel meminiſſe ſufficiat*)ſignificare voluerit: in Mitridatio Myrepſij poſtmodũ èccontra triplum inquit ad ſpecies inijciendum, & in omnibus addit eãdem proportionem(ſibi non conſtans)ſpecierum, & mellis fore ſeruandam: ac tandem in Theriaca diatheſſaron Meſues ex quatuor illis ſimplicibus, myrrha.ſ. Gentiana, baccis Lauri, ariſtolochiaque rotunda cõfecta, triplum non ſolum ad ſpecies, ſed etiam ad totum (cum in ea.ſ. myrrha quoque contundatur) cum Myrepſio præcipit accipiendum. Adde quod ſi in prǫſcripta ex Andromacho ab ipſo Theriaca ſeruãdus eſſet propoſitus in Mithridatio ſpecierum, & mellis ordo, ſic vt triplum ad ſpecies aſſumeretur; Tunc decem illæ ab eodem propoſitę libræ mellis pro ponderalibus intellectæ, nullo modo ſufficerent; etenim plus quã vndecim ad vniendas ſpecies(vti ſupputando cognoſcitur) requirerentur. Quidquid igitur de Fuchxo ſit, veniamus ad alios.

Quæ cenſeant Rondelletius, Vvecherus, Foehxius, Franciſcus Alexãdrinus, & Bartholameus Maranta conſiderantur vbi nonnulli, reliquis vt ambiguis, & incertis præteritis (ſed vnus potiſsimum Vvecherus) tanquam opinione noſtræ fautores, recognoſcuntur. Cap. V.



REcognito Syluio, nec non de Fuchxio nonnullis adductis, quæ totam ſententiam eius reddunt ambiguam; ſupereſt, vt iam accedamus ad alios examinandos autores ab aduerſarijs nobis oppoſitos; & vt in præſenti capite quinque ſubſequentes, hoc eſt, poſt Syluium, & Fuchxium ſtatim enumeratos, percurramus, & videamus, an inter hos etiam, ex noſtris aliquem recognoſcere valeamus. Ordiamur autem à Rondelletio.

3 Huius ſentẽtiam veluti ex quodam eius Antidotario deſumptam, ab eruditiſſimo Vidua ſuperiori loco, nimirum primo diſputationis illius

ſius capite, noui fuiſſe relatam; cum. ſ. ita ſcribat. *Guliemus Rōdelletius, Ioannes Iacobus Vvecherus, Anutius Foeſius in ſuis Antidotarijs, &c.* Ego verò propterea, quanta potui diligentia ſum vſus, vt librum illius Antidotarij cognoſcerem, quò deinde rectius locum eundem inſpicere, examinareque poſſem: Attamen, quantavis adhibita cura, ſiue cum amicis noſtris profeſſoribus Medicinę, ſiue librarijs, & bibliopolis, nunquam ab eorum aliquo certi quidquam nobis renunciatum, aut explicatum eſt. Scimus Rondelletium in fine libelli de pōderibus Medicamentorum nobilis huius Antidoti compoſitionis caſtigationē polliceri, & aſſerere ſe commodius illam in officina Pharmacopolarum, quam parabat eo tempore, apponere, docereque poſſe. Quanquā paulò etiam ante in eodem capite videatur innuere, ſeparato ſermone, & proprio, vt inquit, opuſculo, exactam caſtigationem eiuſdem, & rectum cōpoſitionis modum ſe traditurum: Vtrum autem hæc aliquando ſiue ſeorſum & ſeparatim, ſiue cum alijs autoris eiuſdem operibus, in lucem prodita, & publica facta fuerint, nos ignorare fatemur; nondumque talia ad manus noſtras perueniſſe libenter aſſerimus (non enim omnia vidimus omnes) Addimus tamen in officina Pharmacopolarum nihil nos ex ijs, quæ ſpectant ad talis Antidoti compoſitionem, ſiue (vt vocat ipſe) caſtigationē, adinueniſſe. Vnde factum etiam facilè fuit, vt in eam ſententiam, quam nobis probabant omnes, adduceremur, & hanc pollicitam à Rondelletio Theriacę caſtigationem, deſiderari, nec in lucem adhuc prodijſſe crederemus. Vt ratam autem & fermè certam opinionem hanc deinceps haberemus, effecit Iouberti diſcipulus, virq; doctiſſimus ille Ioannes Paulus Zangmaiſter in præfatione Pharmacopæę Præceptoris eiuſdem ſui Iouberti. Is enim vbi cathalogum eorum, qui Pharmacopęas ſcripſere, collegit, de Rondelletio ſcribit in eius officina Pharmacopolarum poſſe nonnulla deſiderari, (fortaſſis huic pollicitæ caſtigationi Theriaces alludens) propterea quoniam id opus ſubreptitium, non ab autore recognitum, prodierit in lucem. Hæc excuſationis cuiuſdam gratia dixiſſe placuit, quò liceat nobis ex alio eiuſdem Rondelletij loco ſententiam ipſius circa mellis Theriacæ compoſitionem ingredientis quantitatem, adducere, colligere, ac interpretari. Ego ſanè (niſi mihi alius autoris huius locus afferatur aduerſus) iurarem inter eos Rondelletium enumerari debere, qui bene decem mellis (Galenū imitati) libras, ſufficientem eſſe quantitatem pro ſiccis & aridis corporibus vniendis ab Andromacho in Theriaces cōpoſitione digeſtis, exiſtimauerint; ſed etiam qui libras illas non ponderales, ſed menſurales eſſe cenſuerint. In quam ſententiam facilè veni, dum librum ſuum de

pon-

ponderibus, siue de iusta quantitate & proportione medicamentorum lectitarem. Ibi siquidem, postquam Theriaces compositionem ex Galeno rescripsit, & mellis Attici libras decem assumendas esse constituit, cum multa circa normam, & modum administrationis simplicium eorum, quæ in talis Antidoti compositione sumptitantur, animaduersione digna recensuerit, tandem in fine libri sic ait. *Hic præterea notare oportet herbas pondere mensurari, quia siccæ vsurpantur, item radices, fructus, flores, semina, & lachrymas etiã pondere.* De vino, de melle, nihil. Satis apertum & manifestũ, ni fallor, indiciũ, ipsum existimasse vinũ, & mel mensura, non pondere, in ea Theriaces ex Galeno desumpta descriptione, dimetiri: nã si ponderib. non mẽsuris vini dosis, & mellis in ea, quam ex Andromacho, & Galeno desumpsit, Theriaces compositione, præscriberetur; cur non de melle, non de vino Rõdelletius nos admoneret ea pondere metienda, non mensuris determinanda? cum. s. in ijs dubitari potius, magisque pro ratione possit, quàm in radicibus, fructibus, herbis, aut seminibus? Et quãuis sciam, atq; optimè noscam ponderis pręcautionem adductam, & à Rondelletio tactam eo loci, referri posse, & ad genus aliud siue mensuræ, siue ponderis, contradistingui, quo fructus etiam aliquando, seminave, radices, & herbæ determinari, pręscribique solent; cuiusmodi sunt Aceruus, Manipulus, Fascicu lus, & pugillus; vix tamen adduci possum, vt credam virum hunc præclarissimum adeo in minimis illis fuisse diligentem, ut pondus ad proprias rerum earum mensuras contradistinxerit; in maximis autem ijs, ita deliquisse, vt si putauerit vinum, & mel ponderari, despexerit idipsum nos admonere, quemadmodum commonuit in alijs. Quod tanto minus credendum est, quanto scimus nouisse virum doctissimum hunc, apud Antiquos, præcipue verò Romanos, liquores omnes mensurari, non ponderari, pro maiori parte consueuisse, quemadmodum ipse clare testatur de libra loquens eodem libro cap. 9. dum ait. *Præterea licet olim liquida proprium metiendi modum haberent, libram, quam Mensuralem appellamus, quæ secundum tres dimensiones metitur &c.* Neque verò nobis obijciat aliquis eiusdem Rondelletij verba, 33. cap. sui libri de ponderibus medic. superius etiam à nobis adducta: Quo loci de melle loquens sic habet ad verbum. *Quidam verò contendunt in Antidotis, & confectionibus in libra vna mellis, pulueris vncias duas esse conijciendas, alij vncias tres, alij quatuor, alii quinque vel sex, Galenus septẽ. Sed tres posteriores doses efficatiora, & vehementiora remedia faciunt, prima autem debiliora; media erit tutissima.* Potius enim, immo verò prorsus, hæc verba nostræ, non autem alteri aduersariorum, opinioni,

fauere dicuntur. Cum enim quinque sententias ibi proponat (etenim eos, qui quinque vel sex specierum vncias pro qualibet vna libra mellis accipiendas existimant, sub vno solo membro comprehendit) tres verò dicat posteriores esse reijciendas, quanquam ipsa medicamenta valentiora, vehementioraque faciat, ac primam (quam sub nomine proinde singulari recensens, solam intelligit) abijciendam quoque constituat, quoniam infirma reddit Antidota; mediam verò determinet eligendam esse, quoniam tutissima; nostram eligit, & sententiam hanc oppositam aduersariorum opinioni, commendat, ac laudat, vt pro singula, scilicet, libra mellis, specierũ uncias tres imponamus, & in Antidotorum compositionibus, inijciamus. Quanquam si per mediam, vtrasq; nimirum, & eam quæ tres, & alteram, quæ quatuor præcipit specierum vncias esse commiscendas, intelligeret, & ambas illas assereret esse tutissimas; nihil haberet aduersus nos; cum, scilicet, ambas æquis, & paribus laudibus prosequutus & ipse, significet vanum esse sine vlla ratione, necessitateque ab vna consueta, ad alteram insuetam, & non probatã velle transire. Quemadmodum neque nobis aliquid ea faciunt, quę vir idẽ hic doctissimus subdit inferius, magnam, scilicet, eam quãtitatem in antidotis non esse ponendam, quoniam, oporteat illa vehementia fore, faciliusque sit mel, quàm species, addere. Siquidem non ob aliud ea dixit, nisi vt excluderet primam dosim duarum vnciarum, quæ magnam mellis quantitatem admittit. Iam enim mediam in eisdem antidotis, veluti tutissimam, comprobauerat. Atque tot pro Rondelletij recognitione pro nunc, & vt eum nostræ potius, quam eorum opinioni fauere demonstremus.

4 Sequitur vt Ioannem Iacobum Vvecherum, veluti pręcipuum vnũ è nostris, recognoscamus, & vt eundẽ ab aduersariorum manibus rapiamus. Quem sanè (vt video) Aduersarius noster eruditissimus optabat admodũ inter suos, & eos recensere, qui priori, & à se cõprobatæ sñiæ fauere viderentur; non solum fortè quòd hunc maximi nominis, & autoritatis esse persenserit; sed quoniam ipsum optimè quoque de Venetorum Theriaca sentire dignouerit; quippe qui in multis paratis à se compositorum quorundam medicamentorum descriptionibus, præscriptã, sæpè quantitatem ipsius aliquam, aliquando verò aut illius, aut Alexãdrinæ (quàm, eadem mellis, ac nostra paratur, proportione parari, suo loco monstrabimus) sumendam esse præcipiat. Veruntamen cum agnouerit eum nostrum esse, nec, sine manifesto mendacio, inter suos recenseri posse: maluit experiri, si quiret eundem furtim, & clam è nostrorum cętu subripere: & de mendacio, furtique suspicione potius periclitari,

quam

quam Autorum suorum (vel pro suis acceptorum) Classem, tanti nominis accessione, non illustrare. Cum itaque duo circunferantur Antidotarij huius exemplaria, vetus vnum impressum anno 1574. In quo Vvecherus ad verbum prędictam Galeni ex Andromacho Theriaces compositionem exscripsit, & libras quoque decem mellis apposuit, neque tamen vel quid ipse de tali quantitate sentiret, vel cuius intelligeret ordinis, & rationis eas libras esse, declarauit. Alterum autem ab eodem Autore correctum, ampliatum, & multis locis adauctum, impressum anno 1602. tùm Basileæ, tùm Venetijs etiam, in quo Vvecherus, ore rotundo, & verbis apertis, quàm mellis quantitatem in Theriaces compositione, sumendam approbet, explicauit: Doctissimus Iuuenis, noster arte neglexit, & recusauit, quid in secundo, correctoque Antidotario Vvecherus in præsenti difficultate statuendum esse censuerit, inquirere, & perscrutari, propterea, (vt aliquam saltem, mendacio detecto, excusationem sibi comparare posset) idipsum, se non animaduertisse dissimulans, priori solum innixus, est ausus Vvecherū inter eos recensere, qui suæ opinioni fauentes, affirment decem ad Theriacæ confectionem mellis libras, & eas ponderales, sumendas esse. Ego verò qui vtrunque illius Antidotarium inspexi, & in nouissimo longe plures inueni libras ab eo quàm in primo mellis, pro excipiendis speciebus illis, ab Andromacho seniori præscriptis, assumendas esse iuberi, nulloque modo ipsum sibimet ipsi aduersari, seu repugnare suspicatus; priorem conceptam de libris illis (quod, scilicet, pro mensuralibus accipi possent) huius etiam doctissimi Viri testimonio, & autoritate sententiam, primum apud me confirmaui, deinde verò, vt eandem intrepidè profiteri possem, mirum in modū sum animatus. Hūc enim ego, cū posterioris editionis secundum librum Antidotarij specialis illius inspicerem; in quo plurima quædam exempla Theriacæ recenset, & ex aliorum sententia quoque rescribit, & in his tantum mellis cōuenire docet, quantum illi præscribunt; nam in Theriaca Andromachi à Medicis Romanis & Bononiēsibus correcta, & præparata, in qua circiter triginta simplicia superaddita inueniuntur; mellis inquit apponi duplum: & in Theriaca Andromachi pariter, sed à Bartolomeo Marāta correcta, refert mellis optimi, atq; dulcissimi libras decem esse sumendas, aut quātum sufficit ad incorporanda sicca: in propria, & à se descripta compositione Theriaces ex Andromacho seniori alio modo constituentem, & loquentem inueni: Alta siquidem, & aperta voce, (quanquam apud illos hæc vox fuerit in deserto clamantis.) de melle sic ait. *Mellis despumati libras quatuordecim, vncias quinque, drachmas duas*. Neque ijs

 contentus

contentus, vt nonnullorum recessum à Galeno monstraret, qui mellis amplius adhuc, hoc est, viginti libras accipiebāt, hæc addit. *Galeni ætate plus aromatum admiscebant ad singulas libras mellis, & medicamentum solidius erat, quam nunc fit. Iam enim sumunt libras viginti.* Poterat quæsò ne Vvecherus vlterius aliquid pro nobis afferre? certe non poterat. Cæterum (ne ipse sibi met ipsi repugnet) oportet, sicuti dicebamus, vt in suo primo Antidotario decē illas ex Galeno descriptas mellis libras existimauerit quatuordecim circiter ponderis capere libras, ac proinde pro mensuralibus intellexerit; vel, vt indifferenter, & indeterminate eo loci loquutus, sententiam propriam non explicauerit; quam postmodum, & in editione posteriori sic explicauit, vt purum mendacium sit eum aliter sensisse profiteri; potissimum cum vltimæ nostræ voluntates, (vt leges asserunt) ex vltimis actibus iudicentur.

5 Sed aliqua iam de Foesio quoque dicamus: Quem eodē capite paulò post, eruditissimus Iuuenis asserit vno pariter, quo Rondelletius, & Syluius detinebantur, errore teneri; nimirum, quia textus cuiusdā mēdum neque ipse dignouerit; de qua re postea. Verum (vt aliqua separatim de illo quoq; nūc dicā) vir hic doctissimus sectione secunda suæ Pharmacopeæ rescribit & ipse Theriacā Iunioris Andromachi; exemplum tamen rescriptionis eiusdem in omnibus à præceptore Syluio desumpsit: ea propter in mellis quantitate quoque tum centum quinquaginta Andromachi drachmas, tum decem Galeni libras apposuit; scribit enim & ipse, *drachmas centum quinquaginta, seu libras decem* non autem, *idest, libras decem*. ex quo loco potius apparet incertum, & ambiguum in mellis quantitate determinanda fuisse Foesium; quam certum aliquid constituisse; cum. s. ex vna parte Andromachum viderit centum quinquaginta præscribere drachmas; ex altera verò Galenum decem libras illas determinasse. Quapropter sicuti facile nobis est dicere, sic etiam tutum alijs est credere, voluisse Foesium sententiæ Syluij sui præceptoris potius alludere, quàm firmum aliquid explicitè determinasse; propterea que forsan & ipsum decem illas Galeni libras pro mensurabilibus accepisse.

6 De Francisco autem Alexādrino (vt fatear ingenuè) quid certi dicam, vix habeo. Timorem mihi libri titulus intulit, cuius explicationē, quoque dum inspicio, vereor ne radiorum Apollinis illius splēdore deficiam. Attamen dum illius de Theriaca sententiā lego, subscribere ne, an potius ab eo recedere debeam, ambigo: cum ipse quoque consilium non dum mihi videatur suum explicasse; sed (vti plures alios esse dicebam) incertus potius, & in ancipiti positus circa propriam mellis pro

Theriaca

Theriaca sumendam quantitatem, existat. Quippe qui primo facio eiusdem Apollinis vbi de Theriaca loquitur, ita rutilet, *melle optimo variantur libris decem, & ex Aetio quoque satisfaciunt.* Faciūt enim multa; atque primum hæc vltima verba, *& ex Aetio quoque satisfaciunt,* vt de vera terminataque eius opinione nunc ambigam. Secundo facit ad idem, quòd ibi non explicat cuiusmodi libras intelligat. Tertio, quod in mensura vini quoque videatur anceps, quippe qui cum in adnotationibus dixerit Andromachum Iuniorem oratione soluta mellis Attici drachmas nonigenas sexaginta; vini verò drachmas tricentum viginti præscripsisse; in descriptione verò talis Antidoti scripserit. *Vini Antiqui odorati quantum liquoribus, & gummis dissoluendis satisfecerit sumendum esse,* videtur etiam, vt dicebamus, in vini quantitate determinanda non certus. Adde quarto, quòd si communem illam, circiter. s. librarum quatuordecim, mellis quantitatem non accepisset, mirū esset, quomodo ambitiosus homo, & qui prurigine omnibus contradicendi vexabatur, qui nulli parcit, qui neque Galeno pepercit eo loci, occasionē in eos inuehendi despexerit, qui maiori mellis, in compositione Theriaces, quam ipse putauerit, quantitate sint vsi. Quod tanto magis credendum est, quanto cōstat in descriptione Mithridati incertum eundem in melle determinando se demonstrasse, dum ita scribit. *Mellis mensuram conuenientē Alijs libras nouē, vncias octo, drachmas duas.* Quę sanè dosis triplo respōdet ad totū. Quapropter & hunc inter ambiguos incertosque, non sine ratione, reponere, enumerareque possumus. (Quanquam nihil fortasse referret, ac parū esset si, prodigi potius quā liberales effecti, concederemus hunc illis, & inter suos recenseri posse permitteremus.

7 Maioris sane momenti, & existimationis est autor, qui septimo loco inter hos collocatur, nimirum doctissimus Bartholomeus ille Marāta, qui forte collocandus erat in primo. Cuius autoritas, in vna simplicium medicamentorum dignotione potissimum, maxima semper apud me fuit. Maxima quoque foret in Theriaces compositione, nisi in aliquibus cōsultò, & ex intento recederet à Galeno, forteque ab ipso Andromacho seniori. Cuius cū Galenus elegiacos versus, veluti accommodatissimos ad nobiles illas describendas antidotos summe probauerit, qm̄ vix fieri possit, vt in mensurarū ac ponderū assignatione non carachtherib. sed amplo, & explicato noīe præsignata, error aliquis cōmittatur; Vir hic doctissimus non solū in pondere, mēsuravè, sed in simpliciū quorūdam nomine quoq; in carminibus elegiacis Andromachi senioris aliqua permutari potuisse, immo verò iam actu permutata, vitiataque fuisse disputauit. Quarè si minus apud me fidei, si minoris existimatio-

mationis erit eius autoritas, totum in eam, quam communi Præceptori nostro Galeno debemus, obseruationem, & reuerentiam, referatur. Scio ipsum locis adductis, potissimum verò secundò libro cap. 8. nobis aduersari. Veruntamen, dum attentius rem ipsam expendo, non inuenio sic ipsum nobis aduersum, vt omnino desperem aliquid etiam commodi ex eiusdem doctrina nos esse consequuturos. Quãuis enim primo libro cap. 6. videatur asserere facile sibi videri, & in eam totum sententiam ire, conuenientem mellis quantitatem Andromacho fuisse decem præscriptas illas à Galeno libras: quippe qui putet vniuersam ipsius Theriacæ massam (vt vocat) seu corpus totum ad pondus sexdecim circiter librarum posse ad eiusdem Andromachi mentem præfiniri; ita vt quatuor specierum vnciæ circiter, pro qualibet libra mellis accipiãtur: quo casu validius, inquit, & efficacius reddi medicamẽtum oportet. Video tamen eundem virum, eodem loco ferè, aliam aridorum, siccorumque corporum proportionem considerasse; in qua nimirum pro singulis tribus specierum vncijs libram vnã mellis admisceri posse fatetur. Hæc sunt eius verba, quæ nos, nè seriem orationis permutemus, Latina potiùs, quàm vulgari, & Italica à se cõscripta lingua, referre maluimus. *Duæ hinc circa totum compositum considerationes oriuntur. Prima est, ut in hoc Antidoto mixtionis ea communis, & ab omnibus recepta regula vsu veniat, & obseruetur; vt mel, scilicet, relatum ad pulueres nondum illi commixtos, quadruplicis rationem habeat, & quadrupla proportione mensuretur (nam quoties vnà, simulq; cum pulueribus acciperetur, quintuplam mel relationem, aut habitudinem ad ipsos haberet) nimirum, vt in qualibet libra mellis corporum aridorum vnciæ tres misceantur. Vnde compositum totum mediocris naturæ resultat, videlicet, neque admodum vigorosum, & validum, neq; virtutis inualidæ, ac imbecillis.* Video pariter ipsum altera proposita proportionis consideratione, videlicet, in qua plures specierum, ac pulucrum vnciæ tribus, pro singula mellis libra sumuntur; circa finem eiusdem capitis, vbi nõnulla, quoq; de vino permiscuit, apertè fateri ex duabus considerationibus illis, duobusque modis à se propositis, vtrumque persuaderi, proprijsque rationibus (cum vtrinque non desint) probari posse; proptereaq; num vnus, aut verior, aut tutior, sibique magis ex corde sit, ac altero carior, decernere tũc recusare; cum nequeat ad eorum alterum, sine alterius etiam probatione conuerti. Video quin etiã ipsum cap. 4. libri prioris, vbi cuidam à se propositæ dubitationi de certa vini quãtitate minimè determinãda, respondere conatur, dum sermonis incepti seriẽ cõuertit ad mel, affirmare, & asserere, quoniam ipsum certa corporum aridorũ materia præcipue

pue

pie sit, minime repugnare, aut incõuenire, si certa quantitas eius determinetur, & præscribatur. cum diuturna satis, inquit, experientia cognitum sit quadruplam mellis quantitatem ad specierum pondus, antequã inuicem vniantur, post vnionem autem quintuplam, esse determinandam. Quibus omnibus cum, & alia quædam in alijs librorum eorundẽ adnotata locis, æquo modo respondeant; sufficiat nobis hæc adduxisse solummodo (ne breuis vna disputatio tot aliorum transcriptis verbis in volumen abeat) quò tandem ex ijs, quæ à doctissimo viro passim locis adductis, tradita sunt, colligamus non ita nobis in eo libro circa mellis quantitatem pro recta compositione Theriaces illũ aduersari, quin etiam multa pro nobis affirmet, & liberè fateatur experientia certa comprobatum esse quadruplam mellis proportionem illam ad species, secũdum se ipsas impermixtim acceptas, optimam esse, & reprobari nullo modo posse, Quod idem est, ac si dicat, in singulis tribus specierũ vncijs libram mellis admiscendam, seu pro perfecta vtrorunque mixtione sumendam esse. Quemadmodum ipse se ipsum non semel, & in vno loco, sed sæpius, & multis alijs in locis, explicasse videtur.

De Romanis, & Bononiensibus Medicis, de Florentinis de Bergomensibus. Vbi Collegium Bergomense nostræ potius, quàm oppositæ sententiæ fauere demonstratur. Cap. VI.



SEquuntur quatuor Medicorum Collegia ab eruditissimo Iuuene pro suæ opinionis confirmatione nuncupata, Romanum, scilicet, Bononiense, Florentinum, & Bergomẽse. Quod igitur spectat ad Medicos Romanos, & Bononienses, fateri fas est decem & illos mellis assumendas esse libras determinasse; quemadmodũ omnes, qui solis descriptionibus, nullis additis animaduersionibus, nullis adnotationibus, Antidotaria sua confecere, aut aliunde mutuati sunt. Quare cum præclarissimorum quoque virorum horum Antidotaria, non alia parata ratione sint, proindeque & ipsi Andromachi senioris ex Galeno Theriaces compositionem ex toto rescripserint, non mirum, si decem libras ij quoque mellis, nõ alias alteras quàm Galeni sumentes, & intelligentes, apposuerunt. Quæ tamen libræ num ponderales, an mensurales existant, vsquequò clarius eorum sententia manife-

stetur

statur, nos eadem ratione, qua, de Galeno loquentes, dubitari posse dicebamus, in ijs etiam intelligendis ambigendum esse, neque ex eorum Antidotarijs certi quidquam haberi posse, cõfirmabimus. Quemadmodum etiam, num, vt in ipsis descriptum est, Theriaces compositionem nuuc temporis moliantur, statutas libras illas accipientes, affirmare nõ audemus: cum Vvecherum audierimus correctam ab vtrisque Theriacam, eam esse constituentem, in qua triginta circiter addita, & superimposita simplicia conspiciuntur: Quam etiam, loco superius à nobis adducto, rescripsit. Veruntamen vtcunque sit, ad alios iam veniamus.

10 Sequuntur hos Medici Florentini; de quibus quid dicam? Tria mihi sunt illorum Antidotaria. Quorum vnum, ni fallor, est illud, cuius meminit Iuuenis eruditissimus sub vnius receptarij nomine impressi Venetijs à Valgrisio, dum quartæ constitutæ ab eodem eo loco sententiæ, recenset autores. Qui. s. ad quadruplum omnium pondus, vel libras circiter viginti sumendas esse mellis existimarunt. In quo (lingua tamen Italica, vulgariq́ue, vt inquiunt, mandato typis) ita sanè de melle scriptum inuenio. *Mellis despumati libras decem.* Quibus verbis hęc statim adduntur. *Galeni tempore plus aromatum admiscebant ad singulas libras mellis, & medicamentum solidius reddebatur, quàm modo fit. Sumantur mellis libræ viginti.* Alterũ est à viro doctissimo Carolo Clusio ex Italico sermone latinitate donatũ; immo verò & ab ipso summè probatum. In quo pariter eadem mellis præscripta quantitas reperitur, & eadem verba subaddita, atque statim adnotata leguntur. Tertium recentius est, Italoq́ue sermone confectum, quo posteriori, priori fortè (quanquam in paucissimis hæc omnia differant) derelicto, sunt vsi postmodum, & ad hæc vsque tempora, ni fallor, vtuntur. In eo tota pariter ipsius Theriaces descriptio talis, qualis in alijs, pręter vltima illa addita verba, *Galeni tempore plus aromatum assumebãt, &c.* reperitur. Quo fit, vt ex ijs omnibus verè colligam illos etiam Theriaces ex Galeno compositionem rescripsisse; forte verò, nec ea vti; (cum in duobus prioribus illis dixerint Antidotarijs, aliter nunc parari solere, quàm ætate Galeni pararetur) atque illos ad opus hoc non viginti, sed quatuordecim circiter, nobiscum libras mellis assumere. Neque sola eiusmodi coniectura, quæ sanè leuis esset, ad hoc (vsquedum tamen certior efficiar) existimãdum, & credendum adducor: sed ex præscripta in eodem, posterioriq́ue Antidotario generali rubrica, communique tum electuarijs omnibus, tum magnis Antidotis; in qua. s. ita scribunt. *Aromatũ quantitas inspergenda plerunque in ipsa cõpositione reperitur expressa. Quòd si expressa non sit, & simpliciter additum fuerit, mellis, aut sacchari quantum satis*

tis est: unciæ tres aromatũ in singulas sacchari, aut mellis libras sumendæ erunt; & in electarijs gustui iucũdis unciæ duæ. Neque verò dicendũ est, Theriacam sub electarijs illis duplici nomine non contineri, tum. s. quoniam mellis quantitas in ea præscribatur; tum etiam ob id, quoniã magna, & nobilia eiusmodi Antidota, sua dignitate, seiungãtur ab alijs, & cum illis enumerari non soleant. Nam, quatenus attinere videtur ad primum, dicimus nos ab Andromacho seniori, cuius Theriaces compositionem imitamur, parareq; profitemur, mellis quãtitatẽ nõ præfiniri: quãdoquidẽ ipse mellis, dicit, assumendũ. *quod satis est:* Fortè verò nec à Iuniori (de qua re suo loco) postremò neq; à Galeno: quippe qui, quãq̃ decem libras dixerit mellis accipiendas: quoniam tamen & ipse prius dixerat; *quod satis est*; neque admodum clarè nobis significauerat cuiusne generis illæ forent, mensurales ne, an ponderales, accipitur mellis quantitas in magnarum earum Antidotorũ compositione veluti indeterminata. Quæ sanè si ab autoribus intelligeretur, veluti à Galeno pręcise præscripta, communis vtique, & vna sola, vel omnium, vel potiorũ saltem eorum, sentẽtia foret in mellis, pro Theriacæ compositione, quãtitate determinanda. Addamus ijs, quod cum idem, ac par iudicium de Mithridatica cõfectione, ac de Theriaca sit (ob quod à Collegio nostro mandatum est duobus viris illis excellẽtissimis, vt vnius, & alterius antidoti in mellis inuenienda quãtitate rationem haberent) In Mithridato verò mel ipsum non determinetur, sed quantum satis est assumi Damocrates, & Galenus apertè nos doceant; sequitur, vt in eo specierum vnciæ tres ex Antidotario Florentino, præclarissimorumque Medicorum illorum iussu, pro mellis singula libra sumendæ sint. Quod ipsum in Theriaca pari modo seruandum, & agendum erit. Quod autem spectat ad alterum; non excipi Theriacã eo loci demonstrant antecedentia, & consequentia verba, dum primo. s. Patres illi sic inquiunt. *electariorũ, quæ Græcis Antidota appellantur, multæ sunt differentiæ. Nos verò in electaria gustatu grata, & iucunda diuidemus; in electaria amara, & ingrata; in electuaria purgantia, & laxantia, in Theriacas, & electaria opium accipientia; quæ omnia secundum hunc ordinem suo loco describemus.* Hæc illi. Qui deinde, vt ostendant, se sub regulis, & rubricis illis vniuersalibus etiam hæc eadem antidota fuisse complexos, de tempore, quo eiusmodi electaria conseruantur, & permanent in suo vigore loquentes, de Theriaca quoque loquuntur, dum ita scribunt. *Theriaca ad vigesimum annum durat, &c.* Quare non est, vt Medicos Florentinos adhuc inter fautores alterius opinionis ita fiduciter reponamus, & enumeremus.


11 Sed quæso iam accedamus ad Bergomenses. Scribit vir doctissimus, & eruditissimus vndecimo loco sibi suffragari Collegium Bergomense Latinum, non aũt aliud, quod Italico sermone multis in locis deprauatũ, ad manus quorundã delatũ est. Sed forte pręstat eiusdẽ verba referre. *& Bergomenses*, inquit in eodem capite, *in Antidotario Latino idiomate impresso, quod verum Bergomensis Medicorum Collegij est Antidotarium. Inuenitur enim aliud ab Aromatario quodam è Latino in Italicum sermonem cõuersum, & quibusdam in locis deprauatum, vt in Theriaces descriptione vbi de Melle loquitur.* Hæc ille. Sed quæsò videamus, an ita sit. Hæc sunt Bergomensis Antidotarij latino idiomate impressi, in eadẽ ciuitate, editione secũda sub anno 1581. formalia verba. *Theriacæ Andromachi Senioris Galene seu tranquillitas vocata, ex Galeno. Recipe trocisсorum Scilliticorũ drachmas quadraginta octo.* Sequũtur autem & reliqua, ab omnibus communi quodam ordine ex Galeni, & Andromachi senioris descriptione desumpta. Quibus enumeratis, & secũdum proprias classes appositis, & distributis, de melle statim eiusmodi verba leguntur. *Mellis Attici recentis, vel alterius optimi dulcissimi, acerrimi, & odoratissimi drachmas noningenta, & sexaginta, seu libræ decem.* Hactenus quidem habemus ipsum Bergomẽse Collegium prædictam ad vnguem Galeni ex Andromacho Theriacæ compositionem rescripsisse; neque potuisse nisi decem pro quantitate specierum ibi rescripta, mellis Attici, vel alterius, libras apposuisse. Quod totum, etiam ad vnguẽ in vulgari, siue Italico post hoc impresso sermone, rescribitur. Cęterum Iuuenis eruditissimus id, quod Bergomense Collegium nondum explicauerat, & indeterminatè produxerat, posthabitis adnotationibus eiusdem Collegij, statim, & incõsultò produxit, & explicauit, decem videlicet libras illas ponderales esse: forte quoniam colliguntur ex numero drachmarum noningẽtarum, & sexaginta; nam eæ reducuntur ad vncias centum, & viginti, quæ decẽ põderales libras efficiunt: atque sic præclarissimorum virorum Collegium illud existimat intellexisse. Sed dicam ego. Qui scit, aut Quis adhuc perfecte dignouit, an celebre Collegium illud pro drachmis etiam, & ex cõsequenti pro libris, ponderales, vel mensurales assumpserit, aut intellexerit? Profectò nullus, nisi diligentius ea, quæ ab ipsis præclarissimis viris adducuntur, inspiciat, & accurate consideret: Non dum enim Collegium, se declarauerat. Neque sufficiens ex drachmarum numero coniectura desumitur: Quando constet (quidquid sit de Galeno de quo suo loco) Bergonense Collegium non solum libras, & vncias, sed drachmas etiam, & scriptula mensuralia nouisse, considerasse, concessisse, &

com-

communi quodam fere consensu receperit; quemadmodum in ponderum, ac mensurarum explicatione ex veterum tam Græcorum, quam Romanorum, & Arabum, necnon etiam Neotericorum probatiorum traditione, desumpta, & in calce eiusdē apposita libri, conspicitur. Quod vno tantum, aut altero transcripto loco probare non erit (ad aliquorum duritiem cordis emolliendam) fortassis ab re. Pagina 458. dum ad minores liquidorū mēsuras exponendas Collegiū illud accedit, de Mistro, seu Chema parua Paul. sic ait. *Cyathi semis, seu mē surales drachmæ sex, & semis, & semiscriptulum.* De semiuncia verò mensurali sic ait. *Semiuncia mensuralis liquidorum drachmæ quatuor.* De Ligula verò, & Cochleari columellæ sic. *Liquidorum, & Aridorum mensurales drachmæ tres, & scriptulum.* Cum itaque mi Dilectissime, (vt iterum veniam ad te) Bergomense Collegium non explicauerit adhuc, quas drachmas, quasve libras intellexisse, in ea pura Theriaces Galeni ex Andromacho rescriptione, voluerit; non est, vt eius testimonio, & autoritate coneris sententiæ tuæ probabilitatem ostendere. Verumtamen audio, quid illico mihi responsurus es. Primo dices in altera, priorique Antidotarij Bergomensis æditione talia te non legisse: posterioremque ad manus tuas forte non peruenisse, excusationis alicuius gratia, dissimulabis. Secundò verò subaddes neque etiam nos eiusdem Collegij testimonio, & autoritate, posse sententiam nostram aliqua ex parte munire. Sed primum, tanto Iuuene indignum est. Vt enim nihil nobis cū prima editione, in qua nihil certi Collegium explicauerat; cum se postmodum in secunda declaret; & posteriores actiones (vt dicebamus) eę sint, quæ semper pro voluntatibus vltimis accipiūtur: Ita non est, vt tu, qui Antidotarium illud Italicū ex latino redditum inspexisti, dissimules te credidisse non aliam, quam primam editionem illam adinueniri. Quippe qui, cum rectè noueris multa, quæ in vulgari traductione legebantur, non ijs è directò respondere, quę in priori editione latina continebantur; suspicari saltem, & vereri debebas, aliud esse vulgaris, & Italicæ illius traductionis exemplar: cum vix credendum sit clarissimorum virorum illorum Collegium vnquam pati potuisse, vt aliter quam ab illo sancitū fuerit in decretione latina, ab aliquo (quisquis ille sit) traductore vulgari, aut Italico sermone referatur. Quod autem secundo loco te responsurum agnoueram, falsum esse nunc audi. Collegium idem eodem loco ferè sic in adnotationibus habet. *Damocrates, Paulus, & Aetius mellis habent libras decem; quarum pondus (si de mensuralibus intelligatur) ad quindecim ascendet libras, quæ triplam ad totū proportionem paulisper excedunt. Quomodo confecta antidotus, vt paulo imbe*

 cillior

... temporis tractu minus siccitati obnoxia fuerit; neque ad siccitatem auferendam mel addere oportuerit, vt quandoque Galenus consuluit. Hæc eadem verba in Antidotario è Latino in Italicum sermonem conuerso, non ab Aromatario, sed à præclarissimo viro artiũ & Medicinæ doctore, iamque (vt audio) doctoratus insignibus in hoc almo nostro Collegio decorato, scripta, & ad vnguem transcripta legũtur. Cuius viri doctissimi patrocinium suscipere, superfluum esse (cum viuat adhuc, nec aliorum opere egeat) existimans, iterum ad eiusdem Collegij verba me confero. Quæ satis, ni fallor, ostendunt Sapientissimos viros illos fauere potius opinioni nostræ, quàm secus, & decẽ Galeni libras pro mensuralib. accipi posse censuisse, forteq;, & ipsos vt sic accepisse: Quia tunc non opus erit, inquiunt, ad siccitatẽ auferendam mellis aliquid addidisse. Neque verò perturbent nos eorum consequentia verba, dum inquiunt Antidotum paulo imbecilliorem euadere. Quia certum est, & nullus ignorat, quòd, vbi in minori mellis quantitate plus specierum ingreditur, medicamentum validius redditur, quàm vbi in maiori minus specierum assumitur. Validius, inquam, si tota vtriusque medicamenti massa consideretur, & inuicem conferatur; aut vnius, & eiusdem quantitas eadem accipiatur: nam si paulisper illius, in quo minor specierum dosis assumitur, quantitas augeatur, validum æque medicamẽtum efficietur, vt quod eandem specierum copiã, & multitudinem, in quibus virtus Antidoti tota residet, proportione contineat, quã etiã alterum cõplectebatur. Quapropter cum eiusmodi imbecillitas (vt illi quoq; præclarissimi viri dicebant) modica sit; facilè, paulò eiusdem medicamẽti maiori portione sumpta, corrigitur, & emẽdatur. Sed quid dico sumpta maiori paulò corrigitur? Sumpta consueta, iamque per tot annos, experientia duce, ab omnibus approbata, talis Antidoti dosi, si quæ sit eius modica (eo modo considerata, dũ. s. cõparatur ad alterum maiori specierum quantitate paratum) infirmitas, & imbecillitas, sublata iã, & ex vsu cognoscitur emendata. Quam fortè, si validiori nunc specierum ad singulas mellis libras incremento, & additione pararetur Antidotus, immutare necessum esset. Quod, etiam si nobis, & omnibus in arte peritis efficere non foret arduũ, in ijs tamen, qui sine Medicorum consilio, & ex vsu potius antidotum hanc assumere consueuerunt; non sine vel mortis, vel morbi periculo præstari posset.



Quatuor

Quatuor vltimi, ex quindecim enumeratis ab aduersarijs autoribus, considerantur. Vbi vera Siluatici opinio explicatur, & approbatur. Cap. VII.



SVperſunt, ex quindecim illis ab aduerſarijs enumeratis autoribus, quatuor vltimi conſiderandi, nimirum, Caleſtanus, Spinellus, Oddus, & poſtremo Siluaticus. Primus igitur inter hos, inter omnes verò duodecimus, teſtis adductus pro prioris opinionis confirmatione, Hieronymus eſt Caleſtanus, vir ſanè non ignarus, ſed cuius me parum mouet autoritas, quippe quem nec fuiſſe Medicum habeam, nec niſi experiētia quadam talia ſe dignouiſſe profiteri, non ignorem. Verum in hoc, tot Aromatariorum Venetorum numero; tot peritis artificibus in hac arte potius, quàm vni Caleſtano, credidiſſe pręſtat; qui longa ſatis obſeruatione, & experientia norunt tutius eſſe non maiorem aromatum, ſiue puluerum quantitatem pro ſingula mellis ponderali libra, quam trium vnciarum aſſumere; quoniam (vt etiam ab alijs fide dignis relatum eſt) tēporis tractu ſolidius euadit Antidotum, cui mellis poſtmodum aliquid commiſceri neceſſum eſt. Quod ſanè, præter id quod inualidius reddit ipſum Antidotum (vti Damocrates vltimis verſibus ijs in ſuæ Theriaces deſcriptione cecinerat) ex Andernachi verſione.

Da potioni, nec recens factum nimis,
Nec rurſus medicamentum, quod pararuit,
Sin longiori hoc fuerit ſpacio temporis,
Subferuefacito rurſus addens paululum
Mellis, ſimulque abunde temporis terens,
Tandemque habebis vtile, quod valuit nihil
Sed inferius eo, quod miſcueris ſemel.

Pręter id, inquam, alia quoque parit incommoda, & occaſionem impijs hominibus affert in totum genus humanum (apparenti quadam excuſatione) peccandi.

13 Sequitur, & poſt Caleſtanum affertur autoritas, & teſtimonium Ioannis Pauli cuiuſdam ex Spinellis, de quo pauca loquar, cum pauca mihi cum illo ſint. Vix hominem noui, ſed credo doctiſſimum; aureas lectiones eius amplector, diligentiam commendo, laudo Theriacen; ſuſpicio virum, cui nulla ſint ignota ſimplicia, vel non inuentu facilia, ex ijs, quæ ad huiuſmodi Antidoti compoſitionem ręquiruntur. Qui

proinde

[illegible] vtatur, vera, propria, legitimaque cuncta poſſideat; Falernum ſeruet Mel Atticum habeat, & recta mellis ac vini mēſura, ſeu pondere, ſemper vtatur. Quæ tamen nos eatenus, vt vera recipimus, quatenus vera ſunt, & vt ab alijs (qui pauci ſunt, forteque nullus) vera creduntur. Hunc itaque nos, inter noſtros ob id non reponendum, tibi pro certo, veroque ſententiæ tuæ fautore, coautoreque ſpōte concedimus, & vnà cū ſuperiori cōdonamus. Addimus tñ, tantū abeſſe, vt huius monitis, & autoritate, celeberrimū Collegiū noſtrū ad aliquid innouandū perſuaderi, quin potius ad veterem, & iam cōfirmatam cōſuetudinem approbandam, accendi, inflammarique debeat: Tum quia maiorū noſtrorū, & Patrum autoritas, exiſtimatio, & dignitas, denigrāda nō eſt; quos impiū ſanè foret aſſerere, aut opinari vel modicū, in medicamentorū componendorū rōne fuiſſe verſatos; vel adeo cęcos, & parū accuratos extitiſſe, vt quāta mellis quātitate, copiaq; tūc ẽt in cōponēda Theriaca ad ſingulas ſpecierū vncias Veneti ſeplaſiarij debuerint vti, non nouerint. Cum non in tenebris, aut in occulto, non furtim vnquam, ſed pa lam, publice, ſolemniterque, nec non maiori, quàm modo fiat apparatu, primis temporibus componi conſueuerit: & iam aliàs in noſtri Collegij monumentis appareat ab aliquibus dubitatum etiam de tali, cōuenientiue quantitate mellis pro vtriuſque Antidoti compoſitione quandoque fuiſse; neque tamen aliquid innouatum. Extat enim præcipua inter cœteras huiuſce rei memoria in actibus admodum illuſtris Equitis, & excellentiſſimi viri D. D. Thomę Philologi Rauenas in libro (ni fallor) E. pag. 116. dum ipſe Collegij Pręſes ſeu Prior (vt inquiunt) creatus à Patribus ad Theriaces compoſitionem vnà cum ſuis conſiliarijs vocatus, adeſset anno 1565. ad Theriaces, inquam, ab Aromatario ad inſignia Medici compoſitionem efficiendam, & præparandam. In qua præter alia, quæ vir doctiſſimus diligenter obſeruanda, ne fraus committeretur, & animaduertenda fore docuerat, illud vnum vltimo loco his ferè verbis formalibus notatum reliquit. *Quinto proſpiciendum perquiſitius eſt, vt pro qualibet libra mellis tres ſpecierum vnciæ (poſthabitis gummis, & liquabilibus alijs,) accipiantur.* Vt proinde noſtros maiores, & Patres in hoc excuſare, ſit eos accuſare. Tum etiam quia, ſi pręclariſſimum Collegium noſtrum aliquid in eiuſmodi cōtrouerſia noui ſtatueret, quod ad illius aures eſſet, ac ſi ſententiam eius approbaſſe videretur; vnius hominis ignoti ferè, ſibique nimium arrogātis, minus honeſte de tanto Collegio loquentis, caſtigationes indecenter admitteret, & occaſionē, ac anſam tā petulāti viro præberet (ſi viuit adhuc) vt iterū, & audacius in idem Collegium peccare nō vereretur.

Doctiſ-

celeberrimumque doctissimorum Philosophorum, & Medicorum Collegium Patauinum vtique magnifacimus; & nullum maius existimamus pro prioris, & oppositæ nobis opinionis comprobatione, quam tot excellentissimorum virorum testimonium, adduci posse. Veruntamen vti scimus, & nouimus eos certam vini, mellisque copiam pro Theriaca conficienda determinasse, rigoroseque nimis, duas drachmas à duobus vini sextarijs, & quadraginta quatuor itidem drachmas à decem mellis decocti, vel despumati libris ademisse; atque genus id talẽ Antidotum conficiendi, modum hunc parandi Theriacam, aliquando experimento subiicere voluisse, duplumque mellis ad vnguem assumendum esse statuisse. Ita nescimus, an modò, præscripta vini, mellisque copia in conficienda Theriaca Myropolę Patauini coutãtur. Quando vini Falerni defectu, tanta nostri maluatici dosis apud omnes suspecta fit: & experimento sensato, iam apud aliquos constiterit sine vini quantitate præscripta, decem libris põderalibus mellis assumptis, totam illius Antidoti hunc in modum confecti, massam, processu temporis, puta trium circiter, vel quatuor annorum, valde siccari; sic, vt ad propriũ incremẽtum, (quod spatio fit annorum plurium, si Galeno credimus) consistẽtia, vt oportet, vix permutata, peruenire nullo modo possit.

15 Superest vltimo loco Lumen ætatis nostræ Ioannes Baptista Siluaticus recognoscendus. Hunc sanè Iuuenis noster eruditissimus inter suos postremum enumerat, formalibus ijsque recenset. *Ioannes Baptista Siluaticus lib. 1. cap. 16. & si certam quãtitatem statuere non videatur, sed sufficientem tantummodo suscipiendam esse profiteatur: hanc nihilominus sufficientem quantitatem, vel libris decem proximam, vel ipsas libras decem determinare videtur, ex rationibus, quibus opinionem suam confirmare nititur, inquit enim. Confirmant hanc nostram assertionem vel maximè Aetius, qui dixit Mellis libras decem, aut quod satis est. Galenus item libro de Theriaca ad Pisonem cap. 14. sic loquutus est. Postea cum liquidis sicca admiscueris, Mellis quantum satis esse videtur infundes; satis autẽ esse videntur libræ decẽ. Ex quibus verbis patet ipsum, & si certã, quantitatem præscribere nolit, parum tamen aut nihil à decem libris discedere.* Hæc ille. Nos autẽ longè diuerse doctissimi viri Siluatici sententiam legimus, ac interpretamur. Et sicuti certo scimus eum non ob aliud arbitrari non esse necessum, vt certa mellis quantitas pro Theriaca determinetur, nisi quia mel ad cõsistentiam compositioni tribuendum (vt inquit) ad eandem conseruandam, & ad medicamẽta omnia probe vnienda soleat imponi: & in ijs medicamentis, in quibus

concurrit, & vsurpatur, non ita præcise; nec adeo strictè quãtitas eius decerni debeat, quin ea multis de causis possit paulo minus, plusve adaugeri, & imminui. Ita non facile ad id credendum adducimur, vt cum aduersarijs existimare debeamus id paulò minus, plusve adaugeri, & imminui ab illo propositum, recessum ita modicum significare Siluatico, vt solum paucam vnciarum quarundam, earumque non multarum, diuersitatem in se contineat, & claudat: cum certè possint sub illo quoque recesu librarum pondera quædam intelligi, & contineri: proindeque decem, & duodecim, & plures etiam mellis libras asumere pro Theriaces compositione, apud ipsum nullo modo repugnet. Atque id non solum, quoniam rationes è quibus eruditissimus Iuuenis noster sententiam eius ad sensum hunc redigendam, & explicandam esse colligebat, nullo modo cõcludunt. Verum etiam ob alias prętermisas ab Aduersario nostro rationes, quib. eo capite seniam suã cõprobare Siluaticus, & corroborare pari modo conatur; ac ob alias etiã à nobis ex eisdem locis, & Siluatici verbis, æqua lance deductas. Nam quòd rationes, ex quibus doctissimus Iuuenis ita sententiam eius intelligendam esse colligebat, inualidæ sint; nos, ab ipsa rei natura ratiocinatione desumpta, sic demonstramus. Et quatenus ad Aetium attinet, Quem constat ex opinione Siluatici mellis quantitatem non determinasse, cum dixerit, *libras decem, aut quod satis est.* Arbitramur vnicuique patere (cum id ipsa rei natura ratioque doceat) in dubium reuocari nullo modo posse, quoties vnicuique, semper, & in omni loco decem illæ propositæ ab Aetio libræ sufficerẽt; vanum, atque superfluum omnino fuisse illud addere *vel quod satis est*, vbi verò non satis essent, sed longè plures exigerentur, ex hac Aetij autoritate non esse nobis aliqua ratione vetitum, vt quod satis est, nempè quatuordecim etiam libras si fuerit opus, ab eiusdem autoris scopo non recedentes, assumere pari modo valeamus. Nam si, *satis*, illud, ad libras circiter decem determinatę referri, & eius nomine significari constitueretur; non benè Siluaticus assertionem suam (vt clarius ex eiusdem opinionis explicatione constabit inferius) ex hac Aetij autoritate, testimonioque confirmaret. Quẽadmodum neque ex altero eo Galeni loco de Theriaca ad Pisonem, sic intellecto, eius assertio confirmationem, aut robur aliquod habere posset. Nam quæsò, Quis, vbi Galenus affirmet, & asserat tãtum mellis sumendum esse, quantum est satis, deinde verò determinet illud, *satis*, ad libras decem, ex eius autoritate sic intellecta, deducet indeterminatam mellis quantitatem ab ipso proponi sic, vt imminui & augeri possit, siue multa, siue modica fieri debeat adauctio? Nullus profectò. Quapropter

pter

pter non sic oportet existimare Syluaticum virum doctissimum & oculatissimum Galeni sententiam accepisse & intellexisse, dum ex ea putat se propriam assertionẽ confirmare posse; sed ita potius interpretari voluisse, quasi Galenus etiam indeterminatè loquatur, & asserat, tantum in conficienda Theriaca mellis esse sumendum, quantum perito cõpositori, & artifici sat esse videatur. Quod varia tamen eius intentione, variari, diminui, s. & augeri potest, prout maiorem, minorẽve tali consistẽtiã Antidoto prębere cupit; vel prout etiã forte sub alia, & alia regione, cælique statu illius compositionem est egressurus, maiorive, seu minori vini copia quoque in eiusdem apparatu fuerit vsurus, aut quatenus tãdẽ delicatius, & gratius Antidotũ est paraturus: Cum tamen decem illæ Galeno libræ sufficerent, vt eo loco, & eo tempore, talique modo paratum Antidotum idem conficere posset. Patet autem sic & Aetij, & Galeni intellectas autoritates (vt, scilicet, illud, *quod satis est*, veluti distinctum à decem libris accipiatur) assertionem Siluatici confirmare quidem corroborareque posse; recessum autem à pondere librarum decem (quoties tamen Siluatico pro ponderalib. acciperentur) quid indeterminatum, ac proinde non modicum, sed effatu dignum aliquod includere, ac præseferre. Rem hanc se se hunc in modum habere, atque ita potius isthanc Siluatici de mellis indeterminata quantitate sententiam, explicandam esse, quàm vt aduersarij nostri constituebant, rationes aliæ quibus vlterius eo loci doctissimus vir propriam assertionem adhuc confirmare conatur, ab illis consultò forte non tactæ, demonstrant. Quarum vna colligitur ex verbis illis, dum ita loquitur. *confirmant hoc idem innumera ferè medicamenta recensitis de causis mel excipientia, nulla eius seruata ponderis quantitate determinata.* ex ijs enim facile potest vnusquisque deducere qualis eius in hoc assertio fuerit, & quomodo veniat explicanda. Nam siue de vno particulari, & eodem medicamento vario modo, quod spectat ad mellis quantitatem, effecto, ac à pluribus varia quadam eiusdem copia confecto, & ad seipsum relato, sit sermo; siue de pluribus medicamentis collatis inuicem, non eandem mellis quantitatem accipientibus, Siluatici verba veniant intelligenda; constat differẽtiam hanc, & id plus, minusve augeri, & imminui posse, ab autore propositum, non circa modicam mellis quantitatem attendi, sed circa longè maiorem, quàm Iuuenis eruditissimus opinabatur. Nam si de vno solo, pro varia cõponentis intentione plus minusve mellis assumente, medicamento, loquamur; Quæsò qui nescit apud peritos Artifices atque plurimos, forteque probatiores, Pharmacopæarũ scriptores, communem regulam illam acceptam esse, si sit validius, & efficacius medica-

mentum efficiendum,& à compositore parandum, tres esse specierũ vncias ad singulas mellis libras inijciendas, sin verò gratius,& delicatius, tantummodo binas esse sumendas? Iam verò constat tunc mellis hanc differentiam non esse modicam, sed effatu dignam;& eam fortasse respicere, de qua iam instituta, & incepta hæc inter nos altercatio fuisse videtur. Sin autem varia medicaměta, quæ variè apud autores parari solent,& multi generis, ac rationis existunt, variã quoq; mellis quantitatě accipiětia sumãtur: Quæso, Quis ambiget tãtũdě,& fortè quoq; longè maiorem, circa mellis eiusmodi quantitatě, differentiam in ipsis adinueniri, notari, præscribique posse? cum sint inter illa, quæ mellis duplum, alia verò, quæ triplum, & quadruplum etiam eius admittunt? Confirmant hanc nostram Siluatici mentis explicationem,& intelligětiam, altera ab eodem adducta, priorique loco subaddita ratio, dum inquit. *Adde, quòd, si Theriaca těporis processu nimium exsiccata mel adhuc adÿci potest, vt reformetur eius consistentia; iam non est vt de mellis quantitate adeo solicili simus.* Patet autem additionem mellis ad cõsistentiam hanc reformandam, non modicam esse. Quæ proinde si, ne progressu temporis exsiccaretur Antidotus, per initia compositionis illius decě libris illis (quemadmodũ addi posse videtur sub verbis illis innuisse Siluaticus) adderetur nõ certe modicum, aut vnciarũ quarundã, accessum ad eas decě effici libras, sed valde magnũ, necessum esset; vt norunt ij, qui talia quãdoq; (sed vtinam instante solũ necessitate) pararũt. Quę sanè cuncta multo magis adhuc ex ijs, quæ per totã partě & seriem Sermonis illius, quem circa mellis quantitatem, vt eam pro conficiendæ Theriaca non determinatam esse demonstret, Siluaticus habet, confirmari possunt. Is enim, vbi talis ab eo,& ab alijs quoque, propositæ difficultatis, rationem illam induxit; quòd apud veteres varia,& inconstans mellis quantitas inueniatur assumpta: quãdoquidem cum senior Andromachus, cui cũcta in Theriaces compositione, Galeno teste, sũt referěda,& eum insequuti Damocrates in prima descriptione, & Auicěnas in tertia, nec non & alij plerique, nullam ipsius quãtitatem reuera determinent: Iunior tamen Andromachus drachmas centum, & sexaginta mellis assumpsit. Damocrates Galenus,& alij decem libras instituendas,& accipiendas esse voluerunt; Nicolaus verò Myrepsius tãtummodo sex; ac aliam alij quantitatem eius præfinierunt; vt non sit præter rationem ob id, ac sine causa talis proposita ab ipso, & inducta iam dubitatio. Is, inquam, huius, cum deinde solutionem,& veterũ scriptorum omnium Concilium in eo totum positum esse voluerit, quod mellis indeterminata sit quãtitas, & nihil intersit plus ne vel minus acipia-

cipiatur, vt illi cœterique sumplere; satis ostendit id plus, & minus apud eum esse; non modicum, putat drachmarum, & vnciarum quarundam, sed longe multo maiorem, ac plurium quoque librarum, recessum à decem: cum, scilicet, ne dum recentiores, sed etiam veteres illi Medicinæ scriptores in ea mellis quantitate valde dissentiant, &(sicuti facta inter cētum sexaginta nouem Andromachi drachmas, libras decem Galeni, sexq; Myrepsij propositas à Siluatico, proportione comparationeq́ue patet) in plurium librarum pondere, mensuraq́ue differant. Quapropter iam colligamus existimasse Siluaticum certam nō esse mellis quātitatem pro theriaces compositione constituendam, neque ita determinandam, quin ea possit pro varia componentis intētione mutari, videlicet vsque ad certum gradum augeri, & imminui, neque decē pro scopo libras ita sibi proposuisse, vt parum ab illis recedendum esse censuerit, siue in excessu, siue in defectu mutatio fiat. Cœterum id,(quod aliqui forsan, vt vim nostrarum rationum effugiant, subfingere sibi posse putabunt, hoc est, cēsuisse Siluaticum, vbi per mellis additionem à decē propositis à Galeno libris sit recedendum, non nisi modice recedendum esse; sed vbi sit ab eisdem aliquid subtrahendum, & adimendum, nō repugnare, quin maior admodum ipsius quantitas subtrahi possit) Id, inquam, nihil ad propositum hoc attinere videtur, nihil ad hanc Siluatici mentis explicationem habere momenti. Quippe cum nobis satis fuerit modo probasse non ita modicum recessum illum à decem libris propositis ab Aduersarijs, fuisse Siluatico, vt solum drachmarum, & vnciarum quarundam diuersitatem, siue in excessu, siue in defectu mutatio fiat, præseferre, significareq́ue possit: & par constet omnino iudicium in vtroque, nimirum excessu, defectuq́ue de Siluatici opinione fieri necessum esse. Nempe qui, si decem libras illas vt sic intellectas, sibi pro scopo tantummodo proposuisset; cum non solum veteres illos, sed recentiores Medicos etiam, exacte nouerit in hac mellis præscribenda quantitate varios, admodumq́ue diuersos existere, cum sint qui decē; qui tertiam ferè partem adhuc supra decem, necnon & alij, qui circiter viginti libras eius assumant; horum sententias vtique reiecisset, tanquam illas, quę longe à proposito sibi scopo aberrarent; nec indeterminate cōstituisset referre parum, si plus, vel minus mellis ad talem componendā antidotum accipiatur. Quæ cuncta tamen, vt toties diximus, sana mente sunt intelligenda videlicet, vt intra certos gradus, & limites consistamus; hoc est, vt tantum plus, vel minus mellis assumi possit, quantū certa constet experientia satis esse, sufficereq́ue, vt illo modo confectum, & præparatum Antidotum conuenientem illico consistentiam adipi-

icatur; adeptam vero retineat, diuque coleruet: de qua re suo loco. Plura forsan, quã opus esset in vnius Autoris, qui, & si doctissimus, & admirabilis, non tamen Hippocrates aut Galenus est, explicanda sententia, sunt à nobis adducta. Sed ij consulto non temere factum id esse cognoscent, qui iam, ex iis, quæ in superioribus declarata sunt, audierunt, & intellexerunt hanc vnam nobis præ cæteris omnibus sentẽtiam cordi perpetuo fuisse; parumque nos arbitrari referre, siue plus, siue minus (dummodo certos intra propositos limites illos, quos docuit experientia, contineamur) in compositionibus iis mellis addatur, aut detrahatur. Cui sententiæ videtur Collegium nostrum, aut salem eiusdem præclarissimi Collegij Prior, vnà cum suis consiliarijs, octuaginta iam circiter elapsis annis, assensum, & vota prębuisse. Nimirum, Qui; cum anno 1531. fuisset inter aromatarios Venetos, & D. Cechinum Rauẽnatem, & ipsum aromatarium, vt arbitror in hac eadem ciuitate, consimilis (sed in Mithridato, controuersia suborta, velletque dictus D. Cechinus, eadem inani gloriola ductus in illius antidoti confectione quatuor ad minus, præter omnem consuetudinem, specierum vncias pro libra singula mellis inijcere: illi autem omnes è contra non esse permutandam, aut violandam, vsque tunc etiam inueteratam, & nunquam interruptam, consuetudinem (& iure) contenderent; statutumq; fuerit per clarissimos veteris Iustitiæ Iudices ab antiqua non esse cõsuetudine recedendum, Idq; Cechinus pronunciatum non bene ferens, ad Principes ciuitatis accesserit, & petierit ab illis, vt Medici in ea re, veluti qui sanius iudicium proferre possent, consulerentur; fuissentque Prior, & consiliarij (sic illi Cechino, s. Principibus ciuitatis annuẽtibus) ac omnis Medicorũ Magistratus, ad Principes cõuocati, & circa mellis eiusmodi quantitatem interrogati; sic responderunt. *Plus minusve mellis additum, aut ademptum exiguum admodum momẽtum habet, quia dosim medicamentorum augere, minuereve in Medicãtiũ tota sit potestate. Sed aliud in his Antidotis est, quod longe maiori indiget consideratione, longeq; maius ad salutem momentum habet; nunquid ea. s. quæ nunc in Mithridato, & in Theriaca simplicia medicamenta reponuntur, sint illa, quæ Autores eorum in ipsum Antidotum imponenda fore præceperunt. Si quid autem innouandum sit, hinc exordiendum est, Mellis enim quantitas pro regionum ac cœli qualitate variari potest, propterea que cuncti ferè Medicinæ scriptores mellis quantũ satis est, iubent imponendũ esse.* Tot illi. Quo fit, vt cum in posterum ea, quæ pro deperditis simplicibus substituenda tam in Mithridato, quam in Theriaca senioris Andromachi videbantur, ab eodem præclarissimo Collegio substituta (iuxta propositum

poſitum a Ciuitatis Principibus illis tunc non minus) omnino fuerint: de melle verò ſancitum nihil, ſed, in ipſa potiſſimum confectione Mitridatica; tantum, quantum ſatis eſt aſſumendum eſſe remanſerit, & in eiuſdem Collegij monumentis aliquando notatum ſit, videatur inſuper Collegium totum eiuſmodi reſponſioni dediſſe manus, & poſt innumeros annos aſſenſum eidem pari modo præbuiſſe. (Niſi forte ſit etiam in actis eiuſdem noſtri Collegij monitum & ſubſignatum circiter triplum mellis ad totum, qualis eſt hodierna inueterataque conſuetudo, ſumendum, ſicuti viros quoſdã excellentiſſimos nobis aliquando retuliſſe meminimus, nõ appareat autem, eo quia non ſolum integra quædam Collegij noſtri monumenta deperdita ſint, libri quidã prorſus amiſſi, ſed et quoniam exciſæ, demptæ, & euulſæ nonnullis in locis librorum Collegij, paginæ quædam ex toto ſint: Sicut in actis Illuſtris Equitis & præclariſſimi viri D. D. Tho. Philologi Rauẽnas à nobis, & in locis, ac libris alijs ab alijs obſeruatũ eſt.) Veruntamen quidquid de rebus eiuſmodi ſit, quas non deſperamus adhuc vna die nos recognoſcere, & ex traditis monumentis ab alijs intelligere poſſe, rationabilis admodum noſtra, & Siluatici hæc opinio fore videtur. Cuique Galenus. 6. de comp. pharm. ſecundum locos fortaſſis arriſit, in deſcriptione cuiuſdã ſtomatichi medicamenti, cuius compoſitio vel in muſto ad compagem mellis redacto, vel in ipſo quoque melle paratur. *Hoc*, inquit, *ſi precioſius velis efficere, inycies etiam caſſiæ corticem, aut nardum indicam, aut malabathri folia; ſufficit autem drachma vna ſingulorum ex iis tribus, ad tantam medicamenti ſymmetriã ad commenſurationem, iuxta quam libra mellis vna coniicitur. Nihil verò læſeris (addit) ſi ad ſingulas drachmas adhuc dimidiã apponas, vt in totũ quatuor drachmæ, & dimidia fiant.* Quaſi dicat ſeruata quoque ſpecierũ ſymmetria referre parum, an paulò maior aut minor mellis quantitas, & copia ſumatur. Quod & alijs multis innuiſſe videtur in locis, dum certa mellis quantitate recẽſita, ſtatim addit *vel quod ſatis eſt.* Remanet, vt pro fine capitis huius pro tot autorũ examine, proque Siluatici aſſertionis explicatione, (cuius opinionẽ aliquando nos vberius forſan, & abſolutius comprobare conabimur) ad te Iuuenis eruditiſſime, conuertamur; & quod tuum eſt tibi concedẽtes, ex quindecim propoſitis à te ſcriptoribus, ſublatis noſtris, ambiguis & incertis in iudicium reuocatis, reliquos veluti proprios aſſertionis tuæ ſectatores, tibi ſponte ac humaniter relinquamus. In qua re tamen, ſi forte fiat, vt ex ijs adductis à te, vel ex alijs etiã nondum adductis, vnus aut alter diſtinctius alibi ſe ipſum explicans, ex voto tibi reſpondeat, & ſuffragetur; non proinde volumus, vt putes vnquam nos in huiuſcemodi

cauſa,

causa, te plus obtinuisse, vel amplius quam vnius aut alterius testimonium lucratum esse, fore concessuros. Interim tu nostros, qui modo sequentur, attende; studeque num tu quoque, par pari referens, aliquos recognoscere, & ex nostrorum subripere numero, ac inter primæ, tuæque classis autores, apponere, accommodareve possis.

Varij Magni nominis afferuntur Medicinæ scriptores, qui veriorem alteram sententiam, à Galeno non recedentes sequuti sunt. Cap. VIII.



EX tot igitur propositis, ac nobis oppositis, Medicinæ scriptoribus, selectis nostris, ijs autẽ, qui Galeni Theriacam ex Andromacho rescribentes, & easdem Galeni libras accipientes, nondum tamen quas intellexerint explicarũt, velut incertis, & ambiguis adhuc, in iudicium iterum conuocatis; iam tempus est, vt ad eos insignis, atq; probati nominis enumerandos autores, qui veteri huic, nostræq; opinioni iam subscripsere, deueniamus. In qua re tamen non ita nos diligentes erimus, & operosi, vt infructuose minima quæque sine vlla necessitate respiciamus. Non igitur vtrum mellis illud triplum ad totum quatuordecim ipsius libris, quinque vncijs, duabusque drachmis; aut tribus vncijs specierum pro singula eiusdem libra sumendis, ex toto (modica. s. quauis vnciarum differentia cõsiderata) respondeat, nunc adamussim inuestigabimus, aut secretiori subijciemus examini. Cum pauci cuiusdam momenti, sicuti dicebamus, in ijs, si quis rectè distinxerit, & computauerit, diuersitas agnosci possit; & inter nos altercatio iam instituta; propositaque huic excellentissimorum virorum consessui dubietas, quò recta. s. illorum, sinceraque mente determinetur, non sit in minimis ijs, sed in maximis, vt puta in quatuor circiter libris à consueto pondere subtrahendis. Hinc est, vt sicuti rectè pro nobis, ita etiam iure contra vos, omnes illi Medicinæ scriptores induci debeant, & iure possint, qui vel in ea talis Antidori compositione tres aridorum corporum, seu puluerum vncias pro libra singula mellis assumunt, vel præcisius adhuc, ad eam senioris Andromachi triturabilium corporum dosim, quatuordecim circiter libras, & vncias aliquas; aut triplum ad totum, optime respondere proportionarique constituerunt: Nec illi solum; sed si qui sint præter hos alij, qui copiosam magis adhuc affirment ad opus hoc, mellis quantitatem vsurpari posse.

Horum

Horum igitur, qui sua nobis autoritate fauere, suoq; testimonio sententiam nostram confirmare possunt, triplex in vniuersum, & probatorum sanè, magniq́ue nominis, Autorum ordo reperitur. Sunt enim plures, qui communi cuidam in cæteris ferè cunctis medicamentis, in quibus Mel ea ratione, qua superiori capite cum Siluatico dicebamus, speciebus adiungitur, acceptæ, constitutæq́ue regulæ innixi, nobis inseruiunt, & opitulantur; dum, scilicet, in cunctis iis electarijs asserunt, &, quasi nunquã violanda lege, constituunt pro libra singula mellis tres esse, nec plures, specierum vncias accipiendas. Alteri verò secundò reperiuntur, Qui tantam mellis quantitatem in Antidotorum quorundam eiusdem ferè cum Theriaca conditionis, atq́ue naturæ, descriptione sumentes, eatenus nobis auxiliantur, & fauent, quatenus certa coniectura demonstrant non aliam mellis ad species in Theriaces compositione quoque proportionem, ex eorum sententia constituendam esse. Postremo sunt alij, Qui in huius Antidoti confectione, & apparatu, præcisè, tantum mellis, quantum nos dicebamus, assumendum esse putantes, distinctius adhuc, & euidentius nostra cõfirmant. In triplici hoc, iam proprius, & singularius enumerãdo, tantorum hominũ ordine, qui singulari suo testimonio nobis auxiliantur, & prosunt, non esset ab re, neque præter rationem omnino, si statim à prioribus illis, primoq́ue dinumeratis, sumeremus exordium. Qui tamen (cum varij, diuersiq; sint, ac omnes illi ferè, qui de rebus ad pharmacopæam attinentibus, pro ratione loquuti, dignum aliquid æternitati mandarunt) quoniã proprijs, & singulis separatim nominibus, vix sine tędio, & orationis incommodo vocari possent; vna sola sanè, communiq́ue voce, consimul omnes in testimonium, & iudicium à nobis nuncuparentur, nisi propositæ difficultatis explicationem indagaturi, ambiguitates alias in medium potius adducere, & suscitare velle videremur. Cũ.s. testes ij, nostris ab aduersariis, vt audio, rationem aliquam diuersitatis inter alia medicamẽta, & magnas, ac nobiles confectiones has afferentibus (puta quòd illa nec succos, nec lachrimas, neque gummas habeant, quæ veluti liquabilia, & humida corpora, minus mellis addendum indicant) despiciantur, & parui fiant: Immo verò, cum eorum nos etiam fide, testimonioq; vix egeamus, nec desint alij præter hos, vndiq́ue irrecusabiles, & nullo mõ respuendi testes. Quanquã forte non esset arduũ, & graue nobis ostẽdere (quidquid alij censuerint) nihil ad mellis quantitatem imminuẽdam gummi, succos, & lachrimas, sed succos præ cæteris ipsos (quanquam in compositionibus ijs actu sicci sumantur) indicantis, aut cogẽtis habere. Et ex altera parte quoque nõnulla possent inter opiata medicamenta

dicamenta referri, prædictis omnibus neque destituta liquoribus, quæ tamen eandem, quam ea communis regula docet, mellis quantitatem ad species collata, sibi determinant: qualia forte sunt Aurea Alexādrina, Esdra, & huiusmodi conditionis alia nōnulla. Quę cum minori, quā ipsa Theriaca, tempore quoque ab ambientis iniuria seruentur, nec proprias vires, ac integras facultates tam diu, quàm illa, retineant, quopiā etiam modo (si licet hic à minori ad maius argumentari) demonstrāt minus in illis impendere periculi, si non ita copiosa mellis quātitate parentur, quam in Theriaca, cui multo, diuturniorique tempore est opus, vt possit ad culmen vigoris, & summum insitæ sibi, & ex omnium commixtione suborientis, perfectionis ascendere. Quo sanè tēporis longiori spacio, qua mora, timēdum, ne mellis ipsius defectu siccetur, & hyeme potissimum, necnon frigidis regionibus illis, ad quas tanta copia deferri solet, arescat. Veruntamen ne, sicuti dicebamus, ex vna quęstione, cōsulto quasi trahamur in alteram; &, vt cum amicis, & carissimis nostris humaniter etiam, & amice tractemus, libenter hos prætermittimus, & ex toto modò relinquimus.

Quāq; aūt, inceptū ordinē consequentes iure priorib. ijs pręteṛmissis, Secundi statim testes occurrerent; & forent ij, qui Theriacā, aut aliud Antidotū ad illius instar, & simili, quo Theriaca, modo, parantes, (siue simplicibus permutatis aliquibus, siue etiam additis nonnullis alijs) eadem proposita toties copia mellis ad arida simul vnienda, permiscēdaque corpora semper vtuntur, primo loco ponendi, & à nobis ante reliquos adducendi. Quoniam tamen ij neque veluti principales, sed potius vti consequentes, & secundarij quasi contestes, vt cum aduersarijs nostris quoque contendant, in iudicium placide vocabuntur, tertiò iam recensitis à nobis, concesso loco, post illos accedent. Nec iniuria, siquidē ij, quos vltimò recensuimus, veluti qui legitimam ipsius Andromachi, Galenique Theriacam describentes, affirment hac ipsa consueta quatuordecim librarum vnciarū quinque, vel circiter mellis opus esse quātitate pro speciebus, & aridis corporibus vniendis illis, quæ ab Andromacho seniori, & à Galeno determinata, præscriptaq; sunt, verè sua nobis autoritate fauebunt, & primū in eiusmodi negotio locū iure merito sibi vindicabunt.

Veruntamen vt non amplius eos, quos recognouimus, & quorum testationes adduximus, Siluium, scilicet, Vvecherum, Collegium Bergomense, forteque Rōdelletium, atque Siluaticum, ad idem opus bis cōuocemus, exordium quæsò sumamus ab illis, quos Iuuenis noster eruditissimus in secunda classe reposuit, & artificiose contradistinxit ab ijs,

quos

quos omni, præterquam, Georgij Melichij, subsidio, tutriciq; manu destitutos, in tertia classe, veluti à secunda (nulla tamen apud nos necessitate) distincta, superfluè locauit.

1 Primus itaque (vt eodem quoque nos pede gradiamur) occurrit Valerius Cordus, doctissimus sanè vir, & in hac materia diligētissimus, ac versatissimus: Quē proinde tanti Gabriel Falopius Medicorum sui temporis facile primus, fecisse videtur, vt libro de cōpositione Medicamentorum apertè dixerit, se iure, relictis omnibus alijs, qui materiam hanc pertractarunt (cum. s. eorum plurimos aut defecisse, aut falsa medicamenta descripsisse dignouerit) Valerium Cordum amplecti, sectariq; voluisse. Occurrit, inquam, is primus; & cum eo totum Collegium Norimbergense. Illius enim præclarissimi Collegij Medici, decreto Senatus, mxima diligentia, & indicibili cura dispēsatorium Cordi recognouerunt. Qui cum Senatui iam retulissent nihil absolutius, atque emendatius in hoc descriptionum genere, Typis inuulgatum adinueniri, tūc Senatores librum illius non solum publicum faciendum esse, sed etiam (vt ex libri præfatione colligitur) Pharmacopolis omnibus, quò deinceps ipsum vt lumen quoddam consequerentur, offerendum forè decreuere.

2 Hoc igitur Collegium, hic vir duplicem eo libro Theriacæ compositionem, & apparatum induxit. Alterum cui circunscriptionem talē imposuit. *Theriaca secundum descriptionem Andromachi.* In qua de melle loquens hæc ait, *mellis despumati optimi triplū, hoc est, libras quatuordecim vncias sex.* Alterum autem paulò posterius, ijs verbis. *Theriaca Andromachi senioris è carmine eiusdem elegiaco translata.* In cuius mellis præscribenda quantitate deinde tam accuratè, tamquè minutim proportionem mellis ad species examinasse vr̄; vt, cum in ea tum Abrotanū tum ēt Acorū ad octo simul drachmarū pondus, desideretur, à priori mellis quantitate voluerit tres vncias esse subtrahendas, & solū libras quatuordecim, cum tribus vncijs accipiēdas, ac in omnium mixtione tantummodo fore ponendas. Quæ cuncta non imminutata, sed pro ratis, & firmis habita, Celebre Collegium illud ad hæc vsque tempora iussit, & iubet, vt à suis Myropolis obseruentur, & ne tantillum quidem aut permutentur, aut vitientur; Quemadmodum ex vltima illius Dispensatorij (Collegij Medicorum eiusdem Reipublicæ Norimbergensis opera adaucti, mendatique) editione sub anno 1612. vnicuique conspicere, & intelligere non erit arduum.

3 Post duplices testes adductos, nimirum, Valerium Cordum, & Collegium Norim bergense, succedit Medicorum pariter omnium Augu-

niam Collegij præclarissimum testimonium. Qui in prima compositionum earum, quas Narcoticas, siue opiatas appellāt, Theriaces Andromachi senioris ex Galeno descriptionem apponentes, ita de melle loquuntur: *mellis despumati triplum, i. libras quatuordecim, vncias quinque, drachmas duas*. Non est autem subticendum, aut prætereundum, quod autor ipsius Antidotarij, vel quintæ forsan æditionis illius in annotationibus habet. Is enim qui, quales eæ fuerint Galeni decem libræ mellis, determinate non nouerat; & num ponderales, an verò mensurales essent, incertus, decem tñ esse dignouerat; ne quis eũ, inconsulto Galeno, Theriacā descripsisse putaret, hęc ait. *Mellis triplum accipio in hac cōpositione, vt in cæteris plerisq;, licet Galenus ex Andromacho, Foesius, Fuchxius, Rondelletius, & alij plerią; libras tantũ decē apponant.* Quasi dicat, quas libras intelligant non expresse determinantes. Impium siquidem esset existimare celeberimum Collegium illud à Galeno & ab alijs Medicinæ scriptoribus recēsitis ab ipso, recedere, &, nullā præmissa ratione, sponte, volontarieque declinare.

4 Quartò loco Ioannis Pontani testimonium accedat. Quod gratis nobis ab aduersarijs (nisi tamen circunforaneum illum, & circulatorem Pontanum intelligant) condonatum accipimus. Nos enim, vt vera semper fateamur, ignoramus autorem: nam in Ioannis Iouiani Pontani varijs operibus, quantum pro temporis angustia potuimus, diligenter inspectis, nihil, quod spectet ad ipsius Theriacæ compositionem adinuenimus. Non est autem mirandum nos ignotum autorem, cuius neq; cognomen, neque libri, neque locus aliquis vbi talia loquatur, adducitur, ex solo nomine recognoscere non potuisse.

5 Ioannem verò Placotomum, qui testis est quintus, in suo dispensatorio vidimus triplum mellis Attici assumi iubere. Ex cuius autoritate putamus sententiam nostram non parum emolumēti consequuturam; cum hic in præfatione scribat se nullum certum, & solum autorem fuisse sequutum, sed eos omnes, quos optimos existimauit, & tales fuisse dignouit inuicem contulisse; deinde verò quæ sibi meliora visa sunt, selegisse.

6 Sextus testis, à nobis etiam adductus, erit Ioseph Quercetanus in Pharmacopæa restituta; dum Magnæ Theriaces Andromachi descriptionem vulgarem affert. In qua cum certè nonnulla ponat, quāquam ea modica sint, quæ in vsuali Theriaca ex Galeno, & Andromacho nō reperiuntur, forsitan iustius, & rectius inter eos reponendus, & enumerandus esset, qui tandem, vti contestes, in causam hanc vocabuntur. Veruntamen, quoniam huic ab eruditissimo Iuuene hic et locus adscribitur;

tur;

tur; placuit nobis eumdem eodem quoque loco recipere. Scribit igitur de melle loquens. *mellis despumati triplum, i. libras quatuordecim, & vncias quinque, & drachmas duas.* Ita siquidem intelligendum est; & emendanda litera, quæ pro quatuordecim libris, *quatuor*, solas, corrupta, refert, vna tamen cum *vncijs quinque duabusq; drachmis.* Cum.n. ipse Theriacam recenseat Andromachi, vulgari sumpta, & accepta descriptione, in qua pluribus pondus hoc mellis quatuordecim librarum numero circiter, præsignari consueuerat; credendum est, triplum illud mellis eiusdem ab eo nuncupatum, non ad quatuor libras Parisienses (quod.s. tanti nostras excedant, cum minime id verum sit) esse referendum, sed ipsam literam fuisse corruptam, & vitio typographi binas prętermissas syllabas esse; proptereaque legēdum fore nō *quatuor*, sed *quatuordecim* libras, cum reliquis vncijs; & drachmis, quę simul omnes acceptæ, triplum explicatum ab ipso conficiunt.

7 8 Magni sanè, multique faciendus est testis, qui septimo loco succedit. Hic est Doctissimus ille Ioannes Renodæus Medicus Parisiensis, & Regius, cuius autoritatem, cuiusque consilium Parisiensium Medicorū Collegium approbasse visum est. Hic in Officinæ suæ Pharmacopæorū tertio volumine, Theriacā Andromachi senioris ex Galeno describens, de melle sic ait. *Mellis Narbonensis, aut alius optimi triplum, seu libras quatuordecim & semis.* Quam eandem, in Mithridato describendo Democratis ex Galeno, pari modo præscripsit: Triplum enim, & in illo dixit, seu libras nouem, & vncias quatuor.

9 Sequitur Vnicus pro pharmacopolis Venetis ab aduersarijs testis adductus, Georgius Melichius, Qui tametsi Aromatarius & ipse, in simplicium tamen dignotione versatissimus, & in compositione Medicamentorum diligentissimus habitus est: Cuius Theriacam Prosperus ille Borgarucius Medicus, & ipse Regius ac non ignotus, in suo Pharmacopæorum Theatro quinta distinctione probauit, & prę cęteris alijs mirum in modum commendauit. Hic sanè tres aridorum corporum, & pulucrum vncias pro libra singula mellis accipiendas affirmans, parum in tota quantitate recedit ab enumeratis Autoribus, qui triplum ad totum accipiendum esse constituerunt. Qui modicus tamen, & (quatenus ad propositam attinet ambiguitatem) nullius momenti recessus, contingit aliquando, vt dicebamus, ob id, quòd nō ita certus, ac necessarius est numerus eorum, quæ solui, macerarique vino solent, quin & eorum aliqua tundi, & in puluerem redigi possint; quemadmodum etiā aliquando contigisse Galeno notatum, & animaduersum à nobis in superioribus est.

I 2 10 His

10 His vsque nunc ab eruditissimo vidua quoque recensitis Autoribus; nos etiam alios (& illos sanè grauissimos) testes addamus: Quos astutè potius quàm negligenter, aduersarium nostrum omisisse nō inficiamur; potissimum cum quorundam horum meminerit, quãquam eos neque singularius enumerasse, neque cum alijs etiam reponere voluisse, visus sit. Et vt ab Aromatariorum Thesauro sumamus exordium, illius Autorem Paulum Suardum decimo loco, pro decimo teste, collocabimus. Cuius autoritas paruifacienda nō est, vt quæ, scilicet, fidem aliquam à præclarissimis Collegij Mediolamēsis Medicis, quibus ab Autore dicatum fuit, suscipere videatur. Describitur in eo libro Theriaca Andromachi iuxta descriptionem quandam (vt autor asserit) in libello de Venenis à Gentili cōscripto, repertam. Quam se Magnus ille Gētilis profitebatur ex quodã Andromachi manu scripto libello mutuatũ esse. Est autem descriptio vel eadē, vel parum à vulgari dissimilis, in qua de melle loquens, hæc ait. *Mellis despumati libras decem.* Ego verò dum ita legerem, existimabam hunc etiam virum inter autores incertos reponi posse, immo verò de facto reponendum, vt qui, non explicet quasnam libras intelligat, quasve putauerit Andromachum intellexisse. Veruntamen vbi diligentius adhuc progressus vlterius, quæ sequebãtur attendi; facile noui doctissimum virum nostræ ferè subscripsisse sententiæ, vel libras illas, pro mensuralibus accepisse. Quandoquidem ita subdit. *Et nota quod pro qualibet libra mellis sunt vncia tres prædictarum specierum, & hoc voluit bonus Andromachus, & apponi debet, vbi Theriaca sit habitura virtutem, &c.* Quoniam autem computatione facta, & ad calculum melle, speciebusque reuocatis, non mihi bene singulis decem libris illis assumptis, tres aridorũ, seu puluerum vnciæ respondere posse videbantur, pendebat Animus, & dubius adhuc existimabã potuisse cōtingere, vt error, à tribus, ad quatuor vncias, impressoris incuria subortus esset; ac proinde legēdum, pro qualibet libra mellis quatuor specierum vncias commisceri debere; atque sic locum illum emendandum esse. Veruntamē, vbi illud idem ad verbum in alio vulgari, & Italico impresso sermone, scriptum inueni reuera cognoui non aliam, quam explicatam à nobis, illius Autoris sententiam, & mentem constitui posse.

11 Confirmauit autem opinionem nostram, & ne mendum amplius in eo textu, siue vncijs illis, fore crederemus, vndecimus testis effecit, nimirum autor luminis Apothecariorum, Quiricus ille de Augistis de Torthona, Medicus quoque suo tempore nominis alicuius; Is enim eiusdem luminis distinctione secunda, quo loci de electarijs amaris ser-

monem

monem habet, eandem eiſdemque fere verbis Theriacæ deſcriptionem appoſuit. Quam ipſe quoque teſtatur in quodam libello Gentilis, de venenis inſcripto, reperijſſe; immo verò, quam etiam addit & ipſe, falſum eſſe Gentilem ſe, ex quodam manuſcripto libello ſiue ſenioris, ſiue iunioris Andromachi, forè mutuatum. Poſita verò deſcriptione (ſimplicium tamen ingredientium pondere variato, cum. ſ. initio trociſcorũ ſcilliticorum libram aſſumat, & deinde reliqua, proportione ſeruata, cuncta recenſeat) de melle tandem hæc ait. *Mellis cocti, & deſpumati Rub. & lib. 23.* Quam deinde doſim (ignotam mihi) diſtinctius explicans, ita ſubdit. *Quod eſt pro qualibet libra mellis vncias tres ſpecierum prædictarum, & hoc voluit bonus Andromachus, & apponi debet, vbi Theriaca impoſitam ſibi facultatem, & vim à Scriptoribus, eſt aſſequutura.*

Subdit autem autor idem ſecundã, ac alteram Theriacæ deſcriptionem, quam etiã Galeni vocat. In qua pari modo, nec ſanè ſolum ſemel, ſed bis etiam, & pluries, ipſos lectores admonet, tres puluerum, ſeu ſpecierum illarum vncias, eſſe pro libra ſingula mellis accipiendas.

Hi ſunt ex autoribus illis, præcipui duo, quos tetigit (licet pro ſe non ita tutò produxerit) Iuuenis noſter eruditiſſimus in calce primi capitis diſputationis illius, dum ita ſcripſit. *Non me latet præter citatos autores in capitis fronte, alios etiam poſſe ad præcitatas ſententias adaptari, vt ſunt Iacobus de Manlijs in ſuo luminari maiore, Quiricus Auguſtinus Terihonenſis in lumine apothecariorum, Paulus Suardus in Theſauro Aromatariorum & alij.* Cęterum, vtrum ij poſſint in fronte capitis quaſi prioris illius, quam Aduerſarij noſtri ſequuntur, ſententiæ fautores, apponi; iudicent alij. Num verò, quoniam parum ſuas ab Andromachi ex Galeno relata deſcriptione, diuerſas habeant, inter conteſtes potius, quam inter præcipuos teſtes ſint reponendi nos non moramur.

12 Sed quæſò iam duodecimus teſtis accedat. Erit autem hic doctiſſimus ille Bernardus Deſſenius Cornemburgius, Medicus Colonienſis; quem noſter aduerſarius ambiguum vocat, ac ita dubiè fuiſſe loquutum affirmat, vt ex ijs, quæ apud ipſum ſcripta leguntur, quam, ex tot recenſitis opinionibus circa mellis quantitatem pro conficienda Theriaca, ſententiam conſectari maluerit, nec bene colligi, nec euidenter intelligi poſſit. Cum tamen ſic aperte loquatur, ac ita nos propriam ſententiam (ni fallor) edoceat: vt niſi Iuuenis noſter eruditiſſimus oſcitanter, & curſim, quæ primò ſuo de Medicamentorum compoſitione libro notata, nobiſque ab ipſo ſignificata fuere, legiſſet, facile noſcere, & intelligere potuiſſet, eum triplum mellis ad totum (vt moris eſt) in talis Antidoti

ritiori confectione sumendum, & conijciendum esse præcepisse. Siquidem Is, vbi Theriacam Iunioris Andromachi ex viperis, *Galene*, dictã, rescripsisset ad vnguem; & mellis drachmas centum, & quinquaginta suscipiendas esse (quemadmodum in ea Iunioris Andromachi descriptione pedestri, corrupta forsan litera, legitur) docuit. Iam cæteris simplicibus omnibus diligenter examinatis, de melle tandem hæc ad verbum scripta reliquit. *Mellis Attici drachmas centum quinquaginta. Eæ constituunt vncias medicinales decem & octo, & drachmas sex. Siquis autem vellet quadruplum mellis iuxta Andromachum accipere, erunt libræ medicæ duæ, & vncia vna.* Qud clarius? Quæsò ne poterat in ea drachmarum ambiguitate, certius, & euidentius sententiam propriam doctissimus Dessenius nobis exponere, & explicare? Miror (Dilectissime mi, vt iterum seriem orationis ad te cõuertam) miror profectò qũo tu, qui in Logisticè, siue in subducendi ratione peritus, ex certa dosi pastillorum scilliticorum vicies multiplicata, mellis tui quantitatem illã doces adinuenire; non noueris Dessenium nostrũ, vbi ducẽtis redditis illis Andromachi drachmis per quartæ partis additionẽ, videlicet, quinquagintarum (tot enim drachmas efficiunt, libræ duæ medicæ, & vncia ab ipso relatæ) quadruplum effici mellis ad totam simplicium dosim, quæ compositionem Theriaces ingrediuntur, affirmat, velle quoq; nobis innuere, immo verò distinctè significare, suppositum illum cẽtum & quinquaginta drachmarum numerum ab Andromacho præsignatum, tripli rationem habere? ac proinde tãtum mellis ipsum existimasse ex Andromachi placitis esse sumendum? Quòd, si quæ sint, quidve significent apud Andromachum eæ centum, & quinquaginta drachmæ subinferas ignotum esse; proptereáque incertum in mellis quantitate reddi Dessenium. Non bene (mihi credas) argumentaris. Neque enim modò quid voluerit per illas Andromachus, quidque Dessenius per libras has medicas intellexerit; aut quomodo duę librę cum vncia, quadruplum mellis efficiant, inquirimus, & disputamus. Sed quam putauerit vir acutissimus suscipiendam esse mellis quantitatem vt rectè Theriaca parari, componiq; possit; & num in illa determinanda, præscribẽdaque dubius, & incertus existat, hoc illud est, quod inquirimus, hoc illud, de quo nunc disputamus. In qua re patet sic ipsum sententiam suã explicasse, vt inter ambiguos, & varios enumerari nullo modo possit; quippe qui triplum censeat accipiendum, de quadruplo verò indeterminatè loquatur. Quam eandem tripli proportionem ad totum in Mithridatica confectione quoque sumptitandam esse voluisse, cognoscent omnes, qui non ad pauca respicientes, priora verba tantummodo ex iis,

quæ

quæ in Mithridatio Damocratis, & adnotationibus in illud habet, accipient; siquidem ij primo se ipsos in eius intelligenda sententia, deinde verò cæteros etiam in eadem explicanda, decipient; sed attentius quoq; cætera perlegent, & examinabunt; ad calculumque totam propositam ab eo mellis copiam, & simplicium omnium Antidotum illud ingredientium pondus, iterum reuocabunt. Cum enim primo dixisset, & asseruisset conuenientem mensuram mellis esse triplum ad species; distinctius explicans totam mellis ipsius quantitatem, & pondus hæc ait. *hoc est libræ nouem, & media, atque vnciæ tres.* Quòd sanè pōdus sicuti triplum ad totum (quemadmodum facta diligenti computatione patet) re vera constituit; Ita, communiori nomine, speciebus acceptis, hoc est, pro totis corporibus ijs, ex quibus Mithridatica illa confectio parari solet, quemadmodum forte sumpsit hic autor, triplum ad species vocari potest.

13 Hoc idem decimotertiò confirmat totum Coloniensium Medicorum Collegium in vsuali pro pharmacopæis dispensario, Reipublicæ illius, Senatus commissione, concinnato: hoc enim præclarissimorū Virorum illorum Collegium, ij Reipublicæ illius Senatores in opiatis electuarijs de Theriaca loquentes, vbi talem, & ipsi iunioris Andromachi Antidotum, *Galene*, dictum, rescribentes ad vnguem, vini iusserunt tres libras, & vncias quatuor, esse sumendas, mellis autem Hispanici libras decem: in singulorum simplicium ordine disponendo deinde, Valerij Cordi consilium recipientes, & approbantes, de melle tandem hunc in modum adnotatum, & scriptum reliquere. *Mellis optimi, & Aromatici, quale è Lithuania Dantiscum affertur: Despumetur id sedulo: despumati postremo mellis, sume libras quatuordecim vncias sex, &c.*

14 Sed quæsò, mi doctissimè, Ioannis illius Guinterij Andernachi testimonium, quod erit decimum quartū, vbi reliquisti? Vidisti ne, quæ scribit hic Autor secundo suo commentario de veteri, & noua medicina faciunda, dialogo septimo? Si vidisti, cur & hunc vnà cum alijs non adduxisti, cur Patribus ijs abscondisti? cur, sicuti tuæ partes erant, & tibi ab excellentissimo Collegio tantum impositum, & mandatū fuerat, nō reuelasti? Si non vidisti, Quæ incuria? parcas; Quæ negligētia? Cur Ioānem Paulum de Spinellis? cur Calestanum? & nō etiam Andernachum virum grauem, & tanti nominis, consuluisti? Dicam ego. Non incuria, non negligentia, prætermissa huius autoritas à te fuit. Quis enim nescit te probatorum autorum esse studiosissimum? Sed præstitit dissimulasse, ac tanti viri non meminisse; nimis enim est grauis autor, magnæ nimis existimationis, & dignitatis existit: & plus ab hoc vno solo verebaris in-

commodi,

commodi, quam commodi ab omnib. alijs a te recensitis, consequi posse. Sed quod abscondisti, nunc reuelabo, quod tacuisti nunc non silebo. Audite Patres, quid Magnus ille Galeni discipulus, & fidelis interpres de Theriaca paulò superius allegato loco loquatur. *Theriaca,* inquit, *Andromachi ex libris Galeni descripta*, refert autem compositionem illius ad vnguem, vt ex Andromacho Galenus habet: vbi de melle, posteaquam totam. s. compositionis illius normam explicauit, hæc ait. *Mellis Attici despumati libras quatuordecim vncias sex.* Neque verò contentus ijs; ne forte quis ipsum à Galeno recedere suspicaretur; in obseruationibus statim, & illico subdit. ***Recentiores, vt Auicennas, & Nicolaus, nonnihil in descriptione Theriaces euariant, & quædam etiam omittunt. Hæc autem est vera Andromachi compositio, quam Galenus in Antidotis recenset. Notandum in ea veteres plus aliorum medicamentorum, minus autem mellis, quam recentiores, Theriacæ indidisse; eoq́ illam solidiorem extitisse. Olim enim quatuordecim tantum libræ addebãtur, nunc autem viginti iuduntur &c.*** Quid clarius, & in Galeno? Id ipsum iterum in compositionis Theriacę docendo, recensendoque modo, repetit, atque verbis ferè confirmat eisdem, ait enim. ***Tandem omnia mellis optimi, quale ex Lithuania affertur, & probè expurgati, libris quatuordecim, & vncijs sex excipientur,*** tot ille.

15 Quam sententiã sequitur, & veluti testis decimus quintus, maximè comprobat, non minoris existimationis, nec ignotioris in Medicina nominis, elegantissimus Ioannes Fernelius, septimo libro suæ Therapeutices siue medẽdi methodi cap. de Antidotis humidis; Is. n. vbi Theriacam Andromachi senioris virulentarum bestiarum ictibus, & exitialibus venenis aduersam, recẽset ad vnguem, de melle scribit. ***mellis optimi, & expumati triplum. i. libras quatuordecim, vncias tres.*** Quam proportionem inquit accommodatam, atque ita symmetriam esse, vt ad summam dosem illius (quæ circiter est à scriptulis quatuor ad sesquidrachmam) contineat scriptulum pulueris vnum; quemadmodũ quatuor scriptuli deinde totius compositionis illius opij granum vnum accipiunt, continent, & complectuntur.

Quatuor adhuc pro capitis huius absolutione supersunt adducendi contestes. Sunt autem ij, Ioãnes Manardus, Arnaldus Villanouanus, Petrus Andreas Mathiolus, & omnes Ægyptij, qui ad hæc vsque tempora Theriacem, sed parumper immutatam à nostra, conficere solent. Omnes igitur ij, potissimum verò Priores, quamquam Galeni, aut Andromachi Theriacę descriptionem non afferant, neque compositionem eius edoceant: ex ea tamen proportione specierum, seu corporum triturabilium

turabimum ad mel, quam in proprijs quibusdam a se præscriptis Antidotis, ad venena potentissimis, assumendam esse constituunt; satis indicant, & euidenti coniectura demonstrant, se in Andromachi ex Galeno componenda Theriaca, non alia mellis ad species vsuros esse proportione, non aliam existimasse sumendam esse quantitatem.

16 Porrò Manardus in eiusmodi re duobus in locis sententiam, ac propriam suiipsius mentem nobis innuisse, immo verò (secundo loco potissimum) luculentius etiam explicasse videtur. Primùm quidem in 6. suarũ epistolarum medicina. libro, sed epistola 3. Quo loci seu scribat, seu potius cuidam epistolæ, vt arbitror, Francisci Caballi respondeat; Qui tũc temporis Theriacam magno cum apparatu in amplissima isthac Venetiarum Vrbe, obsequentium, vt ait, seplasiariorũ Venetorum manu (erat enim Medicus & insignis) cõposuerat, & præparauerat, dum plura Manardus, quę sibi persuadere posse videbãtur, defectuosam in multis Theriacæ compositionem illam existimandam & habẽdam esse, recenset; Ostendit & innuit mellis quantitatem (quæ semper fuit eadem, mutata nũquam) sibi minimè fuisse suspectam: cum. s. in multis simplicibus medicamentis affirmet occasionem oriri, præberique sibi, ne possit ex toto fateri, & amicissimo viro consentire Theriaces compositionem, tunc temporis eius opera, præsentiaque preparatam, & absolutã, aliquo vitio carere; nimirum, quia multa ex illam ingredientium numero, simplicia medicamenta sint prorsus nobis ignota, vel iam fortasse desierint, & obsoleuerint. Quòd si maiori quoque mellis quãtitate putasset in eiusdem cõpositione Caballum, & Venetos Aromatarios eos vsos esse, quam iustum sibi fore videretur, vtiq; & hanc, vnà cum causis, & rationibus alijs, Caballo, quò iustius eam reprobaret, & non immerito demonstraret suspectam sibi fuisse, rescripsisset, & enumerasset. Cęterum, vt quam vetus, & antiqua sit hæc tali modo componendi Theriacam Venetijs consuetudo, noscatur, existimo nõ ab re fore, quo fuerit anno, quo tempore hæc à Manardo ipsi Caballo epistola missa, referre. Fuit igitur, sicuti legitur apud eundem, Anno Domini M.D.IV. die sexta mẽsis Aprilis. centum. s. nouemque, ac ferè, dum hæc scribebamus, decem transactis annis, Alter autem & euidẽtior sanè locus in eodem est lib. 5. earundem epistolarum epistola tertia. Vbi loco Theriacę describit Antidotum simile, sed immutatis aliquibus, Antidoto ex sanguinibus, cuius meminere Galenus, Paulus, & alij: huius autem in fine, sic ait, *Fiat tenuissimus puluisculus ex omnibus, & cum quadruplo mellis electi beneq; spumati commisceatur, & vase Argenti purissimi, veluti Thesaurus, conseruetur.*

K Ar-

17 Arnaldus autem Villanouanus eandem proportione in sua Theriaca (cuius etiam meminit Collegium Norimbergense) seruasse videtur: quanquam sacharo potius quam melle velit excipiēdos pulueres esse: Immo verò si pulueres tantum accipiantur, longè maiorem.

18 Petrus Andreas insuper Mathiolus in præfatione sexti sui cōmētarij in libros Dioscoridis Anazarbei, vbi pleruatiuū illud Antidotū, cuius etiam meminit Collegium idem Norimbergense, Theriaces instar, conficere docet, & in quo tot simplicia, gummi, lachrimas, succosque varios, & multiplicis rationis iniecit, de melle, quo species, & pulueres iubebat excipi, & vniri debere, sermonē habens, tantum illius assumendum esse præscripsit, quantum (vt vnicuique facta diligenti computatione constabit) ac si dixisset tres specierum, & puluerum eorum vncias pro mellis vnaquaque libra conijciendas, & addendas esse.

19 Denique, vt huic capiti finem, & terminum iam imponamus, rem, & opinionem nostram omnium Ægyptiorum Medicorum cōsuetudine, consensuque cōfirmemus. Hi siquidē sua illa in Antidoto, quā, sub Andromachi Theriacæ nomine, conficere, præparareque solent; & in qua (sicuti libro quarto de Ægypt. medicina cap. 9. doctissimus, & eruditissimus vir D. Prosperus Alpinus diligentissimè notatū reliquit) totidem ferè simplicia, variatis tamē aliquibus, assumi volunt; de melle postremo loquentes, tres, illius optimi, partes accipi iubent; quòd idē est, ac si dixissent triplum ad totum. Cœterum quamuis hos ab Andromacho seniori quepiam modo recedere, ac in ipsa mellis quātitate differre, vir ille doctissimus, 12. cap. eiusdem libri demonstret; ea tamē differentia tota videtur in eo ferè constituta, quòd illi determinauerint quātitatem ad triplum, Andromachus autem sit indeterminate loquutus. Atque tot sunt, tantique nominis Autores, qui nostræ huic opinioni certo fauentes, tuis, à nobis, (quorū plurimi, vt dicebamus, inter ambiguos reponi poterant,) obijciuntur, & contraponuntur; vt in hac, nō dicam amplius paritate, sed scriptorum, & numero & nomine disparitate, iam noscant omnes, vicisse nos; ac proinde nihil innouandum, sed in antiqua, & inueterata consuetudine persistendum; cum neque Galeni autoritas, velut ambigua, neque ceterorum Medicinæ scriptorum testimonia, vti pauca, paucique momenti, sufficiant; nec vllum ex tali cōsuetudine subortum incommodum cogat; vt aliqua nunc immmutare pro voluntate, seu potius quorundam impetu solum, & animi concitatione, non autem aliqua, nisi minus quam probabili, ratione persuasi, debeamus.

Ra-

Rationes, quæ ab Aduersariis colligi possunt, vt propriã sententiam comprobent, & tueantur, in ordinem, & ad certum numerum rediguntur, ac recensentur. Cap. VIIII.



Empus est, vt aduersariorum nostrorum tela, quibus non præclare solummodo, sed feliciter etiam, & prospero euentu nobiscum pugnasse gloriantur, nõ modo retũdere, verum etiam dirumpere penitus, & omni ex parte diruere, labefactareque studeamus. Sed præstat etiam (vt quibus armis ij pugnet, vnusquisque cognoscat) rationes eorum subobscure pronunciatas, lucidiores primum efficere, dispersas autem in vnum colligere, & congregare. Quantum igitur nobis ex multis, sed ijs potissimum, quæ ab eruditissimo Vidua, secundo, & tertio capite suæ disputationis allata fuere, deducere licuit; Duo sunt fundamenta præcipua, quibus innixi putarunt Aduersarij nostri tùm facile posse se ipsos ab ijs, quæ sibi obijci posse dignouerant, illesos vndique custodire, seruareque; tum etiam inde iacula in nos contorquentes, admodum graues omnibus nostris, & insanabiles plagas infligere.

Primum fundamentum illorum est; Quòd decem libræ mellis à Galeno pro talis Antidoti compositione propositæ, mensurales constitui nequeant, sed ponderales prorsus existant. Alterum autem, quod etiam si pro mensuralibus acciperentur, non tamen, vbi reducerentur ad pondus, tantæ quantitati, copiæque mellis, quanta solent Veneti Aromatarij in ijs componendis Antidotis vti, responderent, sed longè minori. Primum ex duobus ijs fundamentis, multipliciter Iuuenis noster eruditissimus probaturus, dũ secundo suæ disputationis allegato capite quibusdã rationibus à se formatis, & sibimetipsi, ni fallor, à semetipso tantũ oppositis, respõdere conatur; nõnulla simul aduersus nos tela iacit; atq; illico bina quædam, quæ nostra putat (cum à se tamẽ pro voluntate cõficta sint nunquam à nobis, neque per somnum excogitata) supposita, repobat. Primùm inquiens, immo etiam probans (sed oleum prorsus & operam ludens) non esse verum absolute statuere libras mensurales, ita vocatas, ponderales exuperare. Multoque minus, veluti necessarium assumi, secundò subaddens, decem mellis nuncupatas à Galeno libras, eò quoniam mel inter liquores recenseri soleat, mensurales esse, pondera-

les verò dici non posse. Quibus duobus, veluti constitutis à nobis fundamentis, initio spretis, & tanquam falsis omnino reiectis, ac reprobatis, priorem hanc ad prioris sui fundamenti comprobationem, rationem adducit, qua proprie magis, & doctius demonstrare conatur non posse decem illas propositas à Galeno libras, nisi quatenus signa sunt corporum grauitatis, & ponderis, non autem quantitatis, & molis, intelligi, & explicari. Cum enim indifferenter, & indeterminate librarum nomen, dum ad liquores, seu liquida corpora comparatur, tàm eorum pondus, quàm etiam molem, siue mensuram innuere, significareque possit; quẽadmodum ex Galeno 6. de compositione medicamentorum secundum genera cap. 8. colligitur, Vbi Medicos inquit in præscribendis Medicamentis, dum liquidorum corporũ libras, & vncias vsurpandas esse præcipiunt, accuratiores fuisse debere, dilucidioresque in explicando, num ponderales, an mensurales libras illas, & vncias intelligendas esse voluerint: immo verò quemadmodum Galenus idem obseruasse quãdoque videtur (nimirum Qui liquida sępè pondere prefinire, determinareque sine illo signo, *pondo*, consueuerit: sicuti primo de localium med. comp. primo quoq; capite patet: vbi iubet ad libram vnam Romanam olei, vnciam vnam Euphorbij, quæ pars, vt inquit, duodecima est Olei, forè conijciendam, & immiscendã) Credendum vtique, ac rationabili coniectura constituẽdũ est libras illas, quæ indifferenter, & pondus, & mensuram præseferre possunt, tunc solum pondus significare, & ad illud determinari solummodo, cum in rerum descriptione præcedit, vel subsequitur aliquid, vnde, quasi certo quodam signo, deduci, cognoscique potest ponderales eas libras esse, nõ mensurales. Rei cuius exemplum pulchrè demonstrat autoritas illa superius adducta: Cum enim asserat ibi Galenus vnciam vnam, & põderalem, Euphorbij, duodecimam esse partem olei totius; clare constat, ex illo subaddito, libram eam olei, quanquam signum illud, *pondo*, non habeat annexum, ponderalem esse, non mẽsuralem. Iam verò patet in descriptione Theriaces cætera cuncta pondere dimetita tum ab Andromacho, tum à Galeno fuisse. Quare cum statim post illa, Galenus decẽ libras mellis enumeret; credendum est ipsum illas vt ponderales, non autem veluti mensurales, accipere, intelligereque voluisse.

Confirmat hanc ipsam rationem vlterius, eo quoniam, si verum esset, vt illæ decem mellis à Galeno propositæ libræ, quia corporis liquidi sunt, mensuræ signa, non ponderis dici deberent; tunc sequeretur, vt etiam cętera, quæ in ipsius Theriacæ compositione sumuntur, & liquida sunt, mensura, non pondere pręsignata, determinataque ab ipso Andromа-

droma-

dromacho, & a Galeno fuMent. Quod nullo modo permitti, nullo modo concedi debet: alioquin maxima, in talis Antidoti compositione, confusio contingeret, ac oriretur. Quis enim est cęcus ita, ne videat in vna tunc, & eadem simplicium medicamentorum dispositione, seu classe, in qua liquida, & arida continentur (vt in tertia contingit de opobalsamo, & siccis alijs) nonnulla sub eadem proposita dosi, confuse nimis, pondere, vt arida; quædam verò mensura, quemadmodum liquida, accipienda, recognoscendaque fore?

Tertia, quæ ex eodem capite ratio colligitur, ex mira quadam simplicium omnium adinuicē proportione, symmetriaque desumitur. Primi siquidem quatuor ordines, primæque simplicium Medicamentorū in huius Antidoti ab Andromacho seniori descriptione nobis communicata, positæ, distributęque classes, duplam, si fiat à posteriori ad superiorem assensus, siue potius (vt rectius, & clarius dicamus nos) dimidiam proportionis rationem habent. Quintus etiam ordo quarto respō det, quia constat ex duobus tertijs ponderis eius: Qui, si deinde conferatur ad sextum, duplam ad illum proportionem capere, continereque dicitur. Quare etiam conuenit, vt aliquam mel cognationem ad cætera seruet; aliquamve in eiusmodi compositione symmetriā habeat, & vni saltem simplicium ingrediētium Theriacam ordini, armonica proportione respondeat. Quæ cum vix alia censeri possit, quam ea, cuius vir hic doctissimus vltimo suæ disputationis capite meminit: vbi, scilicet, vicies multiplicata pastillorum scilliticorum dosi, qui in primo ordine collocantur, symmetricā mellis quantitatem asserit inueniri; hęc autem ad decem ponderales tantummodo libras determinetur: immo verò Quæ sic accepta, si cum altero liquore, nimirum vino, ac illius quantitate conferatur, triplam (vt omnia tandem aliqua ratione sibi respōdeāt) proportionem ēt habebit. Concludendum erit omnino, non aliam quā propositam, & intellectam mellis quantitatem, in Theriaces compositione sumendam esse.

Quartum, Quod ex eodem capite quoque desumi potest, argumentum, hoc esto. Si mellis ea quantitas, quam decem libræ pro ponderalibus acceptæ determinant, tanquam modica, suspecta foret, ac proinde non admittenda; Profectò non altera potiori ratione credendum id ipsum ab ijs, qui sententiā hanc cōsequuntur existimari, constituiq; posse, nisi qm̄ sic libris illis acceptis, ex modica mellis talis antidoti compositionem ingredientis, quantitate, putent imminere periculum, ne tēporis aliquo tractu, processuq; medicamentum id exsiccetur, ac vsui propterea reddatur ineptum. Iam verò constat eiusmodi suspicionem irrationa-

tionabilem, temerariam, & vanam esse. Quare etiam minime dicedum erit præscriptam à Galeno quantitatem illam librarum decem vt ponderales existunt, modicam esse, nec forè satis, vt diu medicamentum à siccitate præseruare possit. Minorem huius argumenti propositionem, duplici medio, nimirum autoritate, & experimento, comprobare conātur. Autoritas, Galeni Principis Medicorum, est; Qui non solum libro de Theriaca ad Pisonem cap. 14. nos admonet nobilissimum Antidotum hoc sexagesimum (vt ita dixerim) annum incolume videre posse, & ad illud vsque tempus efficacia, proprioque robore conseruato, perdurare: sed etiā qui libro de eiusdē vsu ad Pamphilianum affirmet idē Antidotum, quando trigesimū sextū annum nondum attigerit, nuncupari, censerique recens. Quare si magnum hoc medicamentum ea mellis dosi, copiaque solum, à Galeno confectum, per tot annorum spaciū seruatur incolume, & nō arescit; non est, vt vereamur, nè, quoties etiam à nobis hoc modo paretur, siccitatem sit ampliorem, aut citius, quam Galeni tempore, contracturum. Quæ sane ratio tanto fortius pugnat, & robur habet aduersus nos, quanto certo constat per paucissimos annos Theriacam apud nostros seruari Pharmacopolas, vt proximū miraculo futurum sit, si tantillum eius inueniatur, quod trigesimum annū attingat. Solent enim, inquit, vt plurimum Veneti Aromatarij vel anno singulo, vel biēnio, aut ad summum triennio, maximam illius conficere quantitatem; & eodem fere temporis interstitio totam consumere, ac distribuere. Quòd si quis addit, Damocratem nobis obijceret primo de Antidotis 16. capite cōsulentem, immo verò docentem etiam, quomodo iam exsiccatæ Theriacæ mel addere debeamus; quasi nimirū dignoscat & ipse, fateaturque medicamentum eo modo paratum, siccitati reddi subiectum: Nos respondebimus id fieri posse, sed non eo tempore, quo, Quicunque sententiam oppositam consequuntur, sunt opinati, sed, potius, vt idem visus est innuisse Damocrates, sexagessimo ab initio suæ factionis anno transacto, ac antea nunquam. Quod ex eodem quoque Galeni loco, videlicet, ad Pisonem quartodecimo, colligitur: quippe qui clarè testetur Antidotum ad eum annum vsque, virtutem, ac insitam sibi facultatem, & efficaciam obtinere, conseruareque; verum imbecille post tempus illud, non tamen inutile omnino, & ineptum vndique reddi; eo itaque tēpore non inconuenit ipsi mel addere, quo ad aliquid etiam probum, & aptum medicamentum euadat. Quandoquidem si fieri posset, vt ante præscriptum illud tot annorum tempus, siccitatē aliquam adipisci, contrahereque posset, consonum rationi videtur existimare Galenum, in omnibus diligentissimū, id inuolutum silentio non

præte-

præteriisse; sed illius aliquando meminisse. Ceterum minorem eandem propositæ rationis propositionem, experimento deinde confirmare, & persuadere conatur; non solum quoniam excellentium Aromatariorũ quorundam fides apud eum sunt; qui se ad Galeni mentem Theriacem composuisse, nec tamen illam exaruisse, vel effatu dignã siccitatem contraxisse testantur: sed etiam quoniam extant impressa, vulgataque iam opuscula quædam, è quibus clare cognoscitur tali modo paratam Antidotum optimam esse, diuque seruari. *Quidam etenim*, inquit, *Vèdraminus Menegazzi nuncupatus, Aromatarius Vicentinus ad Fortunæ signum in opusculo impresso Vincentiæ sub anno 1587. asserit se Theriacam composuisse, in qua ad singulam mellis libram uncias quatuor, & drachmas duas specierũ immiscuit. Franciscus quoque Sartorius in Theriaca ab ipso Bononiæ cõposita in Xenodochio. S. Mariæ dulgo dicta, dalla Morte, 15. Augusti 1612. se libras decem sumpsisse scribit in impresso libello Bononiæ 1613.* Tandem excellentissimi, & probatissimi Viri D. Ioannis Moratini testimonium adducit, qui nostro vniuerso Collegio Theriacam ita paratam, nouem annorum, quæ corpus perfectissimum seruabat, ostendit.

Quinta ratio, quę ex eodem capite pari modo colligi potest, hęc erit. Omnis abusus tollendus, nec quantumuis inueteratus, permittẽdus est. Consuetudo Theriacam tanta mellis quantitate parandi, quidam abusus, & corruptela censeri debet, eo quoniam longè videtur à mente Galeni, & Andromachi senioris aliena. Quare non est, vt in ea diutius, temereque persistamus, sed abolẽda penitus, & veluti dierum malorum inueterata, tollenda. Nam si, propterea quoniam inueterata, censemus illam seruandam adhuc, & immutandam nequaquam esse; cur non magis Galeni mos, consuetudoq; longè vetustior, & magis inueterata seruanda, custodienda, probandaque à nobis erit?

Sexta verò ratio colligitur, atque ab eodem tertio, disputationis illius capite satis abundè declaratur. Quæ longa verborum seriè proposita, breuius hunc in modum formari potest. Mel in Theriaca præter cętera munera, quæ præstare solet, illud præcipuum sumit officium, & ad hoc potissimum comparatur, vt omnia quæ medicamẽto conijciuntur, reducat ad vnam communem vnionem, quo. s. apte fermentari, & ad eam alterationem suscipiendam Antidotus idonea reddi, peruenireque possit, quæ, vel proximè ad mixtionem accedit, vel à vera, perfectaque mixtione non differt: quam Aristoteles miscibilium alteratorum vnionem propterea vocabat. Iam verò mel, vt idipsum præstare possit, non multa debet copia sumi, sed satis est, vt sub ea quantitate tantummodo

accipia-

accipiatur; Quam Iunior & Filius Andromachus determinauit (cum .s. probabile sit arbitrari sic ab Andromacho Seniori Patreq; sibi fuisse communicatam.) Modo verò Filius, vt ex illius descriptione constat, decem libras ponderales assumēdas esse præcepit. Quapropter decem illæ solum libræ mellis ad opus hoc satis erunt, nec maior quātitas eius, nisi vane prorsus, erit vsurpanda. Quod tanto magis credendū est, quāto cōstat Damocratem, Critonem, & Galenum (qui hæc omnia refert se ab alijs scriptorib. accepisse 14. de Theriaca ad Pisonem, sub verbis illis. *Sicut Autorum litteræ præcipiunt.*) sic Imperatoribus composuisse. Siquidem, addit, hæc omnia præstantissima Antidota, quæ tanto artificio, tamquè mirabili modo distributa simplicia compositionem eorum ingredientia continent, vt neque mellis ipsius, neque alicuius alterius corre ctione egeant, pauco debent excipi melle, ne.s.à copiosiori vis, & facultas eorum obtundatur, & hebetetur, ac proinde sit impedimento, quo minus perfecta cunctorum altetatio, vnio, mixtio, fermentatioque fieri possit: non enim ita secundum minima adinuicem ingredientia se tangerent, copiosiori interposito melle, quam si pauciori, conuenientiq; eiusdem quantitate fuissent excepta.

Quod ex Galeno superius ad Pamphilianum adducto loco confirmatur, quippe qui scribat eādem Antidotum sex ab aliquibus, ab aliis, etiam quatuor mellis tantummodo libris assumptis, parari consueuisse. Et ex secūdo quoque libro de Antidotis, vbi Damocrates in Mithridatio scribit tantum mellis esse sumendum, quantum est satis; satis autem esse, quantum hæc aptè simul vniri, coniungique possint. Vnde etiā (inquit) patet Andromachum, atque Galenum mel potius addere, quā imminuere: vt proinde si ab eorum descriptionibus esset recedendū, imminuenda potius, quàm augenda in Theriaces compositione quantitas illius esset. Concludit autem, & ex Galeno desumens 12. cap. de Theriaca ad Pisonē, qui statuit vnius alicuius simplicis improbitatem sæpè reliqua omnia corrumpere, neque solam improbitatem, sed imbecillitatem; argumentatur multo magis timendum esse, ne tanta mellis addita quantitate, tota medicamenti proportio tollatur, & armonia pereat. Quando etiam constet proportionem in manifestis qualitatibus ipsis, ex mellis variata quantitate variari, quemadmodum ex Alchindi subtilitatibus comprobare conatur.

Septima, & vltima ratio, vi cuius existimant Aduersarii primum illud fundamentum à se constitutum firmius adhuc, immo verò prorsus immobile reddi posse, colligitur ex secundo capite disputationis eiusdē. Quam tamen Nos postremam esse voluimus, quoniam vltimum secū

corum

corum conatum affert, & ab ipsis Achilles hoc est, insuperabilis, existimatur. Est autẽ hæc Libræ decem mellis à Galeno pro talis Antidoti compositione determinatæ, numerum drachmarũ Iunioris Andromachi de mellis in eodem Antidoto quantitate sumenda consequuntur, & ex drachmarum summa, computationeq; colliguntur, sicuti, facto calculo diligenti, cognoscitur: Siquidem cum Iunior Andromachus tam vini, quàm mellis, non variato drachmarum pondere, copiam, quantitatemque præfinierit (vt primo de Antidotis Galenus habet) sicut in vino tricentas viginti drachmas, sic in melle noningentas sexaginta præscripsit. Quę sanè, singulis vncijs octo, quemadmodum Galenus sępius affirmat, tributis, & accommodatis, centũ, & viginti conficiunt vncias; quæ decem libras (cum.s. quælibet libra duodecim vnciarum existat) efformant. Iam verò drachmæ, ab Andromacho positæ ponderales existunt: tùm quia conuenit rationi putare talis eas ordinis, & generis esse, qualis cæterorum medicamenrorum drachmæ fuere; tum etiam quoniam drachma nulla mensuralis est, cuius nullibi aut à Galeno, aut ab alijs mentio fit: Quippe cum semper inueniamus Galenum, & alios per drachmam Denarium intellexisse Romanum; quod ponderi, non autem mensuræ refertur, vt proinde somnijs proximum esse videatur asserere drachmas eiusmodi conditionis, & ordinis adinueniri. Quapropter oportet, vt libræ quoque mellis illæ, ponderales existant.

Ceterum alterum fundamentum, hoc est, Posito libras illas à Galeno nuncupatas, ponderales esse non posse, sed mensurales existere, non sequi tamen, vt tantum mellis, si reducantur ad pondus, quantũ in Antidoto componendo solent Aromatarij Veneti sumere, contineant, & capiant; primum autoritate, deinde verò & experiẽtia comprobare conantur. Ac proinde statim Autoris libri de ponderibus sententiam afferunt. Qui statuit, suoque testimonio clare fatetur decem libras mellis mensurales, si reducantur ad pondus, solas duodecim, cum dimidia conficere, & constituere. Addunt verò secundo, experimẽto facto se dignouisse eas esse tantum vndecim ponderales, & vncias octo. Atque tot argumenta, tot arma, bellicaque eorum tormenta sunt, quibus aduersus Antiquam, & iam à maioribus nostris, Collegijque Patribus approbatam (saltem quia cognitam & non reprobatam) consuetudinem insurgentes, existimãt nos, qui patrocinium illius accepimus, vel iam uictos, vel sic ad minus ab illis obsessos; vt pristinæ libertati restitui, aut illos amplius eijcere, fugareque nullo modo valeamus.

Fundamenta nonnulla pro tollendis inductis rationibus iaciuntur. Et breuis de Romanorum mensuris aliquibus habetur oratio. Cap: X.



T inflixas nobis ab aduersarijs (quanquam leues) delinire plagas, illataque nostris vulnera blande simul, ac tuto, curare possimus; quò.s. nos vnà secum reualescentes, ac pristinis ex toto viribus recuperatis, antiquam, & non dum apud nos violatam, aut interruptam consuetudinem, cuius patrocinium suscepimus, facilius ab obsidione, & inimicorum insidijs liberemus; rem dignam opere facturos esse censuimus, si auxiliaria medicamina prius inuenire, ac ea cerata, seu linimenta, quæ citam nobis sanitatem, & certam sunt allatura, nunc preparare, & ad vsum aliquem reuocare studuerimus. Quę sanè cũ superficiarijs ferè, cutaneisq; solũ, ac ijs vulnusculis, quæ neq; detergentibus, aut expurgantib. immo neq; lineamẽtis ex filis immittẽdis in illa, quo patentia, & aperta seruẽtur, sed solis vnientibus, & agglutinantib. ad summũ ęgent, applicanda sint; vtique satis erit, si ex eorum genere (& illa modica) parabũtur, quę vel, *Epulotica*, nempè generantia cutem; vel *escarotica*.s. cicatricem susuperinducentia, dici, nuncupariq́ue solent. Breuem igitur de liquidorum, & aridorum mensuris orationem (veluti primum eorum medicaminum apparatum) ex Galeni doctrina desumptam, instituamus; vt inde sanitati fores aperiantur, & via facilis planaq́ue nobis aduersariorum argumenta tollendi, & in nihilum redigendi patescat. De Mensuris, inquam, non tamen omnibus; neque Regionum omnium:

Non quidem omnibus; quando plures earum, tãquam illę, quæ maximæ capacitatis alicuius existunt; cuiusmodi sunt inter cœtera culeus, amphora, & vrna, nullius ferè in factitanda medicina sint vsus. Neq; etiam omnium Regionum, aut Nationum; cum non ardua solum, sed impossibilis huiusmodi prouincia sit, in qua plurimi lapsi sunt, & in durissimos scopulos impegerunt. Infinita siquidem, vt innuebat ignotus Autor libelli de põderibus adscripti Galeno, pro Regionum, ac Nationum varietate, corporum quantitatem dimetiẽdi diuersitas, multiplex, neq; rationis vnius, liquida, & arida ponderandi, mensurandiq́; consuetudo, non permittit, vt vna possit de ponderibus, & mesuris haberi methodus, aut vna certa communis, & infallibilis in vniuersis regula tradi. Quòd tantò quoque difficilius esse dignoscitur, quantò constat, & ex

quo-

quorundam traditis monumentis habetur, easdem Nationes aliquando in mensuris etiam mores, & proprias consuetudines permutasse. Nõ solus enim fuit alius modus, & mos liquida mensurandi Romanis, alius Atticis, alius Ephesijs, alius Alexandrinis (vt Barbaros alios modo prętercam, & Arabas) ac alius alijs, verum etiam, pro temporum quorundam varietate, Regnis, Prouincijs, Ciuitatibusque debellatis, ac aliorũ subiectis Imperio, quandoq; contigit, vt veteri cõsuetudine quasi posthabita, varias mensurandi normas Prouinciæ dominatæ receperint, & ab Imperijs, quibus iacuere subiectæ, mensurarum quandoque nomina solum, earundem variata capacitate, sint mutuatæ. Ita (ni fallor) scriptum Galenus primo de comp. med. secundum genera cap. 16. reliquit, neque Sextarij nomen, neque mensuram apud Athenienses in vsu fuisse, sed postquam orbi imperare Romani cæperunt, nomen illud ab omnibus, qui Græca lingua vtebantur, vsurpatum esse: mensuram verò variatam, nec ab aliquibus similem prorsus, & æqualẽ ipsi Romanæ mẽsuræ, sed à diuersis diuersæ fuisse capacitatis effectam. Vnde, queãdmodum ab eodem. 9. de compositione med. secundum locos habetur, erat Asclepiadi quandoque Sextarius vnciarum octo, nonnũquam, vt legitur sexto de comp. per genera, vnciarum trium. De Romanorum itaq; solis, neque tamen, vt dicebamus, illorum omnibus, sed ijs potissimum mensuris, à nobis nunc temporis instituetur oratio, quæ Regionis illius præcipuæ, propriæque videbantur, & quibus vti sæpissimè in medicamentorum compositionibus Romani Medici consueuere. Sunt autem hæc, Libra, Sextarius, Vncia; sicuti primo de cõpositione per genera ca. 15. Galenus idem ijs verbis testatus est. *Eius nempe Regionis illa sunt nomina, Libra, sextarius, vncia.* In ijs igitur nos explicandis toti versabimur, distinctius tamen de drachmis aliqua, nũc solummodo tacta, suo loco declaraturi. Quibus sanè mensuris habitis, & intellectis, non erit arduum cæterarum quarundam alicuius etiam vsus in medicina faciũda, sed vnius potissimum Heminæ sæpius acceptæ, nuncupatæque certã apud Romanos capacitatem, vt docuit Galenus, agnoscere, & intelligere. Cæterum quanuis in omnibus mensuris explicandis, Agricolæ, & alijs à Sextario placuerit, tanquam à certa, propria, nec non etiam magis à Medicis visitata mensura, principium sumere, & inde cæterarum tam superiorũ, quàm inferiorum capacitatis rationem, & normam colligere, & explicare: visum est tamen, & placuit nobis in his à Libra, & ab vncia, quatenus mensuræ sunt, cum in sextario contineantur, & sint veluti partes illius compositionem efficientes, & integrantes; tanquam à notioris, & certioris, quoque capacitatis, incipere, & vniuersi sermo-

Galeno docere, declarareque valeamus, diſtinguendum eſt primò nomen ipſius libræ, & eiuſdem multiplicitas eſt explicanda; quandoquidē ſic in communi conceptum, & vniuerſaliſſime ſumptum, æquiuocum, multiplex, nec vnius, & eiuſdem conditionis, atque naturæ videtur. Idque non ſolum quoniam ſub eadem nominis huius appellatione multa, quæ valde ſecundum rationem eſſentiæ ab inuicem differunt, contineātur: Siquidem præter multas illius ſignificationes admodum varias, ſolet aliquando pro quodam inſtrumēto fabrili ſumi, ſiue Geometrica machina, qua Marium, Fontium, Lacuum, & aliorum conſimilis fere naturæ corporum, altitudinem dimetimur; Verum etiam quoniam, dū propriè magis accipitur, cognominationem (vt primo de compoſ. per genera quartodecimo, Galenus inquit) ad pōderalem relatum libram, & mēſuralem, habet homonymam. Conſueuit enim, ſicuti habetur 13. cap. eiuſdem libri, diuerſa ratione, & æquiuoce, ponderalis corporum ſolidorum, & menſuralis liquidorum libra à Romanis appellari. Cum enim primò libra, quæ & As, & Aſſis ab aliquibus dicebatur, inſtrumētum ſignificet illud, quo rerum pondus, & grauitas præfiniri & agnoſci cōſueuerat; Quæ deinde ſecabatur in vncias duodecim: (quāq; in partes alias etiam, puta ſextantes, quadrantes, trientes, ſelibras, dodrantes, & alteras aliquas, diuidi ſolet) ſintque non ſolum in corporibus metiendis grauitates, & leuitates, ſed ēt moles, & multitudines conſiderandæ: Inuēta poſtmodū, & ab illis excogitata mēſura fuit, qua diuerſorū corporum, potiſſimum, verò liquidorum, diuerſę grauitatis, & leuitatis, multitudo, ſeu moles agnoſci, determinarique poſſit. Hanc autem mēſuram, libram pariter nuncupauerunt, & in duodecim quoque partes, velut in duodecim vncias partiti ſunt. Indicauit vtrunque Galenus, qui paulò ſuperius allegato loco ponderales vncias ad corporum grauitatem, mēſurales autem ad eorundem molem, & multitudinem indicandam conſtitutas eſſe docebat. Et qui tertio librorum eorundem cap. tertio clariſſime teſtabatur menſuram apud Romanos effectam reperiri, qua metiuntur oleum; & hāc inſectam, diſcretamque lineis totam illā in duodecim partibus diuidentibus, eſſe; atque integram menſuram ab eis libram, duodecimam verò portionem eius, vnciam appellari. Cum itaq; iſthæc liquidorum menſuralis à Romanis vocata libra in æquas partes, ac ponderalis, hoc eſt, in vncias duodecim pari modo partiatur; ſequitur, vt, ea ratione qua libræ, ſic etiam vnciæ nomen, æquiuocum, nec vnius, & eiuſdem ſignificationis exiſtat: Idque non ſolum, quia ſoleat vncia inter ea quoque menſurarum genera recenſeri, quibus iura finium,

poſ-

notat Alexander etiam ab Alexandro lib. secundo, genialium dierum, sextula, quæ triginta pedum mensura dicitur, sexta vnciæ pars) verum etiam quoniam tam de duodecima libræ ponderalis, quàm mensuralis portione, nõ eadem ratione tamen, prædicatur: Quod totum nos à Galeno sumentes, inferius exemplis, ijsque clarissimis, demonstrabimus. Ex hac nominis huius analogia, similitudineq; tum à libra, tum ab vncijs ponderalibus, ad libram, & vncias mensurales accommodata, contingit, & iure sequitur, vt non solum in easdem, aut similes alteras alias partes libra mensuralis secerni possit, in quas secabatur & ponderalis, hoc est, in sextantes, quadrantes, trientes, & reliquas: Verum etiam vt, cum quælibet vncia ponderalis in octo deinde partes diuidi soleat, quas drachmas appellant; ipsa quoque mensuralis vncia vocata, si in octo partes diuidatur æquales (in quas eam diuisisse Galenum suo loco monstrabimus) in octo pari modo diuisa drachmas esse dicatur, &, vt, quemadmodum eę, mensuralis vnciæ partes, & portiones existunt; ita mensurales drachmæ vocari, & apud omnes sine controuersia pro talibus accipi, computarique debeant. Vt proinde nomen ipsius quoque drachmæ, diuersæ cuiusdam rationis, & æquiuocum esse dicatur, vtpote quod, præter alias quasdam significationes admodum ab ijs, de quibus nos alienas, de mensurali, ponderalique diuersimode prædicetur. Diximus, *præter alias significationes*, eo quoniam in prioribus Iurium, Possessionum, & Aquarum mensuris, ex illius vnciæ diuisione pari modo drachmæ colliguntur, & inter minores mensuras tum ipsæ drachmæ, tũ etiam scrupula dinumerantur. Vt enim partem minimam scriptulũ appellabant, quæ quanquam inter mensuras minima foret, nihilominus continebat longitudinem & latitudinem decem pedum; sic, ex tot scrupulis asserebant siciliquam confici, quæ quartam vnciæ partem efformat, hoc est, vt idem adnotauit Alexander, drachmas duas; in octo. s. pari modo partes vnciam & ipsi, velut in octo drachmas, secantes & diuidentes. Veruntamen hac mensuralium drachmarum consideratione (ne. s. nimis caput hoc protrahatur vt crescat) alio, propriorique forsan loco remissa; redeamus ad libras mensurales, & vncias; atque iterum cũ Galeno dicamus præter capaciores liquidorum mensuras alias, Romanos Medicos mensurales eiusmodi libras, & vncias in medicamẽtorum quorundam compositionibus vsurpasse, & ad vsum aliquem accommodasse. Sed cur liquidorum mensuram hanc, cum põderalis sola libra sufficeret, & satis esse videretur, Romani Medici excogitarunt, & simul ad eundem vsum accommodarunt? Existimauit Doctissimus vir Hie-

ronymus

ronymus Mercurialis Præceptor noster secundo suo libro de compositione medicamentorum excogitatam fuisse mensuram propter maiorẽ negotiãdi facilitatẽ *oportebat. n. inquit, vt inuenirentur expeditæ mensuræ, ne. s. cogerẽtur negociatores cõtinuo conterere tẽpus in rebus metiẽdis ad lancem.* Sed alia nos ratione putamus idipsum (quatenus saltem ad vsum attinet medicinæ) fuisse paratum. Quanquam enim adducta ab excellentissimo præceptore nostro mensurarum inueniendarum occasio, rationem aliquam, si re feratur ad modum negociandi, videatur habere, pro quo summæ, & maximæ capacitatis illæ mẽsuræ deseruiebant, & assu mebantur; In ipsa tamen medicina faciunda, in qua rarissimè tantæ capacitatis, quantæ tres illæ superius enumeratæ mensuræ sunt, assumunrur, sed mediæ potius, & minores aliæ sæpissimè, vt puta, sicuti dicebamus, Sextarius, Libra, Hemina, Vncia, Cyathus, & Cochleare nonnunquam: alia ratione credendum est factum esse, vt ad vsum medicinæ fuerint mensuræ quoque pro liquidis potissimum metiendis corporibus, accommodatæ. Quæ sanè ratio (mea, immo verò Galeni sententia) non altera fuit; nisi quoniam, cum in medicamentorum compositionibus symmetriæ, variæque simplicium ingredientium proportiones requirantur, necessariæque sint; atque tales non solũ põdus, sed molem etiam, & multitudinem corporis quandoque respiciãt; vtique sicuti certus, ac facilis modus aderat coæquandi simplicia medicamenta ratione ponderis, seu propriè grauitatis, & leuitatis, ac veram illorum dosim, quã sibi in vnius, aut alterius antidoti compositione respondere debent inueniendi, quod efficiebatur in Lance: Ita certus facilis, & infallibilis modus erat inueniendus, quo eorundem moles, aut multitudo coæquari, dupla, dimidia, aut alicuius alterius proportionis cum altera reddi, pararique posset. Quod optime, & longe facilius, quã Pondus, Mensura præstabat. Indicauit isthanc mensurandi necessitatẽ abunde Galenus. *6.* de compositione medicamentorum secundum locos cap. 1. dum mediorum Pharmacorum compositionem examinat. Quo loci, cum alibi, sicuti primo de compositione per genera, docuisset ponderales siue libras, siue vncias, corporum decernere grauitatem, mẽsurales verò molẽ, hæc ad verbum scripta reliquit. *Audito autem me diligenter animaduertens quibus vtor verbis in symmetria seu commensuratione medicamentorum, quæ inuicem permiscẽtur. Iam enim præcepi quintuplum esse debere multitudine ipsum succum ad mel, quod nihil differt ab eo, si dicam mole quintuplum ipsum esse oportere. Vtrouis enim modo dicatur, mensurare oportet pharmaca permiscenda. At verò si pondere iubeam quintuplum esse hoc pharmacum, per lãcem vtique facere*

cere

ere oportet symmetriam grauitatis ipsorum. Verba sane clarissima, & ex quibus abunde dignoſcitur pro mole corporum, & rerum permiſcẽdarum multitudine metienda, oportuiſſe menſuras conſtitutæ cuiuſdã capacitatis adinuenire, quibus, ſeu quarum ope facilius, & certius, quã per lancem, ea poſſet corporum miſcendorum ſymmetria, quæ non ex eorum grauitate, ſed ex copia, multitudineque ſumi debet, determinari, & ad componendi medicamenti neceſſitatem, & vſum accommodari. Hinc factum eſt, vt quamuis (ſicuti tertio de comp. ſecundum Gen. cap. 3. ſcribitur) metallica, &, vt alibi dicitur, corpora arida lancè, oleũ autẽ, & liquida ſæpius menſura determinentur: aliquando tamen arida menſurentur, & liquida pondere præfiniantur. Quatenus. ſ. vel proportio ponderis, ſeu grauitatis, vel molis, & multitudinis in ea medicamenti cõpoſitione ſumi, ſeruarique debet. Fuerunt igitur ad opus hoc, & ad vſum vnà cum alijs moderatæ cuiuſdam capacitatis, Libra quoque Sextarius, & Vncia, propriæ Regionis illius menſuræ, repertæ, & à Romanis medicis excogitatæ. Cęterum harum aliquas, ſed vnam præcipuè Libram, ſeu Libræ menſuram ex cornea materia, forteque ex ipſiſmet Boum cornibus parumper expolitis, effectam, & paratam ab illis eſſe, Galenus locupletiſſimus teſtis exiſtit: Quippe qui primo, de cõpoſ. med. ſecundum genera cap. 13. ſic inquiat. *Mẽſuralis libra corporũ liquidorum, quæ permulta in tota vrbe ex materia cornea conſtat.* capite verò. 17. dum Album Aſclepiadis emplaſtum explicat, ita ſcribat. *Hoc pharmacum Olei modicum habet ceu ad metallicorum proportionem, ſi quis heminam ſtatuat valere vncijs nouem Romanis, quæ in cornibus cõſuetis libralibus deſcriptæ ſunt.* & 6. de comp. per genera 8. *Ego ſanè olei libram Romæ nuncupatam, quam per inſecta cornua metiuntur, &c.* Neque mirum; cum referat Athenæus vndecimo libro dipnoſophiſtarum cap. 8. Antiquos, & primos illos, ex cornibus bouinis etiam bibere ſolitos fuiſſe perhiberi, cornutũque propterea Dionyſium iuniorem effinxiſſe nõ nullos, & Taurum poetas aliquos eum appellaſſe; taurinaque facie pictum alicubi reperiri: quoniam. ſ. potator eſſet inſignis, & qui (ſicuti retulit Alexander idem ab Alexandro 5. ſuo libro genialium dierum) vſque adeò vino marcidus quãdoque fuerit, vt ad nonaginta dies mero incaluerit. Verum & alias ex eadem materia præter ſolius vnius libræ menſuram, amplioris capacitatis in vſu fuiſſe, non ſine ratione diligentiſſimus Georgius Agricola ex Horatij quibuſdam carminibus ſecundi ſermonem libri ſecunda ſatyra colligi, vt intelligi poſſe diſputauit, dum ita cecinit

At

Cuius odorem olei nequeas perferre, (licebit
Ille repotia natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret,) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat veteris non parcus aceti.

Is enim videtur bilibrem, hoc est duarum librarum mensuram corneam recensere. In cuius loci explicatione cum Acron Interpres (vt idē quoque notauit Agricola) scribat in venalibus cornua reperiri, quę olei quātitatem sextarij mensura, capiant; deducere, & intelligere licet, cornua diuersæ capacitatis in vsu fuisse, saltemque, Librale, de quo Galenus, Bilibræ, de quo Horatius, & Sextarij mensura, videlicet, viginti vnciarum, de quo Acron. Nisi tamen putauerit Autor hic (vti falsò Rhodiginus, & alij cēsuere) Romanum sextarium mensuram esse bilibrem, hoc est, viginti quatuor, non autem solas viginti mensurales vncias capere, & continere. Quo casu duæ tātum hucusque mensuræ corneæ paterent, libralis vna, altera verò bilibris. Quanquam sextarij mensuram, viginti apud Romanos vnciarum, ex cornea materia reperiri, quodammodo nobis visus sit innuisse quoque Galenus eo primo de comp. medicam. secund. genera cap. 16. dum scribit. *Apud Romanos sextarius libram vnam semissem, & sextam illius partem pēdet, vt omnes simul iūctæ vnciæ sint viginti, quas plurimum cornibus metiūtur, incisis extrinsecus lineis quibusdam orbicularibus*. tot enim vncias, libralis vna mēsura, non continebat. Neque verò miretur aliquis, aut suspicetur id esse non posse, quoniam parua sint boum cornua, neque tantæ capacitatis, vt duas liquidorum corporum libras tuto capere, contine-reque possint: Cum idem Athenæus ibidem referat ex Theopōpo, Reges Paeonum pocula magna ex cornubus facere solitos, quibus labra vel auro, vel argento operiebant: quoniā. s. egregię magnitudinis boū cornua apud illos nascātur; & ita, vt vel tres, vel etiam quatuor Choas capiant. Vtcunque verò de sextario sit, certum est ex Galeno mensuralem liquidorum eiusmodi libram apud Romanos in vsu fuisse, & eam vncias duodecim continere mensurales, quæ longè differunt à ponderalibus, & sola nominis communione, vel proportione quadam, & analogia, cum prioribus illis, quemadmodum etiam libræ cum libris conuenire dicuntur: Pro quibus inuicem distinguendis, & separādis, mos erat medicamenta scribentibus, vt, cum ponderalem intelligi vellent, & in alicuius medicamenti compositione talem libram assumēdam forè cēserent, adderent signum eiusmodi. *pondo.* quod etiam nulli coniunctū, sed per se sumptum, libram vnam, & eam ponderalem præseferebat. cū

verò

vero mensuralem intelligebant sumptitandam fore libram, *mensuræ*, pariter addito nomine distinctè significabant; vel sublato tātùm eo signo, *pondo*, illud idem confuse tamen; aliquando protendebant. Quanquam etiam reperiatur libra pro pondere sine vlla posita additione, sine vllo signo. Ponderis libram, addito signo illo, *pondo*, Galenū, & alios præscribere consueuisse, demonstrant omnes ferè medicamentorum descriptiones in cunctis septem de pharmacorum compositione secūdum genera libris ab eodē Gal. relatę. Mēsuræ verò libras, & vncias cū addita noīs explicatione sępe quoq; Galenū assumendas esse pręcepisse, multa pariter, & à se, & ab alijs cōscripta medicamēta demōstrāt. Nā si de libra loquamur, habemus primo de cōposit. med. sec. genera cap. 13. Galenum in albo Attali Emphastro tali modo loquentē. *Argenti spumæ, & cerusæ singulorum libra pondo, olei verò duarum librarum mensura.* Qui deinde lib. 2. c. 12. de ruffo quodam medicamento verba faciens, inquit, *si mediocriter emplastrum coquere voles, tantam olei mensuram, quantum Argenti pondus esse sufficit. Libram enim olei mensuralem Romanorum in argenti spumæ libram ponderalem inijciemus.* Quibus verbis consimilia quædam. 6. de comp. per genera cap. 8. subaddidit. *expertus*, inquiens, *plerunque sum, cum argenti spumam ex oleo coxissem, mediocrem ipsius mixtionem, si libræ argenti spumæ ponderales sint, mensuralibus olei pares fieri.* Quod idem pluribus alijs eiusdem locis confirmari posset, in quibus mensurales præscripsit in medicamentorū quorūdam, compositione cum explicatione, *mensuræ*, libras olei sumendas esse, nec olei solum, sed liquidorum aliorū, vti, 2. eod. lib. c. 22. in aceto cognoscitur, dum in barbaro Galeni scribit. *Aceti heminas sex, quæ valent libras quinque.* intelligit enim libras mēsurales, Heminā Romanam accipiens, quæ decem est vnciarum mensuralium, vt ipse clarissimè quandoque docuit. nulla siquidē alia sumptione poterunt sex heminæ, quinque libras aceti conficere. Sed hæc de Libra sufficiant. Quod si de mensuralibus vncijs quoque loquamur, non deerunt euidentia pariter Galeni testimonia, quibus ipsum ijs cum explicatione, & indubitanter in medicamentorum quorundam compositionibus vsum esse facillimè dignoscemus: non solum enim mensuras aliquas per vnciarum mensuralium capacitatem explicauit, vt in hemina primo de comp. per genera 17. dum Asclepiadis album perpendit emplastrum, apparet, in quo cū duas heminas olei præcipiat Asclepiades sumendas esse, Galenus hæc habet. *Hoc pharmacum olei modicum continet, si quis heminam statuat valere vncijs nouem Romanis, quæ in cornibus cōsuetis libralibus descriptæ sunt.* Quod in eadem mensura quoque sæpius ab eo repetitur, dum

 varias

varias ipsius differentias explicat, quippe cum Heminam Romanos af-ferat decem, Atticos nouem, alios duodecim, alios etiam sexdecim vnciarum, *mensuralium*, facere. Non solum, inquam, in ijs, & alijs mensuris, vncias mensurales, veluti contentas in illis (quemadmodum etiā in libra) recensuit, & nominauit: verum etiam expressius adhuc earundem separatim ab alijs meminisse videtur. Etenim. 6. illo de comp. per genera cap. 8. sic ait. *si tres olei mensurales vncias, cum tribus Argenti spumæ ponderalibus temperabis.* & iterum, *consentaneum est igitur Andromachum nouem vncijs mēsuralibus oleum ricini immitti iubere*. atque iterum clarius octauo de comp. per locos, dum de cerato quodam ex aloe, mastice, cera pontica amara, & vnguento nardino confecto, loquēs, hęc ait, *Componitur hieme ad octo drachmas cera, vncia vna mensurali Romana vnguenti nardini coniecta, æstate autem ad septem drachmas eadem vnguenti portione*. Atque tot in libris & vncijs dum certo aliquo posito signo adinuicem distinguuntur. Nam vbi deinde contingat, vt sine vllo signo, quod pondus, vel mensuram protendere possit, libræ, & vnciarum mentio fiat: quanquā placuerit aliquibus eas (deficiente plus vsitata declarationis ea nota, *pondo*) pro mensuralibus accipiendas esse constituere: quoniam tamen aliquando reperitur etiam, vt dicebamus, libra pro pondere sine vlla explicationis aliqua nota; & vtriusque signi, tam. s. pondus, quàm etiam mensuram significantis, eadem ratio videtur esse; nos non audemus sic vnciarum, vel libræ nomen sine vlla positum adiectione, statuere mensuræ magisque ponderis esse; sed potius incertum, indifferens, ambiguumq; nomen fore censemus, & quod vtrique tam. s. mensuræ, quam ponderi adscribi, referrique possit: Cum ipsum quoque Galenum adducto loco superius. 6. de comp. per genera 8. sic indifferenter accepisse cognouerimus, dum Medicos inquit liquidorū vncias, & libras in medicaminibus immitti iubentes, nec explicātes, an illas ponderales, vel mensurales intelligant, parum accurratos extitisse, proptereaque nobis ambigēdi locum, & occasionem vtro duorum modorum debeant intelligi, reliquisse.

His breuiter itaque de Libris, & Vncijs quatenus liquidorū mensuræ sunt, explicatis, ad Sextarium deueniamus; & ex Galeni doctrina sumentes (quidquid alij, cum nihil nobis modo cum illis, existimauerint) illum mensuram esse, vigintique mensurales vncias capere, sextam fore congij partem, & duas heminas continere Romanas, quam breuissime demonstremus: vt ijs declaratis, & intellectis facile deinde suo loco possimus, mensurales libras reducentes ad pondus, quæ sint illæ Galeni decem mellis in compositione Theriaces propositę libræ, colligere, & certa post-

ta postmodum experientia duce cognoscere & explicare. Sed præstat nonnulla primum de Sextario Galeni verba referre, ex quibus dictorum plurima colliguntur; deinde distinctius, & speciatim magis, ea cuncta paucissimis confirmare. Scribit igitur primo de comp. med. sec. genera capite 16. Galenus ad verbum. *Cæterum Sextarij Romani Heram memi nisse puto, nam apud Athenienses neque mensura, neque nomen hoc erat. Nunc ex quo Romani imperare orbi cæperunt, nomen Sextarij apud omnes, qui Græca lingua vtuntur, existit: ipsa verò mensura Romanæ æqualis non est. Quippe alij aliam sextarij mensuram vsurpant. Apud Romanos Sextarius libram vnam semissem, & sextam eius partem pendet, vt omnes simul iunctæ vnciæ sint viginti, quas plurimum cornibus metiuntur incisis extrinsecus lineis quibusdam orbicularibus. Nonnulli falsò Romanum Sextarium opinati sunt octodecim mēsuralibus vnciis valere. Videtur igitur & Heras cuius Heminam scribit Sextarii dimidiū indicare. An verò nouem vncias ex librali cornu, vel decem innuat, etiam nūm ignoratur.* Hæc ille. Quæ sane verba primo demonstrant Sextarium mensurā esse, nempè qui constet ex vncijs, quas cornib. metiuntur, immo verò qui clare, *mensuræ*, nomine à Galeno vocetur; cum dicat apud Athenienses neque nomen neq; *mensuram* hanc extitisse; deinde verò nomen, & mensuram quoque, sed variata parumper capacitate, receptam; cum alij, scilicet, aliam sextarij mēsuram vsurpauerint. Quā veritatem non solum Phānius, seu quisquis ille sit de mensuris, & ponderibus autor, sæpè confirmauit: tunc verò potissimum cum Sextarium in totidem docuit partiri Cyathos, in quot vncias, libra ponderalis illa secabatur. ait enim

Quod si mensuræ pondus comparare fas est.
Sextarij cyathus pars est, quæ est vncia libræ.

Verum etiam Horatius, qui primo Sermonum libro, satyra prima vini mensuram fuisse Sextarium testatus est; vbi dicit

Nescis quid valeat nummus, quem præbeat vsum.
Panis ematur, olus, vini Sextarius ——

Sed hæc (quidquid voluerint aliqui) clariora in Galeno sunt, quàm vt alia diligentiori probatione egeant. Demonstrant eadem hæc verba secūdò Sextarium vncias viginti capere, & eas mensurales. Viginti quidem, quoniam tantas, & non pauciores; ob quod illi, qui octodecim capere crediderunt, vt inquit ibi Galenus, decipiūtur. Quam veritatem cognouerunt, & alij Plures: quanquam non defuerint, qui vigintiquatuor vnciarum esse cēsuerunt, & alij, qui longe maioris capacitatis adhuc; atque item alij, qui, longè minoris. Sed nos cum Galeno loquentes

nullo modo debemus ambigere talem, qualem dicebamus, veram eius esse capacitatem. Mensurales autem non ponderales, eo quoniam capit viginti, vt scribitur, vncias, ex ijs, quas cornibus metiuntur; quæ certè mensurales existunt. Quòd tanto magis cognosci potest, quanto verbis clarissimis Galenus addit eos decipi, qui credunt Sextarium octodecim solum valere mensuralibus vncijs, vbi de Romano loquamur; capit. n. viginti; quæ proinde mensurales & ipsæ censeri debent. Et iure quandoquidē nequit vna Sextarij sic in communi, & ad nullam vel humoris, seu corporis liquidi, vel aridi, & sicci capacitatem contracta natura, nisi per vncias mensurales, vt quæ cōmunes omnibus fixæ permaneant, immutabiles, & inuariabiles; non autem per ponderales, admodum variabiles, præfiniri. tales etenim vnciæ dum alcuius mensuræ capacitati referuntur, inconstantes, & pro contentorum corporum, (siue illa liquida, siue sicca, & arida fuerint) varietate, variæ, diuersęque cognoscuntur. Vt proinde si certarum quarūdam vnciarum ponderalium Sextarius mensura constitueretur, necessum esset pro corporum diuersa grauitate, diuersos reperiri Sextarios tū in liquidis, tū in aridis etiam, (Quidquid de liquidis Leonardus ille de Portis Iurisconsultus in suo de Sextertio, Pecunijs, ponderibus, & mensuris antiquis excogitauerit) cum in vtrisque notatu digna diuersitas reperiatur in pondere; & sint inter liquores, qui tertia, & amplius etiam parte, grauiores aliquibus forè dignoscantur. Quod sicuti institutæ doctrinæ, in qua quæritur communis vna sextarii natura, repugnat: ita quoque Galeno, mirum in modū aduersatur: quippe qui statuat non sextarij solius, sed omnium mensurarum, quæ vel sextarij partes existunt; vel à sextario dependent, & componuntur, eandem cuiuscunque liquoris esse capacitatem, quanquam inuicem illi pondere, grauitateque differant. Indicauit id primo de cōp. secund. genera cap. 13. dum Heræ quoddam medicamentum tetigit illi consimile, quod ex Attalo paulò supra descripserat; ait enim Heram vetus oleum inijciendum esse iussisse, atque illi parem aquæ mēsuram, aut dimidiam esse temperandam. Quam mensuram explicans inde, per Heminas declarauit: ac si tum olei, tum aquæ sit vna, & eadem mensuræ capacitas, sitque amborum mensura par: quanquam grauitas, & pōdus ipsum in vtroque sit dispar. Quorum alia plurima passim apud Galenum inueniuntur, puta eodem lib. ca. 17. lib. 3. cap. 9. & de Sextario. 7. de comp. secundum locos cap. 4. vbi *Vini Falerni*, scribit, *Sextarium vnum, Mellis Attici tantundem*, atque de cęteris mensuris alibi pluries. Sextam verò congii partem esse Sextarium; non est vt multis comprobare nitar, cum aperte Galenus lib. 6. de compos. secundum, locos cap.

de

quitur. *Multitudinem autem ſucci Congium eſſe iubet, hoc eſt, Sextarios ſex Romanos.* & Phannius inde Sextarij nomen habuiſſe ſcribat, dum hæc ait

A quo Sextarij nomen feciſſe priores
Crediderim, quòd eos capiat ſex Congius vnus.

Et alij quicunque ferè de menſuris ac ponderibus diſtinctè ſcripſerunt hoc idem affirment. Poſtremo Sextarium duas Heminas cõtinere, atq; Heminam dimidiam eſſe Sextarij partẽ, relata ſuperius Galeni verba demõſtrant, dum in fine dicebat. *Videtur igitur, & Heras cum Heminã ſcribit Sextarij dimidium indicare* . confirmant & Phannij carmina, quæ ſequuntur:

At cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas Sextarius vnus.

Quòd & alij plerique teſtati ſunt. Quanquam Heminæ nomen multiplices apud Græcos differentias habeat, & ſicuti Galenus inquit eo. 6. de comp. med. ſecundum Genera cap. 8. *multi, qui de menſuris, & ponderibus ſcripſerunt, nouem vnciis Romanæ libræ Heminam medicos in pharmacorum libris æſtimaſſe prodiderint; alii duodecim vnciis, ab eis reputari affirmauerint, ſicuti Romæ olei libram de more appellant, & fuerint qui Heminam à Medicis in Pharmacorũ cõmentariis ſexdecim uncias Romanas pendere docuerint.* Atque tot ea ſunt, quæ de Romanorũ menſuris ijs, quarum notitia ad præſentis ambiguitatis intelligentiam maximè confert, pręmittenda cenſuimus. Cũ de reliquis copioſe ſatis ab alijs diſputatum ſit.

Perpenduntur rationes adductæ pro confirmatione opinionis oppoſitæ; & primæ ſex è medio tolluntur. Cap. XI.



Ræparatis medicamentis, & ijs ad vſum accommodatis, reliquum eſt, vt octo nobis, à totidem Aduerſariorum telis illata vulnuſcula ſanare primum; mox etiã, vt illorum arma dirumpere, illa frangere, & emiſſa iacula prorſus conterere, ac omnes tãdem conatus eorũ vanos, & irritos reddere ſtudeamus: quo. ſ. nequeant amplius eiſdem, aut conſimilibus armis inſurgere, & veterem hãc, temporis diuturnitate, tacitoque omnium conſenſu probatam conſuetudi-

nem

rum placitis argumentis,& rationibus vndique reſpōdere. Quapropter exordientes à prima, ſex in preſenti capite accipiamus; ac duobus alijs (ne iuſto longius caput euadat) ſeorſum conſiderandis, modo relictis, prioribus illis, eadem, qua propoſitæ ſerie, & à nobis in ordinem digeſtę ſunt, ſingillatim nūc temporis occurramus. Illud primum eos omnes, ad quos ſuperior doctiſſimi Iuuenis diſputatio delata fuit, & hęc noſtra fortaſſe peruenient, diſtinctius nunc admonentes, impoſita nobis ab Aduerſarijs duo illa ſuppoſita, puras eſſe fictiones eorum, & mera commenta; nulli vel modice in Galeni doctrina verſato, aut in menſuralium librarum, & ponderalium differentia noſcenda parumper etiam accurrato ſic imponenda. Quis enim. qui Galenū 6. de compoſitione Pharmacorum ſecundum genera cap. octauo, ſcribentem hęc, legerit. *Ego ſanè olei libram Romæ, vocatam, quam per diſſecta cornua metiuntur, ponderaui quandoque diſcere cupiens quantum grauitatis pondus contineret, inueni duodecim olei menſurales decem vnciis ponderum æquales.* & quinto eorundem librorum cap. 6. ita loquētem audierit. *Nā Attica*, de Hemina loquēs, *nouem Italicas vncias conficit, pendent. n. nouē Italicæ vnciæ, quas in cornibus inſectis metiuntur, septē vncias ponderales, & ſemis*, ita ſtupidus erit, vt non intelligat non ſemper vncias menſurales, ac proinde nec etiam libras, ponderales ipſas tum vncias, tum libras excedere & ſuperare? Quis ita cœcus, vt, ſi quandoque libros vtroſque de Pharmacorum compoſitione, tam. ſ. ſecundum genera, quam etiam ſecundum locos inſpexerit, non rectè viderit, non arida ſolum aliquando menſurari, ſed etiam liquida è contra lance præfiniri nonnunquam, & veluti metallica ponderari? Et quæsò, Qui difficultatis huiuſce rationē ex Galeni verbis exortam, cum Medicos inquit in liquidorum eorum corporum, quæ medicamenti alicuius compoſitionem ingrediuntur, libris, aut vncijs præſcribendis, & ſine vlla explicationis nota, ponendis, ambiguos nos reddidiſſe num ponderis, aut menſuræ libras, & vncias liquidorum illas aſſumere debeamus, intelligens; audebit aſſerere, & affirmare liquida menſuralibus ſemper (vt nobis aduerſarius imponit) & nunquam ponderalibus libris ab Autoribus definiri? Nullus profectò, Nullus. Quare non ſunt à nobis, (vt nec à noſtris) iſthæc vnquam, neq; per ſomnum viſa, aut excogitata: nec erat, vt Iuuenis eruditiſſimus in ijs reprobandis olei tantum & operis luderet.

Quibus præmonitis, & declaratis, ad argumēta, & rationes aduerſariorum è medio tollendas iam accidentes, ad primam dicimus, maiorē ſi rigoroſe ſumatur) eſſe veriſſimā, Galeni doctrinę conformem, & à no-

bis

bis concedendam atq; ita sumptam, nullo modo negatiam, quippe qui fateamur indifferẽs esse libræ nomen,& quoties nulla explicationis nota,nullo signo,quod pondus, aut mensuram expresse significet,ab autoribus proferatur,toties, vbi de liquidis sermo sit,ambigi posse, num debeat ad ponderis,an verò potius ad mensuræ libram nomen illud extendi. Quanquam probabilius,atque ipsius Galeni doctrinæ conformius (vt rectè docebat Agricola) sit, saltem suspicari,& existimare, vbi signũ illud,*pondo*,defuerit,significari mensuram. Quod forsan ex 22.cap.libri secundi de Pharmacorum compositione per genera colligi potest,in ea Barbari Galeni descriptione, vbi sex præcipit autor Heminas aceti sumẽdas esse,*quævalent*,inquit,*libras quinque*, Patet autem libras illas esse mensurales;quoniam cuiusuis Heminæ siue Romanæ, siue Atticæ, siue alicuius alterius mensura sumatur,nulla capiet libras quinque ponderales aceti:neque etiam ipsa Romana,quemadmodum in vino,quod eiusdem cum aceto ponderis est, diligenti computatione facta,suo loco monstrabimus. Veruntamen quoniam non ex ijs,quæ,quanquam vt plurimum contingere possint,necessaria tamen non sunt,solidæ,ac veręargumentorum solutiones petendæ sunt;&(sicuti dicebamus)inuenitur etiam aliquando sine vlla notæ alicuius additione,libra à Latinis vsurpata pro pondere: idcirco maiori eiusmodi propositione concessa;nec non altera eiusdem admissa parte, nimirum quoties adsunt vel præcedentia,vel subsequentia signa præseferentia, significantiaque Libras sine vlla explicationis nota propositas ab autoribus,ponderales esse,non posse nos illas nisi pro talibus,non autem pro mensuralibus accipere,& intelligere, dicimus minorem propositionem, dum in illa statuitur cętera cuncta in descriptione Theriaces põdere dimetita, signum esse sufficiens,vt deducatur,& colligatur cętera quoque subsequentia, propterea que decem libras mellis a Galeno propositas, ponderales esse, non autem mensurales,esse falsissimam. Primò,quoniam,sicuti superius etiã aliquando innuebamus,si sic esset, nõ bene Galenus in proposita autoritate 6.de compos.med.sec.genera, cap.8.veteres illos,compositorum quorundam medicamentorum autores,in eorum descriptionibus accusaret,quod in liquidorũ libris explicãdis,& vncijs minus accurati videãtur,& nos ambiguos admodũ,& incertos vndiq; reddant,an libras illas, & vncias mẽsuræ,vel ponderis intelligere debeamus. Cum.s.ipsi quoq; cętera,quæ Pharmacorum illorum compositionẽ ingrediuntur,pondere pręfinire,& ad lancẽ dimetiri consueuerint. Quare,si propositæ post ea cuncta ponderata,liquidorum corporum libræ,vel vncię ab eisdem, non sunt à Galeno veluti ponderales acceptæ,sed pro ambiguis, & incertis

certis habitæ, neque etiam nos, quanquam cætera, quæ in descriptione Theriaces ante Mellis libras illas enumerantur, pondere præfinita, & ad lacem dimetita sint, tuto colligere, aut inde veluti certo, sufficientiq; signo, debemus ponderales illas, non mensurales, esse deducere. Secundo quoniam, cum non minus ab ijs, quæ consequuntur, quam à præcedentibus, ex aduersariorum Sententia quoque, signa capi, & argumenta desumi possint, quibus agnoscere, & existimare debeamus, an propositæ liquidorum corporum libræ ponderales, an verò mensurales existant: Vtique nos eadem prorsus, immo forte probabiliori quoque ratione poterimus ex ijs, quæ de vino constituta post mel à Galeno fuere libro de vsu Theriaces ad Pamphilianum, elicere, & argumẽtari libras illas esse mensurales: cum certo constet mensura vinũ ab ipso fuisse pręfinitum, & ad duorum sextariorum capacitatem esse determinatum. Quod tanto quoque certius, aut probabilius saltem, credendum erit; quanto constat (potissimum si Iulij Martiani Rotæ traductionem accipiamus) cuncta, præter vinũ, & mel, quæ in ipsius Theriacę cõpositione medicamẽta siue simplicia siue cõposita (cuiusmodi pastilli sunt) vsuveniunt, & assumũtur, hoc addito signo, *pondo*, determinata, & nõ sine explicationis ea nota, superiori loco relata, & à Galeno, præfinita ex Andromachi sñia fuisse; ipsum autẽ vinũ & mel è diuerso nullo signo, nulla põderis addita nota determinatum; sed mellis quidem libras decem, vini verò binos sumẽdos esse sextarios ab eodem fuisse constitutum.

Quapropter ad alteram, quæ tum secunda principalis ratio, tum verò prioris illius confirmatio nuncupari potest, nunc respondentes, asserimus nunquam nos mellis decem libras illas, ob id quoniam liquoris, aut corporis liquidi sint, mensurales, non autem ponderales fore dispũtasse: sed cum liquoris vnius ex illis existant, quorum, & cuius proinde (quemadmodum patet ex libris vtrisque de compositione pharmacorum, tam. s. secundũ genera, quã ẽt secundũ locos) mensura, potius quã pondus in compositionibus medicamentorum assumi, præscribique solet, sæpius etenim legimus, *mellis Heminã, Cyathũ, Sextariumq;*, aut vnum, scilicet, aut etiam plures ab Autoribus præcipi Pharmacis quibusdam iniiciendum, aut permiscendum esse, ambigendum potius fore cẽsuisse, & æqua pariter ratione dubitandum, num mẽsurales, an verò põderales illę censeri, constituique debeant: cum nulla nos ratio cogat, vt ponderales illas esse concedamus. Quæ cum verissima sint, iure sequitur, vt apud nos non repugnet ailqua ex ijs, quæ in compositione Theriacæ sumuntur, & inter liquida reponi possunt, pondere præfiniri, mẽsura verò nõ determinari; Quale præ cæteris oppobalsamum est. Quoniam,

niam, scilicet, eius ad reliqua symmetria, proportioque non ex copia, multitudineve, sed ex pondere potius, & grauitate sumenda compositori talis Antidoti videbatur. Iam verò satis aperte Galenus alio loco docuerat ea, quorum ad alia proportio, symmetriaque ratione grauitatis inuenienda, siue petenda videtur, ponderanda fore, non mẽsuranda, per lancemque dimetienda, atq; sic reliquis omnibus, vti medicamenti cõditio, compositioq; postulat, coæquanda. Addimus, quòd quãuis opobalsamum inter liquores enumerari, recenserique possit; non tamen est inter eos reponendum, quorum occasione præcipuè Mensuræ pro medicamentorum compositionibus à Romanis inuentæ, excogitatęque sunt, & à Medicis vsurpari consueuerunt: tales enim fuere uel solum, vel maximè, saltem, Oleum, Vinum, Acetum, Aqua, & ea, quæ solent ad aquam aliqua ratione referri, postremoq; Mel (quemadmodum omnes illi ferè, qui de ponderibus, & mẽsuris eruditè scripsere, nos docuerunt.) Et quamquam, 7. de compos. secund. Genera cap. 14. Vascula quædam oppobalsami, Gleucini Medicamẽti descriptione recenseantur; id tamen semel, aut bis contingit ad summum; quemadmodũ euenit etiam, vt arida quædam, & sicca corpora aliquando vnius, aut alterius mensuræ capacitate determinentur.

Ad alteram verò ex aduersariorum fundamentis, & placitis rationẽ à nobis tertio loco desumptam; In qua. s. eruditissimus Vidua colligebat, & opinabatur, eam pro conuenienti mellis inuenienda, noscendave quantitate, proportionem eius ad primum corpus in compositione recensitum, scillinos. s. pastillos, inspiciendam, & ita seruandam esse, vt vicies eorum multiplicato pondere, deducatur &c. Nos respondemus hãc eius ad pastillos illos proportionem, hanc symmetriam, non esse multifaciendam, vt quæ voluntaria prorsus existat, & solo casu contigerit: Quippe cum æquè, multiplicatione variata, & adaucta, respondeant illæ eædem libræ trociscis viperinis, & tribus alijs simplicibus, quę in eadem classe reposita, sub vna communi dosi sumuntur: Quod & in alijs aliarum classium medicamẽtis, adhuc adaucta multiplicatione, continget. Quapropter ij, qui viginti librarum pondus conuenientem pro cõponenda Theriaca mellis quantitatẽ esse constituunt; bis vicies inquiẽt multiplicandam esse dosim, & pondus trociscorum illorum. Qui verò quindecim; præcipient, vt trigesies multiplicetur pondus eorum, & hãc legitimam, eadem prorsus ratione, quantitatem mellis ad talis Antidoti confectionem esse contendent. At illi, qui duplum ad totum ad vngũẽ, vt Oddus & socij, mellis esse sumendum superstitiose disputarunt; non solum hanc, sed alias omnes proportiones, & symmetrias, præter-

quam dupli æ ipsis inuectam, receptamque, omnino despicient, ac irridebunt. Nos aũt qui, sicuti mirã omnium Theriacã ingredientium corporũ proportionem adinuicẽ, admirabilem vniuersorũ commẽsurationem, & symmetriã celebratã ab alijs, multifaciendã, & æquis laudibus extollendã esse perpetuo censuimus; ita quoq; fatemur, & credimus aliquã mellis ad reliqua in talis Antidoti cõpositione symmetriã, proportionemq; reperiri: Veruntamen hanc lõge diuersam, & alterã ab ea fore putamus, quam vir eruditissimus excogitauit: quippe qui rectius eã non ad vnum ex ijs, quæ Theriaces compositionem ingrediuntur, sed vel ad omnia, vel ad sicca potissimum, & arida corpora referendam esse censeamus. Cum enim mel totius medicamenti veluti materia sit, ad omniaque simul ea corpora coniungenda, coniunctaque diu conseruãda conducat, & requiratur; oportet, vt non ad vnum, sed vel ad omnia, vel ad ea potissimum, quæ, vt simul aptè iungat, & vniat, excipere, retinereque debet, proportioue respondeat, & referatur. Quod forte Democrates indicare voluit in Mithridato cum dixit satis esse tãtum mellis, & vini sumere, quantum apte cuncta simul vniri, iungiq; possint (ad liquabilia. s. vinum referens, ad arida Mel.) Itaque si fiat mellis ad omnia comparatio, si proportio quæratur eius ad cuncta; erit illa, quemadmodum superius etiã innuebamus, proportio tripla ferè. Quàm, si quis ad vnguem in componenda Theriaca seruare maluerit, nos non morabimur. At verò si ad arida solum, & sicca corpora collatio fiat, ad quæ mel ipsum præcipuè referendum esse putamus; cum, scilicet, humida, & liquabilia vino macerata, læuigataque, satis conuenientem vnitatem, & consistentiam adipisci videantur, ac facile proinde ceteris couniri possint; aliam vtique dicimus eius ad illa proportionem (& eã magis quoque legitimam, atque rationabilem) esse. Quæ, cum ex duobus accipi possit, & peti soleat, ex pondere, scilicet, grauitateque, necnon ex mole, copia, vel quantitate: Hac nostra constituta mellis, pro componenda Theriaca dosi, perbelle contingit, vt à quouis altero duorum proportio sumatur, semper res cadat in idẽ; proportionis, ac symmetriæ nulla diuersitas, nulla permutatio fiat; sed eadẽ mellis seu quantitas, seu pondus proportio perpetuo cõsurgat; & queãdmodum vnũ alteri, ita alterũ vni perquisite respondeat. Nam si proportio capiatur à grauitate, cum mel sit quadruplo speciebus ipsis, & siccis corporibus (vt docuere Serapion, & Auicennas aliquando, immo verò vt à nobis obseruatum est) põderosius, & grauius; vtique par amborum portio, infallibilisque proportio fuerit, quoties pro singula libra mellis, tres corporum contritorum, ac specierum vnciæ sumentur, & inuicem permiscebuntur. Si verò

sit

sit à copia, seu multitudine symmetria facienda, & ambo eiusmodi corpora coæquanda; tanta mellis, quanta siccorum corporum, & specierũ est multitudo, copiaque sumatur; & hæc, eadem ratione prorsus, & eodem modo sibi respondebunt, neque pondus, neque mensura variabitur, aut mutationem, & differentiam aliquam effatu dignam sortietur. Vnde sic optima corporis vtriusque, sicci nimirum seu specierũ, ac mellis, vnio, permixtioque, minimis scilicet illis suscipientibus, & minimis alijs exceptis inuicem optime coæquatis, ac sibi respondẽtibus, orietur: cum Mixtio, quanquam ad minima diuisio non sit, eam nihilominus miscibilium diuisionem ad minima (vt Aristoteles, & potiores Peripatetici docuerunt) præsupponere videatur. Siue igitur tanta copia mellis, tamquè capax illius Mensura sumatur, quanta specierum, & contritorum corporum est multitudo; & è contra si quanta copia mellis, tãta siccorum mensura sit (eo modo tamen, quo trita solent, siccaue corpora mensurari, non ipsis aliquali imbutis humiditate, vel à manu comprimente compactis) siue, si tres puluerum vnciæ pro mellis vnaquaq; libra sumptitentur, tunc neque pondus à quantitate recedet, neque etiã quantitas à pondere deuiabit, sed illa copia semper, ac pondus illud liquoris huius consurget, & orietur, quod tot annorum spacio, tantique temporis experientia comprobatum est optimè talem Antidotum in hac alma ciuitate perpetuo paratam, exigere, sibique determinare. Et quanquam nos (vt in superioribus innuebamus) non ita superstiosi simus, vt negemus omnino posse medicamẽtum hoc etiam minori mellis quantitate parari: Dicimus tamen, & liberè profitemur isthanc inter omnes mellis ad species proportionem, optimam, legitimam, & maxime rationabilem censendam esse, fortasseque forè terminum, vltra quẽ in ipsa mellis quantitate præscribenda progredi tutò non licet. Hæc sũt arcana, quibus moti Maiores nostri, tacito illo consensu, talem mellis copiam in vtriusque Antidoti compositione perpetuo sumptam, nõ reprobãtes, approbare voluisse visi sunt. Hec si Iuniores intellexissent, nouas eiusmodi ambiguitates non introduxissent. Hæc sanè nos varijs ẽt, & validissimis rationibus persuaderi, confirmarique posse censemus: & ex natura conditioneque mixtionis, ac formæ, tot ex simplicium vnione, coniunctioneque, sicuti Galeno placet, suborientis, & resultantis, facile quoque comprobare studeremus, nisi multa, quæ sanè prius partim explicanda, partim verò supponenda sese nobis offerrent, ab instituto nos morarentur: non solum enim mellis officium, sed vini munus examinandum, & inquirẽdum à nobis esset; quæ liquabilium pariter, & inter ea lachrymarum, & gummi necessitas in talis Antidoti compositio-

ne rotet, vlterius eſſet inueſtigandum: ac inſuper alia plura rigoroſo ſubiicienda forent examini, & perquiſitè conſideranda. Quæ quoniã prolixiori ſermone tradi, vberiorique oratione doceri deberent, & integrũ vnum per ſe ipſa volumen expoſcerent, prætereũda potius, & viris doctiſſimis alijs, qui talia diligentius ſuſcepere tractanda, relinquenda cẽſuimus. Cum ſola noſtra ſit intentio nunc rationibus iis, quæ ab aduerſarijs propoſitæ ſunt, vel ex eorum fundamentis elici poſſunt, vndique ſatisfacere; non autem nouas ſuſcitare quæſtiones, aut modicum etiam quid extra rem diuagari. Quapropter hæc pro tertiæ rationis imbecillitate demonſtranda, dixiſſe ſufficiat.

Ad quartam vero, ſeu quarto loco recenſitam à nobis, rationem eorum: admiſſo ſuppoſito, nempe minori, poſſe Theriacam mellis quantitate parari; cum, ſicuti paulò ſuperius innuebamus, non in illorum hæreſi ſimus, aut ita ſuperſtitioſi, vt exiſtimemus ſine ea certa, & indiuiſibili quantitate, menſuraque Mellis nobiliſſimum hoc Antidotũ haud confici poſſe: quanquã putemus nullo altero potiori, melioriqne modo (ſi ſit aliqua vera proportio, ſymmetiaq; ſpecierũ ad ipſum, aut eius ad ſpecies in compoſitione ſeruanda) quàm adducto ſuperius à nobis, illud idẽ parari poſſe. Ad eã, inquã, admiſſo ſuppoſito, cõcedimus conſequentiã, & præter alias, hac etiam ratione dicimus nos arbitrari nõ eſſe Theriacam minori mellis quantitate parandam, quoniam graue cenſemus imminere periculũ, ne proceſſu temporis aliquo nimis areſcat, & exſiccetur. Quare neganda pro reſponſione nunc nobis eſt ſalſitas conſequentiæ, vel conſequentis. Ad cuius primam comprobationem, quæ tota nititur autoritati Galeni tum cap. 14. libri de Theriaca ad Piſonem conſtituentis Antidotum ad ſexageſimum annum incolume cõſeruari, virtutem, & efficaciam adhuc habere; tum etiam libro de eiuſdem vſu ad Pamphilianum, docentis, & affirmantis recentem eſſe Theriacam, quãdo trigeſimum ſextum annum nõdum attigerit; quaſi velit Galenus in ijs innuere nunquam, niſi poſt ſexageſimum ætatis annum, accidere, vt medicamentum ab ipſo paratum areſcat, & exſiccetur; reſpondẽtes, dicimus primò comprobationem hãc nullam eſſe, quippe cum in ea ſupponatur idipſum, quod probandum eſſet, ac proinde principium petere videatur. Siquidem nos, qui libras illas mellis aſſumptas, & à Galeno determinatas, menſurales eſſe putamus: exiſtimamus etiam Antidotũ præſeruatum à ſiccitate fuiſſe, quoniam vel eadem, vel parum ab ea differenti copia mellis à Galeno paratum ſit, quam ſolent noſtri Pharmacopolæ ad eiuſdem Antidoti compoſitionem aſſumere, & vſurpare. Quod ſi fortaſſis aliquis etiam, tot annorum experimento ſolum inni-

xus,

xus, hanc nostram, vt à Galeni diuersam, componendi rationem acciperet, & vndequaque probaret; propterea que libras illas ponderales esse concederet; aliter quoque respondere posset, ac omnem ratione, & caussam cur illa Galeni Theriaca tot per annos maneret humecta, & à siccitate diutius præseruaretur, asserere vel in mellis Attici qualitatem esse referendam, vel in vini Falerni copiam, immo verò conditione, atq; naturam; cuius, vel alicuius alterius illi consimilis inopia, defectuque, tanta non solet à nostris Cretici illius Maluatici, quod Falerni loco nũc subrogatur, & substituitur, in compositione Theriaces copia sumi, quãta Galeni tempore sumebatur: timent enim, & iure, ne (cum vinum illud ferè semper adulteratum ad nos deferatur) temporis tractu, medicamentum totum acescat; sicuti post tertium annum, ex maiori vini quãtitate, ab inexperto viro quandoque talis in Antidoti cõpositione sumpta, Galenus idem euenisse testatus est. Quod illos, qui talia nunc certo cupiunt (sed cito nimis) experimento dignoscere, diligenter attendere; & inde monitos esse velim, ne, celeres in faciundo iudicio, decipiantur: dũ sexto transacto mense facile putant discerni, & agnosci posse, nũ aliquod conditionis eiusmodi vitium, sit ipsum Medicamentum in posterum contracturum. Cœterum, ad eandem consequentis illius falsitatis comprobationem altero nos, secundoque modo respondemus; Galenũ .s. inquientes, quoties asserit Theriacam aut ad trigesimum sextum annum vsque recentem, aut ad sexagesimum integram, & incolumem seruari posse, toties aliud voluisse nobis indicare, quàm prædictam Antidotum tot annorum spacio semper, & vbique non exsiccatam, aut aridam, sed ab externis, & ambientis iniurijs incolumem, præseruari: quippe qui rectè nouerit ab immodico ambiẽtis calore, immo verò & à summo frigore, sępè contingere, vt, quæ suapte natura sunt humidissima, ea vel humore compresso, sicut à frigore fit, condensentur; vel eodem foras euaporante, resolutoque, vt à calore, siccentur: Quique sciebat Theriacam Romæ confectam, alibi quoque componi posse, & in calidis admodum Regionibus, sicut etiam in frigidis, præparari, aut alijs forte pręparatã in locis, ad easdẽ Regiones afferri, nõ repugnare. Quod autem nos putamus, & dicimus illum indicare voluisse, nihil aliud est, nisi temporis vltimum, & summi vigoris ipsius Antidoti terminum demonstrare; seu, quàm sint vires in eo longęuę, distinctius nos edocere. Quas proinde vires eo loco dixit, quanquam remissas, nec in eodem gradu, tamen aliquales, ad annum sexagesimum vsque retinere, conseruareque posse: & quas, non proinde, si siccaretur, & arida quandoque fieret, prorsus amitteret; cum, additione mellis easdem, quanquàm imbecilliores, iterũ

(vti Damocrates docuisse videtur) adipisci, recuperareque posset. Ceterum argumentari propterea, quoniam Galenus eiusmodi siccitatis ab ipso medicamento contractæ, vel contrahibilis, nullibi certo meminisse videatur, impossibile fore, vt, si paretur eo modo prorsus, quo parabatur ab ipso (dato.s. non concesso tñ, vt libris illis pro ponderalib. intellectis præpararetur Antidotus) perarescere, siccariq; possit, est error manifestus, & graue peccatum in logica, in qua didicimus nullo modo licere propositionis alicuius veritatem, immo verò neque probabilitatem ex autoritate negatiua colligere. Quemadmodum impium, & indignũ esset, vt ideò minus rectè Venetijs eiusmodi Pharmacũ pararetur, quoniam soleant (sicuti revera solent, & magna profecto cum huiusce inclitæ Ciuitatis existimatione, famaq;, magno cum ipsius honore, addo etiam vtilitate non spernenda ciuium, qui in hac eadem Ciuitate non Theriacæ solius, sed rerum insuper multarum aliarum mercaturã exercent) singulis annis & huius, & Mithridaticæ confectionis copiam, variarum nationum homines, tum mercenarij, tum nobiles etiam, Angli, Germani, Poloni, Galli, postremique (sicuti diebus contigit elapsis) etiã Persę ad suas reuersi domus, & regiones adducere, aut nondum reuertẽtes, per alios afferri curare: Vt proinde nullum immineat periculum, ne nimis Antidotus in hac ciuitate, vbi singulo biennio, vel ad summũ triennio componi solet, arescat, & exsiccetur. Impium, inquam, & execrabile foret, vt, ob id Pharmacum hoc nobilissimũ alio, quàm optimo illo modo pararetur, ac tali, vt sua consistentia seruata, posset quocunq; deportaretur, ad plurimorũ annorum spaciũ perdurare, & vltimũ sui terminũ (quantũ per nos fieri potest) immutatum attingere. Seruatur enim gloriosè Venetorum Theriaca multas apud Nationes eas, vti nobis relatum est, pluribus annis ad multos pariter, & varios vsus incolumis. Vnde si permuata, diminutaque mellis quantitate, deinde cõtingeret, vt citius modo, quam prius in Regionibus illis, ad quas ea, maxima copia deferri solet, exsiccaretur, & arida fieret; suspecta forsan gentibus illis ea redderetur, & in contemptum prorsus abiret. Vnde spreta, relictaque nostra, Regionum illarum Incolæ alteram melioris cõsistẽtię, diutiusque perdurantem (non sine aliquali, & non spernendo, ciuitatis huius incommodo) à tot alijs Prouinciis, & Ciuitatibus, vbi tanta, quanta nos vtimur (sicut abunde superius demonstratum à nobis est) mellis quantitate, prædictam conficiunt Antidotum, studiose contenderẽt. Iam verò, quam Mentis Damocratis recitatis supra carminibus consulentis, vt si Pharmacũ temporis diuturnitate siccesceret, illi Mel adderetur, intelligentiam, & explicationem Iuuenis noster eruditissimus affert,

sent, ea mihi videtur, vt vera fatear, insigna Damocratis: Quippe qui,
post sexagesimum annum exsiccatum Antidotum, Melle cõsuleret, immo uerò doceret reformari posse; consuleret, ac nos doceret Theriacam tunc reformare, cum prorsus Theriaces uires amisit, & ad vltimũ perducta senium, immo iam mortua, Theriaca non amplius vocari posset. Foret autem valde ridiculum hanc post tempus illud refectam adhuc, ac reformatam, asserere, & admonere proficuam quidem, & vtilem euasuram, sed imbecilliorem attamen, nec ita validam, vti prius erat: quẽadmodum cecinit carminibus ijs, ex Andernachi versione, Damocrates.

Tandemq; habebis vtile, quod valuit nihil,
Sed inferius eo, quod miscueris semel.

Cum, scilicet, clare Galenus libro de vsu Theriaces ad Pamphilianum, inueteratam dicat imbecilliorem esse recenti: recentem verò nuncupet illam, quæ nondum annum trigesimum sextum excessit: & subdat hãc, quæ post trigesimum sextum annum ad alios morbos accommodatur, tunc illis auxiliari, prodesseque, cum prædictis non fuerit facta multorũ aliorum annorum accessio. Immo verò cum libro de Theriaca ad Pisonem 14. scribat aperte potens esse medicamentum ad trigesimum annũ vsque, & in illis affectibus, vbi tanta noxæ causa non est, sufficere dicat, cum vsus exigit, vel sexagenarium; ac tanti spacij terminum addat admodum exoletum, ac imbecille, pharmacum, reddere. Quare vanum, & risu dignum monitum illud Damocratis esset, dum post additum Mel imbecilliius, & ad agendum infirmius, ac illo cui semel fuerit iniectum Mel, inferius reddi medicamentum affirmat, si post sexagesimum annũ addendum illi, non antea, mel intelligeret, & post vltimum senium reformandum esse consuleret.

Ad secundam falsitatis eiusdem consequentis confirmationem, quæ certo quodam experimento demonstrare conantur ita paratum Antidotum plurimo annorum spacio seruari, nullaque siccitate contracta, manere semper humectum: pro quo Doctissimus Vidua multorum testimonia, propriaque eorum manu subscriptas ostensurũ fides aliquas, & (vbi fuerit opus) allaturum se pollicetur, nos respondemus totidem nobis à pari testimonia fore, totidem aliorum fides, qui iureiurando testantur se experimento sensato nouisse decem illis vt ponderalibus, libris mellis assumptis, & ijs confectam Antidotum, non multorum annorum spacio transacto, sic aruisse, vt omnino necessum fuerit ad consistentiam illius reformandam, iterum tantum quantum satis esse videbatur mellis adiicere; Quo experimento proinde rectius adhuc ipsa ve-

ritate

nitate dignota, nouis eiusmodi relictis inuentis, ad eandem, quam prius assumebant in talis antidoti compositione mellis quantitatem inijciendam, reuersi sunt. Sufficiet autem inter multos vnius peritissimi, & integerrimi viri testimonium adducere D. Galeatii nimirum cognomento Coccapani, Aromatarii Mantuani, ad Medici (vt vocant) Insignia. Qui diebus elapsis indubiè testatus est Ingenuum virum, & sicuti eiusdem scripta demonstrant, non vulgaris eruditionis, Dominum Antonium Berthioli, Serenissimi Mantuæ Ducis Pharmacopolam, composuisse Theriacam, in qua pro qualibet libra Mellis quatuor specierum vncias iussit immitti. Quæ post fermentationem, vt inquit, annorũ quatuor, exaruit ita, tãquè sicca reddita fuit, vt oportuerit omnino per incerniculum rarum admodum illam, addito melle, transfundere, & ad vsum aliquem accommodare. Quapropter hoc anno melius consulti Ciuitatis illius aliqui publice, grauissimorum virorum quorundam interuentu, assistẽtiaque celeberrimorum Medicorum Ciuitatis illius, tribus solis puluerum vncijs ad singulam mellis libram iniectis, eandem Antidotum gloriose pararunt. Hinc etiam fit, vt publica ab Aduersarijs ex quibusdam libellis impressis, proposita exempla, nullius apud nos considerationis existant: Quippe qui fateamur non defuisse quibus aliquã do compositionem, seu componendi rationem illam experiri placuerit. Quare non satis est illos in testimonium adducere, sed oportet, vt, quid de medicamentis, hoc modo paratis euenerit, omnibus etiam appareat, & publice constet. Iam verò sicuti, quæ Sartorius anno 1613. de Theriaca. 1612.s. anno confecta, publice scripsit, nullũ conueniens, ob modicum tempus, adhuc testimonium afferre possunt; cum à quarto potissimum anno, vel circiter, siccitatem euenire pharmaco sic præparato, diligenti sit obseruatione notatum. Ita, quæ (quanquam antea multo) memoriæ tradita inueniuntur à Vendrameno Menegazzi, nullius existimationis censeri debent; cum.s. non constet adhuc, quid illi Medicamento post quartum annum, aut quintum, certiori testimonio, quã scriptoris illius, euenerit. Cui multi forsan (vt ei, qui compositionis eiusmodi modum sic affectabat) non ita tutò credendum esse (nec sine ratione) contenderent. Maiori sanè fide dignus, & cui maiora quoq; credenda forent, vt quẽ inuiolabilis conscientiæ virũ nobiscum oẽs agnoscant, censendus, & habendus est laudatissimus, & doctissimus vir Dominus Ioannes Moratinus. Quem tamen nos excusatos habiturum, & æqui bonique cõsulturum fore non diffitemur, vbi non sibi, sed allatæ Theriacæ, tanquam illi, quæ clam, non publicè, & debitis cęrimonijs, non eorum præsentia confecta sit, quorum pro talis Medicamenti cõpositione

positione

positione requiritur non præsentia solum, sed etiam assensus, nullam fidem à nobis haberi præstarique sentiet. Atque tot pro quartæ rationis illius solutione, dicta sufficiant. In qua cum multa contineantur, multa quoque nos reprobare, iustoque forsan esse longiores oportuit.

Itaquè iam deueniamus ad quintam. Quam sanè nos duplici nomine peccare dicimus, duplicique ratione reijciendam esse censemus primò quoniam principium petit: siquidem id, quod probandum in illa foret, hoc est, modum hunc tanta mellis quantitate componendi Theriacam, à Galeni modo diuersum esse, veluti certum, & comprobatum assumitur. Secundò, quoniam, dum inueteratam consuetudinem hanc Aduersarij nostri, in minori propositione rationis illius, conantur abusum, non autem consuetudinem esse probare; nō rectè nomine *Abusus*, vtuntur; & quid eiusmodi vocabulo significetur ignorare se monstrent. Cum enim duplex nominis huius intelligentia, duplex illius sensus existat; in eorum profectò nullo, qui bene noscit vtrumque, cōsuetudinem hanc nuncupabit abusum. Est enim primus sensus illius, in quo veteres, & Iurisconsulti (quemadmodum legitur apud Vulpianum) res eas, non in vsu, sed in abusu consistere dicunt, quorum vsus, nisi pereant nullus est: accipitur enim tunc verbum, *abutor*, vt significat idem, quòd vtendo consumo: ita Boetius, ita etiam Cicero in Top. Iam verò valde ridiculū esset ob id abusum consuetudinem hāc appellare, quoniam vel ita composito medicamento dum vtimur, pereat illud, & consumetur: vel quòd in ipso compositionis actu exercendo compositio pereat. Alter autem sensus eiusdem nominis, alter illius intellectus est, dum accipitur in malam partem, potissimum verò dum vtimur aliqua re contra id, ad quod est instituta. Quod sine publico, vel priuato alicuius incommodo non contingit. Quo sanè sensu, neque etiam rectè vel ipsa componendi consuetudo, vel compositæ rei vsus, abusus nuncupari potest. Nam si de cōponendi modo, consuetudineque loquamur; non solum hæc, tanquam ea quæ non est, vt nos opinamur, quod spectat etiam ad mellis quantitatem, ab ea Galeni diuersa, talis appellari nequit: Verum insuper quæque illa fuerit, nec multi fieri, neque seorsum, & ab effectu separata, seiunctaque expendi debet; non enim est, vt de componendi consuedine valde soliciti simus, dummodo re composita bene, & cum finis illius, ad quem ordinatur, & instituitur adeptione, prospero semper vtamur euētu. Quàm verò nostra Theriaca benè, quàm multorum commodo semper, nullius autem vnquam incommodo, cum fuerit opus, vtamur, non alios, quam vos metipsos (Integerrimi Patres) quos iustos etiam expecto Iudices, testes appello. Quis enim vestrum, qui non aliquando,

immo qui non sæpius etiam, eiusmodi Antidoti tali modo confecto, atque ita certe, non alia ratione parato, maxima cum ægrotantium, aut indigentium vtilitate sit vsus? Quis ex vobis, qui non ex orco; imminẽtique morte plerosque siue interna aliqua veluti venefica qualitate correptos; siue rebus aliquibus tali facultate pollentibus, intus assumptis, aut extrinsecus occurrentibus, in eamdem conditionem forte dilapsos, quandoque subtraxerit? Certe nullus. Quare iam desinant Aduersarij modum compositionis hunc accusare; cum ex eo tantę facultatis medicamentum exurgat: nec amplius probatam consuetudinem hanc abusum appellet; cum nullus adhuc, tot ab hinc annis conquestus sit, quòd, ex nimia mellis iniecta copia, noxam, aut incommodum aliquod ex illius vsu contraxerit. Quamquam contingere fortasse potuerit, vt de prę signata nonnũquam, & singularis alicuius vnius Antidoto, Theriacave fuerint conquesti plures. Non tamẽ hac, sed altera potius ratione (quẽadmodum euenisse temporibus ijs scio vobis omnibus esse notissimum) nimirum, quoniam furtim, & clã huiusce fuerit compositio dolosè parata, vel etiam quoniam ipsa iam Antidoto bene confecta, conuenientissimeq; præparata, sit eadem importuna deinde mellis additione vitiata.

Sed iam ad sextam rationem accedamus; quæ videtur & ipsa defectuosa, paucissimique fore momenti. Quandoquidem in minoris propositionis comprobatione principium petit. Quod euidẽtius, ac statim, explicata responsione, patebit. Dicimus igitur, concessa maiori, minorẽ esse falsissimam, & egere probatione. Quippe cum ea, quam nos in compositione Theriaces asumimus, mellis quantitate, peroptime cuncta, præcipue verò sicca & arida corpora, ad vnam communem vnionem reducantur aptissimam fermentationi, & alterationi præcedenti formam, ex omnium (vt cum Galeno loquamur) perfecta commixtione suborientem: neque sit opus, vt mellis quantitas imminuatur, quò minus hoc absolutius perfici possit. Cuius oppositum, quod maxime ab illis probandum esset, quoniam partim, vt notum accipitur, partim etiam medio quodam eiusdẽ conditionis asumpto, quod si æquo modo probari desiderat, demonstratur; videtur ratio, siue minoris propositionis illius confirmatio, ex numero illarum esse, quæ principium petũt. Dum enim inquiunt pro minoris illius comprobatione, mel non alia quantitate sumi debere, quàm ea, quę ab Andromacho Filio Iuniori ve, terminata, præscriptaque fuit, & addunt hanc ab Andromacho decem ponderalibus libris fuisse definitam; supponunt id, quod probare tenentur, & in quo totius fere difficultatis huiusce neruus positus esse videtur, & collocatus.

conocatus. Negamus etenim nos absolute primum talem quantitatem librarum decem ab Andromacho Iuniori fuisse definitam (de qua re tamen abundantius in seq. capite sermo fiet) Deinde dato decem ab ipso fuisse quoque præscriptas libras, dicimus illas mensurales esse; proindeque eiusdem mellis ferè quantitatis esse capaces, quam solent nostri Aromatarij pro talis Antidoti confectione suscipere, quæque si metiatur ad lancem ponderis erit librarum circiter quatuordecim (vti distinctius quoque suo loco sumus, dum. s. vltimo adductæ rationi respõdebimus, demõstraturi.) Oportebat autẽ illos hæc omnia nõ veluti probata supponere, sed veluti semper à nobis negata, immo verò perpetuo neganda, probare. Quemadmodum erat etiam probãdum ab ipsis Damocratem, Critonem, & (quod magis est) Galenum quoque Theriacã, libris illis acceptis vt ponderalibus, ita semper Imperatoribus composuisse. Postremoque tantam mellis copiam assumptam, quantam assumunt Aromatarij nostri, copiosiorem esse, quàm pro talis Antidoti cõpositione conueniat, probandum itidem ab ipsis erat, non supponendum.

Cæterum ad confirmationem rationis eiusdem ex Galeno desumptam, statuente nõnullos eandem Antidotum sex, alios autem quatuor mellis tantummodo libris assumptis, composuisse; Respondemus isthãc rationis confirmationem longè magis, & euidentius ipsis, quam nobis obesse. Primo quoniã rationabilius est arbitrari libras quatuor, aut sex ab illis assumptas, *mensuræ*, potius quàm *ponderis*, esse. Quandoquidem multò tũc cætera mel, nõ sola copia, multitudineve, sed põdere quoq; superarent: vt proinde vix posset ex omnium commixtione sub electarij forma, quæ nequit dura nimis, aut valde solida ĩ Antidotis ad læthalia paratis euadere, Theriace confici; Quando cõstet, ex modica sic assumpta copia mellis, Pilularum potius corpus, quam electuarij consistentiam, & formam Antidotum forè succepturum. Quare si decem à Galeno constitutæ libræ conditionis vnius, & eiusdem statuẽdæ sunt, quales etiam quatuor, & sex ab illis assumptæ, fuerunt, (vti fuisse credendũ est) erunt profecto mensurales & ipsæ non ponderales. Secundò, Quoniã si isthæc præstantissima Antidota (vt inquiunt) pauco excipi melle debent, ne à copiosiori vis, & facultas eorum obtundatur, & sit impedimento, ne mixtio, alteratio, vnio, fermẽtatioque absolui perfectè possit, oportet, vt vel Theriaca quatuor composita libris, ad eorum omniũ absolutionem peruenire nequiuerit; ac proinde pręter rem fuerit, & extra propositum ab aduersarijs inducta: Vel, vt ea, quæ decẽ libris à Galeno conficiebatur, maiorem mellis copiam, & quãtitatem adepta, quã

pro perfecta mixtione, & fermentatione conueniat, inualida fuerit, nullius fere facultatis, & roboris: cum. s. inter vnam, & alteram differentia notabilissima, nempe sex librarum, siue illæ ponderales, siue mensurales existant, intersit. Vel tandem, si tanta, quanta inter vtrasque recensitas Antidotos, differentia mellis habetur, non impedit commixtionem, alterationem, vnionem, & fermentationem; hoc est, si quatuor, sex, & decem libris illis assumptis, fermentari, concoqui alterari, & ad vnā ex omnium commixtione formam adipiscendam, æque bene perduci potest; vt, neque certam ita mellis quantitatem, pro perfecta mixtione sibi determinet; neque illa proinde, quæ inter ponderales, & mensurales intercedit, differentia libras, tanta sit, vt mixtionem, alterationem, ac ipsam medicamenti totius fermentationem impedire possit. Quod si decem libras illas sic acceptas Aduersarij contendant terminum rectè compositionis statuendas esse, quem pertrāsire nullo modo possimus: Idipsum probandum erit, & erat ab ipsis, nō supponendum; & adducenda ratio, cur, si rectè quatuor libris, ab alijs medicamentum hoc parabatur: non potius quatuor circiter libras eiusmodi terminum, ac limites compositionis ipsi quoque constituant, & cur neque, decem illis assumptis, immineat pari modo periculum, ne à copiosiori melle totius medicamenti vis obtundatur, & hebetetur? Sed nos iam alios probabiliores in superioribus perfectioris compositionis terminos, & limites cōstituimus.

Perpenditur Septima ab Aduersarijs adducta ratio, & duplici via tollitur. Vbi nonnulla de drachmis mensuralibus. Cap. XII.



SVpersunt adhuc geminæ, nobis ab Aduersariorum manibus inflictæ, plagę sanandę, binaque pariter illorum tela frangenda; cum, scilicet, remaneant adhuc vltimæ duæ rationes, ab illis adductæ, considerandæ, & è medio tollendæ. In quibus, quoniam vltimum illorum posse reponitur, omnisque victoriæ spes collocatur, oportet nos diligētiores esse, & in eis superandis, ac profligandis ita paratos, vt si contigerit (quemadmodum certo continget) multa, per ipsos assumpta, falsa videri, & à nobis nullo modo probari; Nos ea non simplici (vt solent omnes, & forte sufficeret) negatione refellamus, sed vt negationis, & refutationis illius rationē, & causam; aut testes, eosque probatos, aliquos afferamus. Vt, si qui

forte

forte seu quadam apparentia decepti, huic nostræ, inueteratæque con-suetudini, quam prius tantifecere, renunciauerint, proindeque manus nouæ istorum opinioni porrexerint, Hi facile noscãt se fuisse deceptos, atque ideò sponte veritatem ipsam iterum amplexentur, priori candori restituantur, atque subtiliũ quidẽ, falsarũ tamen rationum vanitates experti, se recognoscãt, & resipiscãt. Ceterũ distinctioris, & breuioris doctrinæ gratia, prẹstat singulam, ex duabus rationibus illis, singulo capitè complectentes, nunc septimam ordine, in sequenti autem octauam, seorsum accipere, & separatim examinare. Ne verò totas rationes iterum repetamus, sat erit eas siue propositiones rationum earum, siue pro rationibus conficiendis, suppositiones, & fundamenta, primum assumere, deinde verò circum illa morari parumper, vt, eorum omnium falsitate patefacta, tota statim argumentatio, quæ vel ex illis suppositionibus educebatur, vel ex propositionibus formabatur, vndique pereat.

In septima igitur ea ratione duo cõtinẽtur, vnde totius argumẽtationis illius asseitum robur elicitur, atque præsupposita eiusdem vis vniuersa dependet: quibus proinde labefactatis, ea tota machina corruet, & argumentum in nihilum redigetur. Vnum est, Galenum libras decẽ mellis in compositione Theriaces assumendas esse docentem, numerũ librarum earum ex certo quodam drachmarum numero, ab Andromacho Iuniori constituto, dum de melle pro conficienda Theriaca, loquitur, collegisse. Cum, scilicet, Iunior Andromachus (primo de Antidotis referente Galeno) noningẽtas, & sexaginta mellis drachmas prò Theriaca præscripserit, quæ centum, & viginti confici unt vncias, à quibus decem integræ libræ constituuntur. Alterum est, ea cuncta, quæ drachmis præfiniuntur, non posse nisi pondere intelligi præfinita fuisse: quoniam. s. drachma signum & indicium ponderis esse potest, mensuræ verò nequaquam: Quippe cum nullus mensurales drachmas vnquam (nisi forte per somnum) excogitauerit, nullus earum aliquando meminerit; neque prorsus aliquis aut in Galeno, aut in alijs Autoribus locus inueniatur, in quo de mẽsuralibus drachmis, veluti de libris & vncijs, sermonem ij habuisse videantur. Cæterum nos pro responsione dicimus vtramque siue propositionem, siue suppositionẽ assumptam, falsissimã esse; & à veritate toto cœlo distare. Tantum enim abest (quatenus ad primam attinet) vt ex certo constituto ab Andromacho Iuniori drachmarum numero, Galenus numerum decem librarum propositarum collegerit, vt è diuerso credendum potius, & (non sine ratione) putandum sit numerum drachmarum illarum fuisse ab aliquibus Andromacho adscriptum, & ex decem libris, iam à Galeno propositis alibi (facta

com-

… hinc appositum & eidem impositum, eo modo, quo paulò post declarabimus, pro volũtate, & eorumdem arbitrio pari modo fuisse. Falsa quoque, nec minus à veritate remota secunda, quàm prima suppositio fore videtur: cum nõ repugnet, vt sicuti libra mensuralis apud Romanos in duodecim partes, quas vncias mẽsurales appellabant, diuidebatur, sic etiam eius vncia, ponderalis illius instar, in octo partes æquales, veluti in octo drachmas, & eas mensurales, separetur, & seiungatur: immo verò cum luce clarius appareat eiusmodi drachmas non ignotas aliquibus, & ipsi quoque Galeno receptas aliquando fuisse. Ex duplici, ac vtraque eiusmodi propositione negata, duæ quoque responsiones emergunt, quæ rationis huiusce uim vniuersam penitus auferunt, & prorsus euertunt. Quarum quoniam ea, quæ postremæ suppositionis negationem insequitur, aliàs in publica illa concione, coram Patribus ab excellentissimo Viro subtiliter habita, partim audita, partim etiam explicata fuit: altera verò, quæ pendet ex negatione fundamenti prioris, nondum est ab aliquo tacta; propterea nos ab illa sumentes exordium, & ad alteram hanc, quam verissimam esse pari modo censemus, deueniẽtes, vtranque lucidius, & perquisitius nunc explicabimus. Mensurales, negatas ab aduersarijs, inueniri dariq; drachmas ratio docet, multorum celeberrimorum scriptorum persuadet autoritas, testimoniumque tamdem ipsiusmet Galeni confirmat. Ratio docet; eo quoniam, si (quemadmodum superius quoque notatum est) libræ nomen, & vnciarum eatenus de ponderalibus, ac mensuralibus libris, & vncijs homonyma cognominatione prædicatur, quatenus mensurales, sola quadam ad ponderales similitudine nuncupatæ libræ, & in vncias partitæ sunt: Quid prohibet, aut cur non etiam rationi conuenit, vt ad minores vnciarum mensuralium diuisiones deuenientes, & eas in æquas octo particulas diuidentes, eisdem nominibus coutamur, & octo drachmas, sed mẽsurales, eas itidem appellamus? cum (sicut optimè Michael Neamder in synopsi de mensuris quoque monebat) Omnes mensuralis libræ partes siue vnciæ, siue minores vncijs existant, mẽsurales constituendæ, nuncupandæque sint? Neque multum refert, aut interest quòd drachma ponderis indicium, & signum esse consueuerit, vt quæ denarium proprie significet, qui semper ad pondus, nunquam autem ad mensuram referri solet. Cum (quidquid de drachma denarioque sit) fateamur & nos ita, propria veraque significatione, cõtingere; quemadmodum etiam in libra contingit & vncijs; Homonyma verò, & æquiuoca acceptione, negemus drachmam omnem ponderis solum, non autem mensuræ signum, indicium, & partem nuncupari posse: cum

sicuti

ſicuti nomen vnciarum ad duodecimam libræ partē, vt menſuralis exiſtit, accommodatur; ita etiam drachmæ nomen ad octauam menſuralis vnciæ partem aptari, & accommodari poſſit. Et tanto magis, quāto tale drachmarum nomen, vt in ſuperioribus demonſtratū eſt, ad alia diffundi, & extendi ſolet, quæ longè magis à Denario, quam drachma pro menſura ſumpta, recedunt. Nū itaq; rationi repugnat eiuſmodi drachmas, vt menſuralis vnciæ partes, menſurales adinueniri. Quod etiam plurium ſcriptorum autoritate confirmari poteſt; quorum quamuis nomine ſolum, breuitati ſtudentes, adducere ſatis eſſet; placuit tamen, & viſum eſt nobis, ne forte quis cum eruditiſſimo iuuene nos per ſomnum hos conſuluiſſe, vidiſſeque ſuſpicetur, proprios etiam locos, & propria illorum verba referre. Veruntamnn, cum ab ijs, quos obiter quandoque produximus, ſermonis exordium ſumendum ſit, ne iam illorum adducta verba ſine vlla neceſſitate proindeque fruſtra, nunc temporis etiam repetamus, ſufficiet horum & nomina, & locos tantum afferre, breuiſſimeque recenſere. Primus igitur inter omnes nobis occurrit doctiſſimus Syluius 3. libro ſuæ methodi de compoſitione medicamentorū in fine: Vbi non obiter, ſed ex profeſſo, de ponderibus, & menſuris, quæ Galeno præcipuè, & ętatis noſtrę medicis etiam in vſu frequentiori ſunt, egit. Accedit verò ſecundo loco Leonardus Fuchxius in ſuis ad Myrepſium annotationib. numero 174. dū explicat Ecligma Socratis ad tabidos ab ipſo Nicolao Myrepſio deſcriptū. Tertio verò ſuccedit clariſſimū Bergomenſiū Medicorū Collegiū in explicatione ponderū, & mēſurarum; quæ in calce eiuſdē appoſita libri vel Antidotarij conſpicitur. Hi, ſicut ex verbis ſuperius ī eorū vniuſcuiuſq; recognitione à nobis adductis apparuit, menſurales eiuſmodi drachmas agnouiſſe, recipiſſeque viſi ſunt. Poſt hos aūt & quarto loco Deſſeniū quaſi teſtē cōuenientiſſimū, appellamus. Hic enim vltimo ſuo libro menſuras Atticas explicans, deq; Oxibapho ſcribens, eum inquit recipere ſeſquicyathum, ſiue vncias duas, & drachmas duas. Quas ipſum, vti menſuræ non ponderis ſigna dicuntur, intellexiſſe demonſtrant conſequentia verba: dum etenim pondus eiuſdem menſuræ, tribus in conſuetis liquoribus illis, oleo, vino, & melle diſtinguit; in eorum nullo par pondus priori menſuræ recenſet: Siquidem ait olei pondere ſeſcūciam, & drachmas tres, vel drachmas quindecim; vini vncias duas, & ſcriptula duo; mellis autem vncias tres, cum vnica drachma. Quæ ſi non ſatis alicui forè videantur, vt colligat menſurales huiuſmodi drachmas recepiſſe Deſſenium: Is clarius legat eūdem inferius de cochleari magno loquētem: illic enim ſcriptum reliquit coclearæ menſuram minimæ cuiuſdam eſſe capacitatis, & quæ recipit drach-

mam

mam vnam, scriptulum medium, grana duo, duasque grani quartas, ad mensuram (sic enim inquit) referendo. Quanquam addat isthanc in minimis ijs non esse necessariam; Quintus inter eos, qui eiusmodi drachmas non recusarunt, occurrit Magnus ille Conradus Gisnerus in quadam ab ipso formata tabella, vbi mensuras apud Græcos, atque Latinos scriptores vsitatas liquidorum, & aridorum, certa quadam ratione disposuit, & ordinauit. Hic enim vir doctissimus, dum minores, ac tandē minimas etiam mensuras, ac earum capacitatē exposuit, centies, & pluries, non solum drachmas, sed scriptula quoq; mensuralia recensuit. Mēsuralia dico; propterea, quoniam nullius terminatæ rei capacitatem in mensuris considerauit, ac proinde, neque etiam pondus. Sextus autem testis Michael erit ille Neander, qui paulo superius allegato loco, mensurarum, & ipse capacitates expendens scribit ad verbum. *Cyathus capit vnciam vnam, & semis, drachmam vnam, & scriptulum vnum. Ligula verò drachmas tres, & scriptulum vnum.* Vt autem nullus has capacitates vnciarum, drachmarum, & scriptulorum, aliomodo, quā veluti mensurarum quarundam, acceptas, & intellectas ab ipso fuisse, suspicari, dubitareque possit, faciunt ea, quæ sequūtur, & illico ab eodem allegato loco subduntur. Scribit etenim fundamentum ibi positæ ab ipso tabellæ Sextarium fuisse Romanum: *Quem*, addit, *vbi viginti mensurales vncias continere probabimus, satis erit confirmata tabella.* Cū igitur cūcta in illa descripta tabella Neander ad mensurales Sextarij Romani referat vncias, oportet, vt oēs, siue maiores siue minores mensuræ Sextario, per mēsurales vncias, drachmas, & scriptula quoq; describant. Septimus, & in quo modo quiescemus, testis ad hoc præclarissimus erit Præceptor noster Hieronymus Mercurialis libro 2. de comp. med. ca. 1. Qui de Veterum, Romanorumque mensuris Sermonem habens, vbi maiores per libras, & vncias mensurales explicauit, descendens ad minimas, de cyathoque loquens hunc in modum scriptum reliquit. *Cyathus diuidebatur in quatuor ligulas, seu quatuor cochlearia. Cochlear autē & ligula continebāt drachmas tres mēsurales, &c.* Tot sunt Autores (vt alios quosdam prætereamus) in quorum monumentis mensuraliū drachmarum, veluti partium mensuralis vnciæ, mentionem fieri, naturam explicari, nobisq; declarari dignouimus. Vt proinde facile vnicuique patere possit quàm falsa sit eruditissimi Iuuenis illa doctrina, quàm i ncauta sentētia, dum sic absolutè, & in vniuersum affirmat nullibi Galenum, aut alios, de mensuralibus drachmis, vti de libris, & vncijs, mentionem aliquam effecisse; nec non etiam dum inferius inquit. *Somniari potius quàm inueniri, posse mensurales drachmas satis à se fuisse demōstratum.*

stratum. Cum nos idipsum in præcitatis autoribus, solutis sensibus, per vigiliamque, non somniãtes, & per quietem legerimus, & inuenerimus. Sed ecce video, quò tandem Aduersarij nostri se se recipiẽt, & fugæ cuiusdam locum agnosco. Dicent eiusmodi mensuræ drachmas ex volũtaria quadam vnciarum partitione subfingi posse, revera tamen nõ inueniri; propterea, quoties drachmarum mentio fit, toties illas intelligi ponderales. Sed quorsum hæc, dicam ego, viri doctissimi? Quò confugitis? Nõ dũ igitur intellexistis nõ regpugnare drachmarum dari quoque mensuras? An forte quia quarta quintave grani pars in ponderibus separata quoque non reperitur, signum, & nota ponderis illa non erit? nec in ponderibus, corporumque grauitatibus præscribendis, aliquãdo poterit hæc vsu venire? Quod si, cur non etiam drachma, quæ non est insensibilis mensurę pars, in medicamẽtis vsurpari poterit? Et si, seorsum acceptam solum in imaginatione reperiri concederemus, negandum ne propterea foret eandem in actu, reque ipsa contentã in maioribus mẽsuris alijs, vsu venire, nobisque inseruire posse? nequaquam. Sed nunquid inuicem nos altercamur, & quærimus modò, num vna liquoris alicuius proposita drachma, cum mensurari vix possit, vt dicitis, pondere præfiniri debeat? An potius de noningentis, & sexaginta contendimus; vt in melle? deque tricentis, & viginti, vt in vino? Quid refert autem ad pharmacorum compositiones optimas præscribendas, ingredientia, siue arida, siue liquida sint, per maiores, vel per minores, aut etiam per minimas explicare mensuras? Profectò nihil: nam ita quoque Galenus in ponderibus nihil, aut parum referre nos docuit siue per libras, siue per vncias, siue per drachmas, dummodo cœtera probe respõdeant, corporum grauitatem determinemus. Sexto siquidem libro de compos. per genera capit. octauo significabat referre parum, siue sex heminas olei Ricinini dixerimus Andromachum in Fusco emplastro miscere, siue vncias quinquaginta quatuor, siue libras Romanæ mensuræ quatuor, & semis; nam eadem semper, ijs, mensura significatur. Et primo librorum eorundem cap. decimoquarto, idẽ esse statuebat dicere librã, & nonaginta sex denarios; selibram, & drachmas octo supra quadraginta; tres vncias, & drachmas, siue denarios quatuor supra viginti. Vnde siue libra, subdit, nuncupetur, siue denarij centum, in hoc pharmaca non mutabuntur, aut variabuntur: Quę cuncta nonnullis etiam alijs confirmauit in locis. Cum igitur saltem mẽsurales drachmas in mensuris cõtineri maioribus, & in illis actu quodammodo reperiri verissimum sit, neque referat num per minores, aut minimas mensuras multiplicatas liquida corpora describãtur; sicut nihil interest, si per minora multipli-

P cata

cata pondera, arida quoque corpora præfiniantur; clare sequitur, vt in vino, melleque præscribendo, nihil intersit, ac nullam proinde sit varietatem passurum Antidotum, siue per Sextarios, siue per Libras, siue per Vncias, siue per Drachmas vtrunque præfiniatur; propterea que tãtum sit Vini, pro recta medicamenti compositione statuere binos Sextarios esse sumendos, atque si diceretur bis capiendas vncias fore viginti, aut Drachmas tricentas supra viginti: Similique ratione sit idem dicere mellis noningentas & sexaginta Drachmas inijciendas, quemadmodũ si diceretur illius vncias centum & viginti sumptitãdas esse, seu Libras decem, immo quoque Sextarios sex, aut Cõgium vnum, hæc enim omnia prorsus vnam, & eamdem corporis molem, mensuræ verò capacitatem significare videntur. Sed iam rationibus demonstratas, multorumque autoritate comprobatas mensurales eiusmodi drachmas, vno vel altero testimonio quoque Galeni confirmemus. Ex duobus sanè locis collatis inuicem, immo verò seorsum etiam acceptis, clare colligitur, sicut ab alijs quoque monstratum est, cognouisse Galenum, neque verò cognouisse solummodo, sed etiam constituisse tum Libras mensurales, & vncias, tum quoque Drachmas conditionis eiusdem, & mensurales ponendas esse. Quinto. l. de composit. med. sec. genera cap. 6. & sexto pariter librorum eorumdem cap. 8. Cum enim priori loco nimirum libro quinto, cap. 6. clarissime hunc in modum scriptum reliquerit. *Siquidem Heras centum octuaginta denarios posuit, in pondus non in mensuram oleum reducens, tanquam Hemina denarios sexaginta pendente. Nam Attica nouem Italicas vncias conficit: pendent enim nouem Italicæ vnciæ, quas in cornibus insectis metiuntur, septem vncias ponderales & semis, quæ sexaginta denarios faciunt; singulis vncijs octo denarios recipiẽtibus, &c.* Cum hęc, inquam, Galenus eo loci scripta reliquerit, visus est vtique Drachmas eiusmodi mensurales, tanquam à ponderalibus separatas, considerasse, & ponderales veluti contradistinctas à mensuralib. accepisse. Nam ratio, cur Heras tres illas Heminas olei reducat ad pondus, dum centum posuit & octoginta denarios, non est, quoniam denarios, sed quoniam centum, & octuaginta posuerit: Qui cum olei ponderi, non autem mensuræ respondeant, ostendunt primum in pondus oleũ ab Hera fuisse reductum: Sed tacitè quoque secundò demonstrant in mensurales denarios potuisse reduci: cum si non quoniam in drachmas denariosve, sed quoniam in tantas drachmas, tantosque denarios diuisum est, in pondus asserat Galenus fuisse redactum: Etenim vbi reduceretur in drachmas, denariosve mensurales; & quælibet Hemina nouem vnciarum efficeretur, ducentum & sexdecim drachmæ siue denarij conficerentur.

ficeretur. Quod clarius adhuc altero huic collato loco, dignoscitur. Etenim 6. librorum eorundem cap. 8. distinctius hæc ad verbum Galenus idem notata reliquit. *Etenim si nouem vnciarum mensuralium singulas Heminas esse statueris* (loquitur aũt de oleo ricinino, cuius in Ægyptio medicamento sex Heminas Andromachus immitti iubebat) *ex tribus, septem & viginti vncias produces, si in octo denarios quanque vnciam diuidas, denarios ducentum & sexdecim habebis, si duodecim vncijs singulam Heminam æstimes, fiunt nimirum sex, & triginta vnciæ, denarij verò ducenti octoginta octo, singulis vncijs in octo denarijs diuisis, &c.* Quid clarius? Quid ex Galeno lucidius? Heminas facit aut nouem, aut duodecim vnciarum, & mensuralium; has in denarios, seu drachmas, si nouem sint vnciarum, ducentum reducit, & sexdecim: sin autem duodecim, in ducentũ octogintaq; & octo, singulis vncijs in octo diuisis denarijs; & erunt vnciæ mensurales, sed non denarij? Obstinati prorsus, & implacabilis animi se fore monstrabunt quicũque Galeni dogmata sic euidentia, & aperta vanis interpretationibus obuelantes, aliorum oculis inconspicua reddere, quo minus veritatem ipsam intueri possint, ambitiose studebunt, & conabuntur. E contra verò melioris ij se fore mentis ostendent, qui, mutato consilio, non amplius aut ipsi verebũtur, aut alijs persuadere tentabunt, dari quidem mensuræ libras, & vncias, non dari Drachmas. In quam sententiam, cum multos iam rationibus ijs persuasos deuenisse nouerimus, vt certiores adhuc effecti constantius in eadem opinione remaneant, & confirmentur, vlterius nos primo locũ alterum in Galeno producemus, ex quo, probabiliter admodũ, ij quoque dignoscent aut ipsi, Galeno.s., aut Critoni, cuius refert medicamẽtum, mensurales etiam eiusmodi drachmas in vsu fuisse. Secundo verò Aduersarios nostros proprijs armis aggrediemur; & idem ex eorũ placitis pari modo deducemus. Porrò Galeni locus habetur 5. de Pharmacorum compos. secundum partes cap. 7. Qui dum Critonis Medicamẽtum ad Varos in facie recenset, hæc ait. *Mellis Attici cyathum vnum, siue drachmas duodecim. Aceti tantundem.* In quo sanè Pharmaco, siue Crito, siue Galenus ipse loquatur, iubet Autor tantum aceti sumẽdum esse, quantum etiam mellis. Cęterum æqualitas hæc, vel ad pondus, vel ad mensuram est reducenda. Iam verò nequit æqualitas hæc aut ad põdus, aut ad mensuram in vtraque mellis acceptione reduci, nisi duodecim illæ drachmæ mensurales existãt. Quare non librę solum, & vnciæ, sed ipsæ quoque drachmæ mensurales in vsu Critoni, siuę Galeno fuere. Minor rationis eiusmodi tali modo probatur: quia si sumatur mellis Attici cyathus, & aceti tantundem, erit mensura quidem amborũ æqua

lis, non autem pondus; cum. l. tertia parte sit grauius aceto mel. At vero si, trāſposito cyatho, ſumantur vtriuſque duodecim drachmæ, & eæ pōderales; non erit in hac altera cōpoſitione cōſimilis vt in prima, proportio menſuræ mellis, & aceti, ſed bene ponderis; Qm̄ acetū, vt quod tertia parte leuius eſt melle, multitudine idipſum, copiaq; ſuperabit. Quare ſi debet in vtraq; cōpoſitione eadē aceti cū melle proportio, & æqualitas cōſeruari, fateamur oportet drachmas illas eſſe menſurales: Qm̄ ſemper eadē æqualitas inter vtrūque, videlicet inter acetum, & mel, ſeruabitur, nempe, qm̄ eadē menſura: Quā ſolam in eo medicamēto ſeruādā, & inſpiciendā eſſe demonſtrat prima illa cyathi mellis, & aceti commixtio. Sed tandē vt noſtros aduerſarios inuitos ēt, huiuſmodi veritatē cōfiteri cogamus; cōcedamus illis Andromachū Iuniorem certo drachmarum numero, vini quoq; Theriacam ingredientis, quantitatem determinaſſe, tricentaſque (vt inquiunt) & viginti drachmas ipſius aſſumendas eſſe iuſſiſſe: deinde videamus, quomodo numerus drachmarum hic duos vini ſextarios à Galeno præſcriptos efficiat; nū. ſ. ipſis drachmis acceptis pro menſuralibus, an autem pro ponderalibus. Et ſi conſtabit id illas, vt ponderales, præſtare non poſſe, ſed ſolum vt mēſurales, colligamus aduerſus ipſos non ſolum dari, ſed in vſu quoque poſitas eſſe drachmas, quæ corporum molem, non grauitatem, menſuram, non pondus, explicant, & patefaciunt. Sumamus autē probationis rationem ab ipſo Galeno, & ex vini pondere colligamus, an duo ſextarij conficiant drachmas tricentas, & viginti, ſeu num drachmæ tricentæ vigintique ponderales efficiāt duos vini Sextarios illos iam à Galeno determinatos. Pēdet, ex 6. de comp. per genera, Libra menſuralis, quæ apud Romanos ex cornea materia confecta, dimetiendis liquoribus accommodabatur, Olei vncias decem; & Hemina Attica nouem vnciarum menſuralium, vt eiſdem libris ſcriptum habetur, olei pendet ſeptem vncias ponderales, & Semis. Cum autem, ex demōſtratis à nobis antea, Sextarius Romanus, Autore Galeno, viginti mēſurales capiat vncias, oportet, vt hic, facta diligenti computatione, ſumptaque ex libra, & Hemina proportione, capiat olei ponderales vncias ſexdecim, cum dimidia (ni fallor) & ſcriptula quatuor: Quoniam autem, omnium ſententia, & communi conſenſu, immo etiam experientia ſic oſtēdente, vinum parte nona grauius eſt oleo; pendebit vini ſextarius vncias decem, & octo, drachmas quatuor, ſiliquas duas, & ſemis. Quare duo ſextarij vini (ſicuti facta duplicatione patet) ſi reducantur ad pōdus, pendebunt vncias triginta ſeptē, & ſiliquas quinq; ; hæc aūt, ſi reducantur ad drachmas, efficiūt ducētū, & nonaginta ſex drachmas, & ſiliquas quinq; . Iā vero præſcripſit,

ipſis

ipsis autoribus, Iunior Andromachus tricētu, & viginti drachmas, quæ vini pondus quatuor &viginti circiter drachmis, exuperat. Ergo si Gal. (vt asserũt) Andromachi drachmas illas reducit ad duos vini sextarios, accipit easdē nō vti ponderales, cũ.s. vini ponderi nullo modo rñdeāt, sed veluti mensurales: eo quoniam sic ad unguem mensuræ respondēt: hæc enim, vti dicebamus, mensura capit vncias quadraginta mensurales, ex quibus tricentæ, & viginti drachmæ, non plures, non pauciores exurgunt. Velint igitur, nolint, Aduersarij nostri coguntur asserere dari mensurales eiusmodi drachmas, nec dari solum, sed in vsu fuisse quoq; receptas. Quo fit, vt nulla primum, eorum ratio reddatur, ex falsitate suppositi posterioris illius, ab ipsis assumpti, iam demonstrata.

Sequitur, vt secundò quoque, rationem eandē, ob id nullius esse momenti demonstremus, quoniam ex altera propositione, alterove fundamento falsissimo, & semper à nobis reiecto, perpetuoque reiiciēdo, dependeat. Erat autem fundamentum eorum, & suppositio, Iuniorē Andromachum certam vini, Mellisque copiam constituto quodam drachmarum numero in Theriaces compositione præscripsisse; tātasque mellis drachmas determinasse, quantas, si reducantur ad libras, vt factum fuit à Galeno, constat, ex recta computatione, decem ponderales conficere libras, hoc est drachmas noningentas, & sexaginta, quæ (sicuti dicebamus) vncias centum, & viginti, libras verò decem efficiũt: tricentas insuper vigintique vini pari modo drachmas cōstituisse, quæ, si reducantur ad vncias, eas, quadraginta constituunt, à quibus duo sextarij deinde conficiuntur. Suppositum hoc tanti fecit eruditissimus Vidua noster, vt stultum dixerit esse, cum hæc Iunioris & Filij Andromachi sententia sit, vereri, num eadem quoque Senioris & Patris extiterit; cum prȩter omnem rationem sit arbitrari Patrem Andromachum singula Filio non reuelasse, Filiumque Patris vestigia nō fuisse sequutum. Veruntamen nos, qui scimus Andromachum Patrem indefinitā mellis quantitatem reliquisse, compositorisque iudicio mensuram illius demandasse; putamus etiam Iuniorem & Filium, vel indeterminatam à Patre quantitatem pari modo recepisse, vel, in ea præscribēda, vestigia Patris non fuisse sequutum. Nec mirum, cum constet in alijs aliquibus eum à seniori, Patreque recessisse, vt in sagapeno, & in Pipere; forsanq; in alijs etiam; de quibus, veluti parum ad nostram rem attinētibus, abũdātius à nobis differēdum nequaquā est. Sed vtinam Filij, Patrum (potissimum verò probatissimorum) dogmata, constitutaque sectarentur. Quandoquidem Iuuenis noster eruditissimus, celeberrimi, & incredibilis doctrinæ viri Patris illius D. Aloysij Vidua, cui res vniuersi nostri

Colle-

Collegij carminæ, & supra proprias aliquando maxime cordi fore videbantur; ſententiam, tacitumque ſaltem conſenſum amplexaretur, neque nouarum difficultatum harũ Autor euaderet, aut efficeretur. Quippe cum iam Patrem illius, atque cęteros maiores noſtros, hanc mellis quantitatem Aromatarios Venetos in magnis componendis Antidotis perpetuo ſumere conſueuiſſe, non ignoraſſe, ſed tacita conſenſione, tacitoque ſilentio comprobaſſe demonſtrauerimus. Sed iam redeamus ad penſum, & hanc ex Andromacho iuniori ſuppoſitionem aſſumptã, dicamus iterum falſiſſimam eſſe: Quandoquidem in pedeſtri illius Antidoti deſcriptione ex Andromacho Iuniori à Galeno relata, nulla vini quantitatis, immo verò nulla prorſus vini mentio fit; mellis autem quãtitas drachmis tantummodo centum, & quinquaginta præfinitur. Quæ ſi vera ſunt, quemadmodum illa veriſſima fore nunc nunc demonſtrabimus; perit illorum Achilles, & omnis victoriæ ſpes ablata videtur. Neque enim amplius ſequetur libras decem à Galeno propoſitas, ponderales eſſe ſtatuendas ob id, quoniam ex tantis drachmis, quę ponderis ſigna ſunt, colligantur: ſed potius ex aduerſo verũ erit aſſerere drachmas illas ab Andromacho Iuniori numero centũ, & quinquaginta propoſitas, ab ijs, qui textũ, & literã, quã corruptã eſſe cognouerunt, emendare ſtuduere, ad numerũ noningẽtarum, & ſexaginta fuiſſe redactas, vt eas, decem conſtitutis à Galeno libris, coæquarent: tot enim drachmæ reſultant ex illis, & in tot illæ, ſingulis vncijs in drachmas octo diuiſis, ſeparantur, & diſtinguuntur. Porrò talem, qualem dicebamus, ab Andromacho Iuniori copiam mellis eſſe præfinitam, aut ſaltem noningentas illas, & ſexaginta drachmas ab illo non fuiſſe præſcriptas, litera, & textus ipſe græcus oſtendit; Probatioris nominis Autores nonnulli confirmãt; & probabile ſaltem, à Galeno teſtimonium deduci poteſt. Oſtendit id textus græcus, tum qui Baſileæ, tum verò qui Venetijs ab Aldo reperitur impreſſus. Siquidem in vtroque talia verba leguntur μέλιτος ἀττικοῦ δραχμὰς.ρν'.τὸ δὲ ὄροβον δραχμὰς π'.quod eſt, *mellis Attici drachmas centum & quinquaginta; erui drachmas octoginta.* Cõfirmãt idipſum Autores, qui literam, vt iacet, accipientes centum ſcribunt & quinquaginta drachmas mellis & ipſi. Sic enim vertit Andernachus græcarum literarum profeſſor inſignis; qui, vt fidus agnoſceretur interpres, tranſtulit etiam, & in ſuo latino textu, drachmas illas erui octoginta reſcripſit. Ita Deſſenius de melle legit (vt intellexiſtis) Ita Syluius Foeſius & Rondelletius. Doctiſſimus autem Syluaticus habet drahmas centum, & ſexaginta nouem. forte quoniam ſic in altero quopiam exẽplari græco ſcriptum inuenerat. Veruntamen audio quid ſtatim nobis

Iuuenis

Iuuenis hic eruditissimus respondebit. Est error, inquiet, manifestus in litera; estque notandus hic error in Syluio, Rondelletio, & Foesio, qui quomodo textus corrigendus esset, non cognouerunt: In Siluatico verò suspicandum impressoris errore contigisse, vt Andromachum scripserit drachmas centum & sexaginta nouem mellis pro theriaca determinasse. Verum, quidquid de Siluatico sit, in quo si fuit Impressoris culpa commissus error, in eò putandum erit esse commissum, quod centum, & quinquaginta drachmas dixisse debebat, cũ sic in grecis omnibus, quos ego viderim, exemplaribus inueniatur: de cæteris non negamus, immo vero fatemur vnanimes in drachmarum illarum numero, manifestum errorem esse; propterea que nos luculentius inde colligimus non constare, quem certò numerum Iunior Andromachus drachmarum mellis cõstituere voluerit. Quis enim iureiurando testabitur vnquam illum tricentas, & viginti pro vino, noningentas autem & sexaginta pro melle drachmas scribere voluisse? Qui scit, num ille, si per lacem, & drachmas ponderis & grauitatis symmetriã mellis ad reliqua, & proportionem ad arida facere, nobisque indicare volebat, initio scripserit mille tricentas, & quadraginta drachmas mellis assumendas esse? quæ libras circiter quatuordecim ponderales efficerent. Oportebat autem, si vim aliquam erat Aduersariorum habitura ratio, vt certo constaret Filium Andromachũ tantas præscripsisse drachmas, quantas decem libræ conficiunt, capiunt, & continent; non autem, vt incertum esset quantas ipse præfinire voluerit, quemadmodum ex errore colligitur incertum esse. At subdet iterum Vidua doctissimus. Iam in Latino Codice textus emẽdatus apparet, & errore quocunq; sublato legitur apud omnes, *mellis drachmas noningentas & sexaginta*. Verum. Sed quid ad nos? Nam (vt conuertar iterum ad te, mi carissime, atque rem hanc amicissime simul animoque pacato tractemus) dicas oro. Quem putas literam textus hanc emendasse? Quave motus eum ratione, quove Autore duce, sic correxisse? Nullum certè, quàm vel Interpretem, vel reuisorem Impressoris, locum hunc emendasse respondebis. Vel igitur id sponte fecit, vel aliqua ratione, vel Andromacho, Galenove Autore? Forsan dices Andromacho? Nunquam, corruptis enim characteribus, notis que deprauatis, centum habet Græcus Andromachus drachmas & quinquaginta. Forsan Galeno? minime, siquidem nullibi Galenum de melle pro theriaces compositione loquentem inuenies drachmas noningentas, & sexaginta sumendas esse iussisse. Vel igitur sponte fuit ab Interprete, loco centũ & quinquaginta drachmarum, numerus ille noningentarum, & sexaginta repositus; atque sic Argumentum vanum prorsus, & risu dignius, quam

confuta-

confutatione redderetur. Vel aliqua factum id ab illo ratione fuit. Sed vnde, dicā ego, desumpsit rationem, vt potius ita, quàm alio modo corrigeret? Puto neque te, neque mortalium aliquem alteram rationē correctionis eiusmodi afferre posse, nisi quia scribit Galenus alibi decem libras mellis in Theriaca sufficere, &, cum libræ decem, si diuidantur in drachmas, noningentas illas, & sexaginta conficiant, oporteat, quò locus hic, vbi mel ab Andromacho non per libras, sed per drachmas est diffinitum, alteri loco Galeni respōdeat, numerū cētum, & quinquaginta, ad noningētas, & sexaginta reducere. Bene quidē. Sed dicas iterū: putas ne decē à Galeno libras prędefinitas mensurales esse vel pōderales? Si dixeris mensurales, manus porrigam, amplexabor te, & osculabor, ac statim drachmas etiā illas mensurales esse deducam. Si verò dixeris, vt hæc effugias, ponderales esse. Statim inferam prius libras illas, etiam apud te, ponderales esse, quam drachmas; etiam earū ratione drachmas, non autem drachmarum ratione libras tales esse constitutas, velis, aut nolis, confiteri cogeris. Qualis igitur, quantiq; roboris erit tunc tua ratio? Quam vanus, & irritus labor erit, ac tantus verborum apparatus, in quo demonstrare conaris drachmas omnes esse ponderales? cum non ex drachmis, & eorum numero decem libræ Galeni formatæ constitutæque sint, sed ex libris confectæ (ne confictę dicam) terminatæque drachmæ? Colligamus igitur, nos ab Andromacho Iuniori nō plus habere, quod attinet ad mellis quantitatem, quam habuerimus à Seniori, cum.s. numerus drachmarum ille, veluti corruptus, nihil certi nobis insinuet, nihil certi demōstret. Vt proinde iure Galenus aliquando pedestrē orationem in mensurarum tradēdo numero, periculosam, & incertam appellet, equestrem laudet, & hanc Iunioris Andromachi suspectam habeat, & vitiatam in aliquibus fore demonstret. Quæ pro dictorum confirmatione sanè, proq; capitis huius conclusione, referre nō recusabo. Itaque 7. de compositione Pharmacorum secundum genera capite 9. Galenus Menecratem laudat, quòd librum medicamentorum scripserit syllabis integris, postpositis omnibus numerorum notis. Quod, ideò subdit effecisse Menecratem; *quoniam sæpe quibusdam non modo nolentibus contingit errorem in scripturis efficere, committereque; verum etiam per inuidiam volentibus, dum, o, literam, θ, faciunt per mediam rotundam lineam alia per transuersum ducta: Iotam verò literam, alia similiter transuersim apposita: sicut etiam vna linea ex, γ, & ρ, derasa, littera, ι, characterem relinqui contingit. Pari modo ex multis literis, alijs appositione, alijs compositione, alijs ablatione, mutari notas, seu characteres eas indicantes accidit, &c.* Idcirco paulo posterius eo loci

Damo-

Damocratem laudat, quod libros Medicamentorum metris descripserit: Quæ (sicuti primo quoque libro de Antidotis scriptum reliquit) nõ solum, quòd facile memoria teneri; sed etiam, quoniam pondera, atque mensuræ in eisdẽ adulterari, mutarivè nequeunt; valde conducunt. Sed omnium maximè faciunt ad nos ea, quæ Galenus primo de antidotis cap. quinto, priusquam Senioris Andromachi carmina, & prosaicam Iunioris Theriaces descriptionem afferat, scripta reliquit, si conferantur cum ijs, quæ post descriptiones relatas vtrasque, scribuntur ab ipso. Cũ enim quinto illo capite sic ex Andernachi versione dixisset. *Quoniam verò nonnulla perperam scripta sunt, dum quidam, vbi, petentibus scripturam exhibent, sponte mentiuntur; aliqui verò peruertunt quæ à nonnullis acceperunt exemplaria; isti libri, qui in bibliothecis sunt repositi, numerorum notas habentes, ex facili peruertũtur, dum, ε, quod est quinque mutatur in, θ, idest nouem, & in, ο, sed &, ι, in, υ, vnius litteræ appositu, quemadmodũ, & alterius ablatione. Quapropter ego, sicut Menecrates librum conscripsit titulum imponens Hologrammatos, Autrocator, quasi dicas, integris literis descriptis Imperator, in quo septem, duabus Syllabis scripta sunt, non per, ζ, solum, viginti, tribus syllabis, non per, χ, duntaxat, exprimit, triginta, quatuor syllabis effert, non per. λ, tantum, aliaq́; similiter: ita faciam, & ego. At laudo etiam Andromachũ, qui carmine Theriacam ipsam, quemadmodum alij nonnulli, descripsit. Damocrates etiam alia omnia numeris inclusit; rectè nimirum faciens: minimè siquidem fraudolenti possunt eas peruertere, &c.* Cum hæc, inquã, priusquam descriptiones illas rescripsisset, ita Galenus eo loci notasset; post vtrasque deinde, tam, scilicet, Senioris equestrem, quam Iunioris pedestrem, descriptiones allatas, cum vidisset Andromachum Iuniorem piperis nigri drachmas habuisse viginti quatuor, longi verò sex: seniorem è contra longi viginti quatuor, sed nigri sex; totã huiusmodi inter vtrosque differentiam censens in numerorum corruptelam referri posse; sic ait. *Cæterum in vno inter se discrepant, quoniam metrica scriptura viginti quatuor drachmas longi piperis obtinet, pedestris autem sex. Quia verò, sicuti dixi, multa exemplaria vitiatas medicamentorum quantitates habent; ideo primum quidem integris literis ipsum conscripsi, Menecratem imitatus, deinde autem post hoc, etiã numeris expressas apposui.* Quibus duobus collatis locis, apparet, & saltem probabiliter colligi potest, Galenũ Andromachi Iunioris descriptioni, putasse, quoties in medicamentorum præscribenda quantitate discedit à Seniori & à Patre, (quòd aliquando facit) non ita tuto credendum esse. Quapropter inferius etiam, videlicet capite decimoquarto compositiones vtrasque in

Q numero

numero quidem simplicium ingredientium esse conformes, in pondere tamen quarũdam medicinarum esse diuersas affirmat; ait enim. *Et medicamentum præterquam in pondere quarundam medicinarum, omnino concordi sententia tum Senior, tum Iunior etiam descripsit Andromachus.* Quòd si quis ideo, quoniam Galenus nullius inter Patrem, & Filium in melle præscribendo differentiæ meminerit, arbitretur se posse colligere centum, & quinquaginta drachmas illas non habuisse Galenum; longe lateque decipitur, quoniam, neque noningentis acceptis, & sexaginta, differentiæ, quæ inter patrem, & filium intercederet adhuc, mentionem aliquam effecisse videretur. Quare credendũ est potius, numerum, seu characterem, & notam, qua Iunior Andromachus in mellis quantitate præscribenda fuit vsus, veluti corruptam, non solum Galeno fuisse suspectam, sed etiam penitus ab ipso despectã; ac proinde veluti indiffinitam, & indeterminatam fore mellis quantitatem illam ab eodem acceptam. Ex quibus omnibus satis clare (ni fallor) apparet duplici ratione fieri, vt propositum Argumentum, in quo tota spes, & omnis eorum gloria posita videbatur, nullius momenti censendum sit; vt quod, scilicet, vna pariter, atque altera, responsione tollatur.

Octaua ab Aduersarijs adducta ratio soluitur. Vbi quomodo Pondus Mensuræ respondeat, in melle potißimum, declaratur. Cap. XIII.



Voniam verò postrema Aduersariorũ ratio, qua, supposito nostro (nimirum decem libras illas à Galeno determinatas, mensurales esse) concesso, colligebant adhuc, & argumentabantur non tantam sumi posse pro confectione Theriaces copiam mellis, quantam Aromatarij nostri sumere solent, tum ab autoritate, tum etiam ab experimẽto desumebatur; oportet, vt, cum ad calcem disputationis huius iam deuenerimus, responsionis fundamentum & nos (quò, scilicet, vltima primis ex omni parte respondeant) tum ab autoritate, tum etiam ab experimento petamus. Profert igitur primo Iuuenis eruditissimus autoritatem, ac testimonium scriptoris cuiusdam libelli de ponderibus, & mensuris, quem asserit affirmasse decem mensuræ libras continere mellis libras duodecim cum dimidia redactas ad pondus, ad lancemque dimetitas. Deinde subaddit se lõgè minus eas etiam pendere certo quodam experimento didicisse, neque pluris, quàm vndecim

decim libras, & vncias octo ponderis, & grauitatis mel ipsum habere, contineréque dignouisse. His duobus fundamentis innititur ea ratio tota. Pro cuius solutione, quanquam satis esset nobis ab experimento solo, & à sensu veritatem ipsam haurire, cum, scilicet, Vbi sensus, & experimentum, quod satis est fidei præstare possunt, neque ratio quærenda, nec aliorum testimonium sit expetendum: Ne tamen nostra hæc opinio autoritatibus destituta videatur, & vt clauum (quemadmodum dici solet) clauo tollamus: placuit nobis initium destructionis rationis huius ex multorum Scriptorum autoritatibus, & testimonijs assumere. Quòd tanto quoque libentius efficimus, quanto scimus eorum plurimos, qui sua nobis autoritate fauebunt, sine experimento non fuisse loquutos. Sed vt à tribus Græcis ignotis, qui de ponderib. & mensuris nõnulla docuere, sumamus exordium, liberè dicimus, & vera dicimus, nos in eorum nullo vidisse mensuram aliquam decem librarum, aut decem libras ipsas mensurales, tã paucæ capacitatis, vt solas duodecim libras, cum dimidia reddant ad pondus, si plenæ melle capiantur. Siquidẽ autor illius libelli, qui cum Galeno solet imprimi, immò verò ab aliquib. etiam (quanquam vanè prorsus) eidem adscribi, ab alijs autem veluti Pauli Æginetæ, (sed falsò quoque) citari, cum primò dixerit (pondus mensurarum humidorum explicare volens) Mel vino grauius esse quarta, atque amplius etiam decima parte, quod in vniuersum est proximũ tertiæ; Oleo verò Mel idem dimidia parte ponderosius agnosci; postremoque vinum oleum excedere nona parte: in tabula deinde mensurarum, & ponderum, dum olei, vini, Mellisque grauitatem, & grauitatis differentiam cuique mensuræ subiecit, de Congio, quem mensuram esse librarum decem Romanarum iam demonstrauimus, Sermonem habens, affirmat ipsum Olei continere ponderis libras nouem, vini decem, & mellis tresdecim, & semissem. Vt proinde, non possit hic Autor ille fore, quem ipse citat; cum decem Hic mensurales libras, quæ congium efficiunt, non asserat duodecim cum dimidia pondere mellis, sed tresdecim atq; semissem. Alter quinetiã Ignotus autor, qui cũ superiori Galeno coniũctus, & simul reperitur impressus, ac de ponderibus, mensurisq; Veterinariorũ nõnulla pertractat, affirmat Cõgiũ mellis pendere libras tresdecim, & semissem. Cui tandem, & tertius ignotus Græcus, sub nomine Dioscoridis vna cum prædictis impressus, assentit: Nam mellis, inquit, Congius habet libras tresdecim, & semissem: sicuti Semicongius libras sex, & vncias nouem: quanquam in margine pro Cõgio quoque notentur libræ quindecim; pro Semicongio verò libræ septem, & semis: & in illius libelli emendatione, Neander parimodo scriptum

reliquerit. Vt proinde qui sit Autor hic liberi de ponderibus, & mensuris ab ipso vocatus, qui decem mensuræ libras, pendere mellis duodecim cum dimidia testetur, sit adhuc nobis ignotum: & ob id hucusque primum fundamentum rationis illius ab autoritate desumptum, ruinosum appareat immo verò iam sponte corruat, & delabatur. Pro cuius omnimoda euersione præstat ignotis Græcis Autoribus illis, notiores, immo verò notissimos alios addere. Inter quos omnibus præferendus est diligentissimus Georgius Agricola, qui, se cuncta experimento subiecisse testatus, affirmat Congium mellis quid amplius quàm libras tresdecim, & semissem pendere, videlicet libras tresdecim, vncias decem, drachmas quinque, & scriptulum vnum. Accedit huic Doctissimus Syluius qui libro tertio iam allegato, cum prius dixisset Quæ pondera, quibus mensuris quorumcunque liquorum rectè respondeant, Paulum in operis sui fine docuisse: Iam Atticas ipse cum liquidorum ponderibus in vino melle, & oleo recensens, de Congio scribit eum capere mellis libras duodecim cum dimidia. Quod etiam Dessenius in Atticis mensuris explicandis asseruit. A quibus tamen nunquam existimarem Viduam nostrum eruditissimum desumpsisse decem mellis mensuræ libras redactas ad pondus, fieri duodecim, & Semissem. Cum certo suam ipsum haud ignorare Congium Atticum nouem tantummodo libras mensuræ capere, non autem decem; vti Congium Romanum accipere, continereque demonstratum ab alijs, & à nobis in superioribus quoq; declaratum est. Consimilia, vel parum ab ijs differẽtia scripsit Michael ille Neander, de quo superius: hic enim quadam tabella siue Kanonio, quodam (sic enim vocat) Galeni testimonijs, & experientia non fallaci constructo, distribuens vnicuique mensuræ pondus in dictorum vnoquoque liquore, confirmat Congium mellis pendere libras tresdecim vncias decem, drachmas quinque, & scriptulum vnum. Affirmauit idipsum Bergomensium Medicorum Collegium: & omnibus ijs pari modo subscripsit Præceptor Mercurialis eo loci quo supra, constituens Cõgium mellis continere libras grauitatis, & ponderis tresdecim, vncias decem, Drachmas quinque, & scriptulum vnum. Quod, vt summatim dicam, ab omnibus ferè, qui differẽtias has grauitatis in oleo, vino, melleque considerarunt, receptum, & eò saltem confirmatum est, quòd decem mensuræ libras vnanimes asserunt redactas ad pondus, tresdecim illas excedere, quanquam aliqui sex, alij verò decem, & amplius vncijs, illas easdem superare statuerint: cum non defuerint vlterius etiam qui decem mensuræ, quindecim, in melle grauitatis reddere libras existimauerint. Quanquam ij parumper in olei pondere ab alijs euariẽt, vt paulo post

so post declarabimus. Cęterum inter ignotos Gręcos, & inter alios post eos recensitos à nobis Autores, non modica in ijs liquoribus metiendis, & ponderandis differentia noscitur. Quanquam enim omnes in mellis pondere præsignando modice differant (cuius modicæ differentiæ rationem etiam paulo posterius inuestigabimus) in proportione tamē illius ad reliqua duo corpora liquida, vinum nimirum, & oleum, facienda, dissentiunt. Cum enim omnium ferè, qui de eiusmodi re scripsere, sententia sit ita Vinum, Oleum pondere superare, vt nonam amplius partem grauitatis illius contineat, & complectatur; Mel verò grauius esse vino tertia parte; non videtur eiusmodi tertia pars apud omnes vno prorsus, & eodem modo cōsiderari: Nonnulli siquidē (sicuti tres ignoti Græci, & aliquando Dessenius) eā in leuiori corpore liquoreve sumptitandam esse cēsuere. Qua ratione fortasse potius, quā eorum autoritate motus, eruditissimus Iuuenis; cum probe nouerit ex Galeno constare, libram eam mensuralem insectam lineis in cornibus apud Romanos, olei continere ponderales vncias decem, ac proinde cōgium oleo repletum pendere centum vncias, quę libras octo conficiunt, & vncias quatuor; parique modo dignouerit vinum, cum nona parte sit oleo grauius, eiusdem mensuræ, redactum ad lancem pendere libras nouem vncias tres, & drachmam vnam, seu parum minus, veluti facta cōputatione patet: Postmodum sumens & ipse tertiam in vino partem; collegit duodecim circiter libras & vncias octo, decem mellis illas mensuræ libras Autori de ponderibus, & mensuris pendere debuisse. Cum tamen ipse nonnihil in olei pondere à Galeno recedens, affirmet congium mellis (vt dicebamus) libras tresdecim, & semissem ponderis, aut grauitatis habere. Alij autem è contra tertiam eiusmodi partem in grauiori corpore, non in leuiori considerarunt. Quam proportionem omnes ferè cęteri, qui de mensuris, & ponderibus diserte tractarunt, respexisse visi sunt. Quod primum licet in supracitatis à nobis Autoribus intelligere, qui cum vel tresdecim libras, & semis, vel tresdecim, & vncias decem, mellis congium pendere statuerint, Ac vinum nouem ponderis habuisse libras, tres vncias, scruptulos duos, quatuor siliquas, & duo grana dignouerint; vtique videntur omnes tertiam eiusmodi partem in ipso melle velut in corpore grauiori, non autem in vino leuiori.s. considerasse: Quandoquidem si talis proportio spectetur in vino, dimidiæ non tertiæ partis rationem potius habere, & præseferre videtur: etenim libræ quatuor & semis, quæ in melle crescunt, si conferantur ad nouē non tertia pars, sed dimidiū esse dicūtur. Idipsum licet à Phannio quoq; cognoscere; Is enim, quanquam aliud, olei mensurę, pondus efficiat, statuit

enim

enim congium olei pendere libras nouem, vini decem, & mellis quindecim: tertiam tamen eiusmodi partem in melle, non in vino considerauit, cuius quinque libræ, quæ in melle crescunt, dimidium potius, quam tertia pars nuncupari debent: Hanc autem Phannij fuisse sentētiam clare deducitur, & ex ijs, quæ ab ipso de Sextarij mensura, capacitateque in tribus corporibus illis prodita sunt, manifeste colligitur. Scribit enim olei Sextarium vncias pendere decem, & octo, vini viginti, mellis verò triginta. Hæc eius carmina sunt.

Illud præterea tecum cohibere memento
Finitum pondus variare sæpe liquores.
Non libræ, vt memorant, bessem Sextarius addet
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ liuentis Oliui
Selibramq́; ferunt Mellis superesse bilibri.

Eamdem hanc proportionem vt rectè nouit, ita quoque secutus est elegantissimus, & doctissimus Ioannes Fernelius libro 4. suæ Therapeutices cap. 6. scribit enim, *at quoniam Oleum leuius est vino parte nona; Mel verò grauius vino parte dimidia, quæcunque mensura capiet mellis vncias quindecim, capiet vini vncias decem, & Olei nouem.* In ijs enim Fernelius oculatissimus rectè partem eandem, quæ in Grauiori corpore tertia conuenientissimè nuncupatur, in leuiori dimidiam appellat. Facilius enim eiusmodi tertiæ partis exuberātia, proportioque dignoscetur; quoties à ponderosiori desumemus exemplum; nam si dixerimus vinum tertia parte melle leuius esse, seu graue minus; statim agnoscemus, & intelligemus, si sit aliqua mensura, quæ mellis capiat duodecim vncias, eamdem vini capturam octo tantummodo; aut, sicuti rectè Fernelius ad id respiciens aiebat, si quæ mellis accipit vncias quindecim, eam vini solum capere decem. Quam eamdem proportionem Dessenius etiam in Atticis explicandis mensuris (secus ac fecerat in Romanis) sectatus est. Namq; de Metrete Attica loquens (quæ mensura duodecim est Congoirum, librarumque mãsuralium centum, & octo) dum singulorum liquorum eorum pondera illius comparatione perpendit, inquit eam olei bene defęcati pendere libras nonaginta, vini cētum mellis centũ & quinquaginta. Eamdem explicauit in Congio, ait enim congium Atticum capere libras mensurales nouem; Olei verò pendere septem cum dimidia; vini autem octo & vncias quatuor; ac tandẽ mellis duodecim cum dimidia. Quod idem asserit in Sextario, cotyle, & reliquis mẽsuris alijs: dimidiam semper leuioris partem accipiens, quæ in grauiori considerata, tertia redditur. Quæ si vera sunt iam ex ijs, quæ

de

de Sextario supra diligenti sunt à nobis ratione constituta; facta conuenienti multiplicatione per sex (tot enim congium sextarij perficiunt) colligere nos quoque possumus Romanum congium, seu libras mensuræ decem, pendere vini libras nouem, vncias tres, scriptulos duos, siliquas quatuor, & grana duo; sumptaque in eo sensu tertia parte, mellis habere libras tresdecim vncias decem, drachmas quinque & scriptulũ vnum. Aut parum minus, si desit aliquid à tertia parte (quemadmodum Græcus ignotus intelligebat) Qui forte, si tertiam, aut proximam tertiæ partem in grauiori sumpsisset, proximius admodũ ad veritatem, & experimentum accessisset. Et hæc illa sunt, quæ pro tollendo eo primo aduersariorum fundamento ab autoritate desumpto, tot alijs adductis autoritatibus, dixisse voluimus. Pro quorum omnium intelligentia, & adductorum Scriptorum cõcilio, qui (sicuti dicebamus) in modicis quibusdam euariant, & inuicem differunt; animaduertendum fore censemus, non aliam huiusce modicæ differentiæ causam assignari posse, nisi quã Phannius tetigisse quandoque videtur; nimirum, quoniam liquida corpora, eiusdem etiam speciei, dispar, & varium pondus consequuta videntur, quanquam eiusmodi varietas modica sit; vnde & oleum oleo, & vino vinum, & melle mel ponderosius parumper inuenitur, & grauius. Sic enim Phannius illud in Aqua explicauit, & Vino.

Hæc tamen aßensu facili sunt credita nobis;
Namq; nec errantes vndis labentibus Amnes,
Nec mersi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent, non deniq; vina,
Quæ campi, aut Colles nuperve, aut ante tulere.


Hinc rectè, ni fallor, ab aliquibus notatum est in ponderibus olei, vini, & mellis inueniendis, & conferendis, sumendum oleum esse ab amurca, videlicet, ab aquatili humore, & ab omni recremento bene defęcatũ; aliter enim grauius apparet; vinum pari modo flauum, aut quale falernum erat; etenim ponderosius est nigrum; ac tandem mel depuratum à fordibus, quod è fauis destillauerit: &, si (quod attinet ad rem nostram) vera penitus proportio seruari & agnosci debet, desp umatũ, aut sicuti ad Pisonem Galenus inquit) decoctum mediocriter; vt quidquid in eo cereũ est, flatulentumque, in coctione separetur, quemadmodum etiam primo de Antidotis confirmauit: Addimus nos, etiam refrigeratum; siquidem, dum à calore tractatur, in fastum attollitur, & intumescit, proindeque tunc, nondum prorsus (nisi fuerit admodum coctum) à spuma liberum, turget, & summam vasculi capacitatem aeri permixtum, nõ purum, & ab omni flatulenta portione separatum, attingit, & metientes facilè

cilè decipit. Neque enim mihi videntur illi bene sentire, qui, quoniam decem libras eius despumati, decoctiq; mediocriter, sumendas esse Galenus quandoque præceperit, ex illius mente deducunt, si mēsurandum mel quoque sit, calidum esse mensurandum; cum non repugnet esse discoctum, & frigidum; & nullibi apud Galenum legatur decem libras illius calidi fore sumptitandas. Nam quid ineptius, aut quæ ridicula magis comparatio foret, dum pondus cuique mensuræ respondens in tribus liquoribus illis oleo. s. vino, melleque indagantes, & inquirētes duo reliqua, puta vinum, & oleum frigida, mel autem ipsum calidum sumeremus? Quanquam, etiam vbi quidquid est in eo spumosi deponeretur, & tepidum id sumeretur, modica in pondere differentia inter hoc tepidum, scilicet, & illud, nempe refrigeratum, agnosci posset.

Ita nos, vt ad alteram ab experimento desumptam respōsionem deueniamus, sensu duce, sæpiusque repetita experientia, fatemur, olei mē suram pondere decem vnciarum (talis enim est mensuralis libra Galeni) animaduertisse pēdere mellis despumati discoctiq; mediocriter, librā vnam, & vncias quatuor ac ēt parum amplius ita, vt libræ decem mensurales ascendant ad tresdecim saltem, & vncias quinque vel circiter; Quod sane pondus quanquam ab illo, quod ex citatis Autoribus præfiniebamus parumper fore diuersum, at modice variare videatur, forte tamen ea causa fuit, quoniam non vndique à sordibus oleum defecatū, & expurgatum à nobis assumptum, & ad faciundum experimentū vsurpatum est. Quod sanè pondus, tot Autorum testimonio, & experientia confirmatum, aridis assumptis à Galeno corporibus eadem ferè proportione respondet, atque respondent tres puluerum vnciæ singulis libris mellis iniectę: cum, scilicet, Crocum, Napi semina, Gummique, ac ipsam Lemniam Galenus inter liquabilia reponens, ab aridis, & siccis corporibus omnino subtraxerit. Quod si tam essent aduersarij nostri superstitiosi, vel ita scrupulosi, vt omnino vellēt nihil amplius à tresdecim libris illis, & vncijs quinque vel circiter (ab oleo minus defęcato proportione desumpta) in talis Antidoti compositione fore sumptitandū, immo si forte leuius aliquod ipsi mel ad experimentū hoc assumentes, aliquid etiam à constituto pondere detrahendum esse contenderent: Nos quidem illud illis quoque permitteremus, dummodo tantam vini copiam assumerent, & vsurparent, quantam assumere, & vsurpare consueuisse Galenum, tum ex eius ad Pamphilianum constitutis apparet; tum ex modo compositionis ab ipso supra allegato loco descriptæ: dum sic ex Andernachi versione scribit. *Tum cinnamomum, crocum, caßiam ſpicam, thlaſpi, malabathrū, sigillum Lemniū, Chalutim, & eam quidem*

vstam

vstam (nam vsta artificiose hæc colorat Antidotum) amomum, bitumen, castorium incisum, & cribratum tunde in mortario, & contere, sicut collyria solent cum vino. Postea illa superiora commisce cum ijs omnia, & cũ vino reliqua alia trita, quæ in mortario sunt, in pilam transfunde, commiscendo omnia diligenter, atque vinum infundendo tempera &c. Illud vnum satis mirari non possumus, quomodo præter omnium sentẽtiam, præter sensum, & experimentum Eruditissimus Iuuenis noster affirmet se diligenti animaduersione nouisse decem illas mensuræ libras pendere mellis libras vndecim & vncias octo. Neque enim satis nos intelligimus, cuius fecerit experimentum; siquidem quamuis inter mella quoque sint alijs alia grauiora, leuioraque; non tamen credimus, quemadmodum neque etiam nouimus, inter ea tantæ leuitatis aliquod reperiri, vt in constituta mensura librarum decem, sic à diuersis ponderatis à nobis, & ab ijs etiã, quæ scriptores omnes superius adducti tantæ grauitatis, quantæ dicebamus, esse nouere, differat; quodque ita varium, ita diuersum ad lancem dimetitum appareat, vt à consueto ferè cœterorum pondere per duas circiter libras euariet, ac amplius etiam fortasse recedat: intersunt enim inter assumptũ ab eruditissimo Iuuene, & à præcitatis Autoribus ponderatum, vnciæ viginti sex, quæ binas libras efficiunt, & binas vncias. Quod in puro melle contingere incredibile prorsus vnicuique, vel modicè in talibus exercitato, videtur: cum (sicuti nos experientia didicimus) ipsum oximel, & satis etiam liquidum, in eadem mensura, capacitateque sumptum, tantum ponderis in se contineat. Oportet igitur, vt vel in hoc omnes errauerint, & nos vnà secum decepti simus: vel vt ipse solus (quod credibilius est) valde fuerit hallucinatus. Nec mirum cum (sicuti octauo de compositione secundum locos Galenus inquit) *falsæ opiniones animas hominum præoccupantes, non solum surdos, verum etiam cæcos homines reddant, ita vt videre nequeant, quæ aliis conspicua sunt.* Cæterum quoniam tota responsio pendet ex sensu, & ab experimento fidem assumit, non erimus in hoc longiores, vnicuique facultatem hæc experiundi relinquentes: Illud solum addentes Atticum mel (quod de Thymoso in vniuersum Ruellius protulit) non coire, tactuque fila prætenuia mittere. Quod primum (vt inquit ille) grauitatis est Argumentum.



Colligitur ex dictis, & ex eo, quod legis vicem habet, ostenditur consuetudinem hanc immutandam haud quaquam esse. Cap. XIIII.



IAm omnibus aduersariorum confractis telis, cũctisq; nobis ab ipsis illatis vulnusculis, ex toto sanatis, reliquum est, vt quambreuissime colligamus, nullis nullis adductis ab ipsis autoriEorum rationibus, nullis adductis ab ipsis autoritatibus concludentibus, aut aliquam nobis vim inferentibus; cum scilicet demõstratum hucusque sit, tum rationes illas inualidas, tum numero plures, & existimatione maiores, scriptores esse, qui nobis, quam qui illorũ opinioni subscripserint. Remanet, inquam, vt colligamus non posse nos cõsuetudinis huiusce bonis, in quorum tot ab hinc annis possessione perstitimus, vllo iure priuari; proindeque (vt tandem ad vos iterum conuertamur Præclarissimi Patres) nisi vrgentioribus alijs, immo verò demonstratiuis, rationibus Aduersarij nostri prædictam eorum sentẽtiam adstruant, & ex toto confirment, (quod tamen sicuti nunquam ipsos esse præstaturos haud ignoramus, ita semper defensuros esse pollicemur) non posse vos iustius, aut sanctius proferre iudicium, quam vel nihil (vt fecere maiores nostri) in eiusmodi re decernentes, tacitè pristinam cõsuetudinem hanc approbare; vel, si lubet aliquid determinate statuere (quò, scilicet, alij post multos iterum annos, vt ante factum quoq; fuisse monstrauimus, non amplius sacro huic ordini, & nostris successorib. easdem promouere difficultates confidentius audeant,) aperte nostros aduersarios, cum proposita ab ipsis (nulla tamen ratione, nullove vrgente) innouatione dimittere: nobis autem votis omnibus suffragari. Quod tanto magis à vobis præstandum est, quanto constat, hac vna data prima mutatione contingere, vt deinde (quemadmodum in spontinis illis motibus euenit, vbi vno aliquo ab initio moto, multa simul cõmoueri necessum est) alia plura quoque mutanda sint. Quæ sanè priusquam ex toto corrigi, mutarique possint, graue secum, immo grauissimum periculum afferunt, ne humani generis Indiuiduis aliquibus insigniter obsint, & aliquod etiam, non sine vitæ discrimine, nocumẽtum eiusdem generis singularibus alijs inducant. Nã quæsò; si quæ sint probatorum Scriptorum quorundam magistrales(vt vocant) medicamẽtorum descriptiones, in quibus, facta cunctorum ingredientium proportione

tione, symmetriaque, certam Theriaces Venetæ dosim inijciendam esse præcipiant; in qua Theriaces dosi præfinita quoque singulorum simplicium, & terminata pastillorum quantitas reperitur: Non ne, si tam minori mellis quantitate Theriaca parata sumatur, cum in eadem præscripta dosi necessario maior specierum quantitas reperiatur, tota illius medicamenti proportio, symmetriaque mutabitur? non ne præter Autoris mentem medicamentum id alterabitur? non ne maximo cum vitę discrimine ab aliquo, cui dosis ea non conueniat, suspectaque sit, assumetur, & vsurpabitur? vtique. Iam verò cõstat plurimos apud Scriptores, huiusmodi medicamentorum descriptiones adinueniri: sic enim legimus apud Vvecherum Antidotarij sui specialis libro secundo, quo loci de compositis alterantibus Aquis Sermonem habet, in quadam aqua contra pestem; & alibi. Sic apud Quercetanum inspicimus in Pharmacopæa dogmatica restituta; dum Aquæ Antepilepticæ maioris descriptioni, quædam adiungit. Sic, apud alios. Quapropter, & has oportebit, & alias emendare, corrigereque. Quòd quàm difficile sit, non in toto mundo ferè (quemadmodum opus fortassis esset) sed in Vnica sola præstare Prouincia, nullus ignorat. Sed non ne Germani, qui sine alicuius Medici (vt audio) consilio, sed sponte (sic assueti) certam huius Antidoti quantitatem assumere solent, diminuto melle, maximo propriæ salutis incommodo, ac vitæ discrimine quantitatem eandem assument? Quibus etiam (vt dicebamus) in cõtemptum medicamẽtum abibit, & quidquid tot annorũ spacio fidei, sibi talis antidotus apud eos comparauit, totum breuissime concidet, paruoque momento temporis, leuissima causa, prorsus ad nihilum redigetur, & euanescet. Vt quid igitur solo quodam animi motu, ex arbitrio, nullis vrgentibus, proba, & inueterata consuetudo mutabitur? Quam neque leges corrumpendam esse permitterent: immo quam leges habendã esse pro lege constituunt? Ita siquidem Leg. Leges. Cod. Quæ sit longa consuetudo, notatũ, & scriptum habetur. *Leges quoque ipsas antiquitus probata, & seruata tenaciter consuetudo imitatur, & retinet. & quod Officijs, Curijs, Ciuitatibus, Principibus, vel Collegiis præstitum fuisse cognoscitur, perpetuæ Leges vicem obtinere statuimus.* Cuius rei ratio redditur Leg. de quibus, paragra. Inueterata. Digest. de Legibus, & Senatus consultis. dum ita scribitur. *Inueterata siquidem consuetudo pro Lege non immerito censetur: & hoc est Ius, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsæ Leges nulla ex alia causa nos teneant, quam quod Iudicio populi receptæ sunt; merito & ea, quæ sine vllo scripto probantur, tenebunt omnes: nam quid interest suffragio populus*

 volun-

ſuetudo, vel hæc Theriacen componendi ratio, Collegio noſtro non ignorante, immo tacitũ prębente cõſenſum, præſtita ſit, nõ eſt, vt (quidquid aduerſarius noſter affirmet) in dubium amplius ab aliquibus reuocetur; Cum ex actibus, Collegijque noſtri monimentis idipſum iam apparuerit. In quibus, præter cætera, quę ſuperius à nobis allata ſunt; ea ſpecierum ad Mel ſymmetria, proportioue, quam adhuc noſtri myropolæ ſeruant, in actibus D. Thomæ Philologi Rauẽnas ijs etiam verbis explicata, cognoſcitur. *Fuere ſpecies contuſæ, quæ anno 1565. pro conficienda Theriaca paratæ ſunt ab Aromatario ad Inſignia Medici, pondere libræ decem, & ſeptem Gummi verò libræ duæ. Mel autem deſpumatum, pondere librarum octo ſupra ſexaginta.* Patet autem inibi Mel quadruplum ad ſpecies eſſe; decem etenim & ſeptem, quater accepta, conſtituunt octo ſupra ſexaginta. Sed in his amplius immorari ſuperfluum. Illud potius addendum, & animaduertendum à nobis eſt, ne quis hanc quanquam centum amplius annorum conſuetudo ſit, conſuetudinem adhuc appellari non poſſe defectu temporis, quoniam forte nondum mille ſint anni tranſacti, contendat; Quod allegato loco ſuperius notatum eſt. Vbi quàm leges conſuetudinem vocent, Gloſsa demonſtrat, dum ita loquitur. *Appellatur conſuetudo, quæ decem aut viginti annorum ſpatio ſeruata fuit.*

Atque tot ea ſunt, quæ in hac laborioſa potius, quam ſubtili diſputatione, dixiſſe voluimus. In qua ſi probabilia diximus, ſatis eſt, ſin minus, alij demonſtrent, ſi longiores fuimus, excuſandi ſumus. Nos enim qui certas Scriptorũ, & fidas opiniones afferre curauimus, proque multis laborare ſoli maluimus, triginta quatuor Autorum ſententias vnico verbo referre nequiuimus. Ita tamen (quod ſit propter impatientes aliquos aut guſtus delicatioris, adnotatum, quibus lectio triginta plus linearum continuata; nauſeam mouet) ſcriptum à nobis eſt, vt multa poſſint præteritis multis, intelligi; & omnia tandem, inſpectis inſcriptionibus, capitumque rubricis, inueniri facillime. Valete.

FINIS.

Errata potiora ita Corrigito.

Pag. 23 Lin. 24 Quos ſcilicet. Lege quò ſcilicet.
Pag. ead. Lin. 27 dicturi ſimus. lege dicturi ſumus.
Pag. 29 In inſcriptione capitis. Lin. 4. opinione noſtræ. lege opinionis noſtræ.
Pag. 40 Lin. 18 drachmas noningentæ. lege drachmæ noningentæ.
Pag. 47 Lin. 9 eſt egreſſurus. lege eſt aggreſſurus.
Pag. 48 Lin. 35 drachmas centũ & ſexaginta. lege centũ & ſexaginta nouẽ.
Pag. 72 ab initio capitis. vt inflixas. lege vt inflictas.
Pag. 88 Lin. prima, Antidoti. lege Antidoto.
Pag. 93 Lin. 6 Num itaq;. lege non itaque.
Pag. ead. Lin. 9 nomine ſolum. Lege nomina ſolum.
Pag. ead. Lin. 34 pondere. lege pendere.
Pag. 102 Lin. 20 abellæ. lege tabellæ.
Pag. 110 Lin. 14 etiam earum ratione. lege & ſic earum ratione.
Pag. 124 Lin. 19 certo ſuam. lege certo ſciam.

COPIA

GLI Eccel. Signori Capi dell'Eccelso Conſ di Dieci Infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa per relatione à loro fatta dalli due à queſto deputati, cioè dal Reu. Padre Inquiſitore, & dal Circ. Sec. del Senato Gio. Franceſco Marcheſini con giuramento, che nel libro intitolato Trattato del Signor Fabio Olmo de Mellis opportuna decentive quantitate pro Theriaca Mithridatoq; componendis, nõ vi è coſa contra le leggi, & è degno di Stampa, concedono licentia, che poſſi eſſer Stampato in queſta Città.

Dat. die 9. Aprilis 1614.

D. Franc. Moreſini.
D. Marco Loredan. } Capi dell'Eccel. Conſ. di X.
D. Bernardo Thiepolo.

Eccelſi Conſilij Decem Sec.
Ioan. Baptiſta Padauinus.

1614. adi 11. April.

Regiſtrato in libro à charte 170.

Ioan. Bapt. Breat. Officij
Cont. Blaſph.

6

AVGVSTINI DONII CONSENTINI

Medici & philosophi,

DE NATVRA HOMINIS LIBRI DVO:

In quibus, discussa tùm medicorum, tùm philosophorum anteà probatißimorum caligine, tandem quid sit homo, naturali ratione ostenditur.

Dup

AD

STEPHANVM SERENISS. REGEM POLONIAE.



BASILEAE

APVD FROBENIVM. M·D LXXXI.

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.



VLLA est regio in Europa, *REX* Serenissime, in quam clara uoce iampridem non peruenerit fama uirtutis tuæ: neque ego sum dubius, quin æquè celebris uolitet etiã Africã atque Asiâ: non enim fieri potest, ut tãti principis tàm magna laus Europę tantùm finibus contineatur. Quod cùm ita sit, admirabilis, & propè diuina uirtus tua sit oportet: parua enim stella non emiserit à se magnum lumen, sed Sol omnia collustrat. Speciosa uerò undecumq; fama, & digna, quæ in dies magis magisq; uigeat. Fertur enim, te non modò instructum esse bellicis artibus, optimeq; tenere scientiam administrandi regni, sed etiam excultum habere animum ijs studijs, quæ præcipuè decęnt uirum principem, quippè studijs literarum: & eorum amore undiq; accersere uiros doctos, honorificè excipere: instaurare gymnasium magnificum Cracouiæ. Rarum, atque adeò singulare exemplum regis hoc tempore, quo, aduerso fato, principes ferè animum alienarunt à literis, nec quidquam minùs curant, quàm earum uel studium, uel patrocinium. Qui igitur ne mirentur, si res suæ uel in dies ruunt in peius, uel non melioribus fultæ artibus semper sunt in discrimine, dum tuæ crescunt in dies, & sunt tàm securæ, tàm undique communitæ, ut beata hoc tempore habeatur Polonia, quòd te sortita sit regem. Cùm enim sine longo usu rerum comparari non possit insignis prudẽtia, qua ad remp. benè gerendam opus est: necessariò ad eam rem literarum monumenta requiruntur. Tàm breuis enim est hęc nostra uita, ut uel cui longissima contingit, uix ad pauca satis experienda sufficiat: & à consilijs sæpè accidit adesse principi eos, quibus ipsis maximè esset opus consiliario. Literis autem breuibus spatijs consignata habẽtur facta uirorum clarissimorum totius memoriæ: artes consilia, euentus: regnorum & re-

rumpublicarum exortus, incrementa, ſtatus, inclinationes, occaſus, fortuna uaria: unde iam aliorum periculo habita experientia rerum, ſumi poſſunt uſque apta exempla, ad quæ actiones in rerum adminiſtratione dirigantur. Nonnumquàm etiam adiuuant ij ipſi, qui ſcribunt, ſapientes uiri, qui de ijs, quæ ſcribunt, interponunt prudens ſuum iudicium. Sed ratio ipſa rerum, quæ à felicibus ingenijs ſtudioſè obſeruata, literis tradita eſt, etiam plurimùm poteſt uel ad inuentionem, uel ad directionem conſiliorum iuuare. Aliud quoque, nec paruum, bonum ſolet prouenire ex literis: nam peculiari ferè quadam efficientia inducunt ad humanitatem, qua maximè homines capiuntur. Tu itaq; unus omnium optimè intelligis, & ſapis: imitarisq; ea re, ut cæteris, ueteres illos maximos, quorum nomen omni ueræ laudis genere ornatum, perpetuò ſcriptorum beneficio manebit. Et ex tàm prudenti, prorſusque egregia imitatione duplicem capies fructum: alterum, quòd magna cum uoluptate remp. tibi demandatam uidebis floridam, ac beatam: alterum, quòd & uiuens eris in honore apud omnes gentes; & moriens nomen immortalitati honorificis monumentis mandandum relinques. Iam uerò tàm clara uirtutis, ſtudijque fama cepiſti animos omnes omnium; ut nemo iam ſit, qui te non amet & ueneretur; quiq; non precetur tibi ætatem longiſſimam. Literatorum autem animos incredibiliter erexiſti: qui alioqui deiecti de ſpe honorum, pro ſuo tantùm ſolatio, moleſtiarumq; uitæ lenimine, lentam nauabant operam: nunc uerò ſumptis animis alacriter, ſtrenueq; agunt: iamq; multi, uti uideo, quiſque eo genere, quo laborat, pro ingenij facultate, te abſentes alloquuntur, certatim conantes dare ſpecimē induſtriæ ſuæ. Inter eos autem, quos ad cultum nominis tui excitaſti, cum primis ipſe ſum, obſcurus adhuc homo, notusque paucis, ſed forſan non minimi laboris in bonis ſtudijs: qui cùm multos iam annos, ſic meo ferente genio, tenear ſtudio cognoſcendæ naturæ rerum, iamque ſumma cura, magno labore uidear noua, & (niſi fallor) cognitu digna animaduertiſſe; decreui donum aliquod diligenter pro uirili elaboratum offerre tibi: ſperoque elegiſſe materiam non indignam principe. Propoſui enim tractare apud te de natura hominis

hominis, quem quidem plerique ueteres amatores sapientiæ rerum naturalium omnium nobilissimum duxerunt, adeoq; perfectum existimarunt, ut parui mundi instar haberent: naturam uerò eius excellentissimi quiq; indefessè quæsiuerunt: atq. adeò pythius dæmon, ipse homo maximè cognoscat, monuit. Ac si omni homini cognoscenda est, principi maximè cognoscenda est, quem in primis decet rerum magnarum, uulgo non cognitarum, cognitio: ut quemadmodum dignitate & opibus, sic etiam tali scientia præclarè, insigniterq; antecellat. Non una autem cùm sit ratio tractandi de homine, in præsentia ego eam tenebo, quam etiam suscepti operis monet inscriptio: scilicet, quam indicant res hæ obnoxiæ motui; hoc est, naturalem: diuina uiris altiori ingenio, qui in ijs studium, operamque locant, concessero. Monet enim commune præceptum, neminem polliceri, aut conari debere, quæ præstare & absoluere non possit. Hac autem duce tantum spero præstitero, præstare certè conabor, quantum cultor naturalis studij, mediocriter exercitatus, præstare ualeat. Verumtamen antè quàm quæ habeo de hominis natura, dicere aggrediar, cogor detinere regias tuas aures diutiùs, quàm uel occupationes tuæ ferrent, uel requireret assumpta materia. Quia enim ea, quæ ab antiquioribus, qui ferè hodie sunt in pretio, sunt tradita in tali caussa, ea fide sunt accepta, ut qui ea teneat, is tandem uerum tenere existimetur: oportet, si uelim nouis aliquid esse loci, reddam caussas, quare ea, quæ didici à ueteribus, non placuerint. Quod dum ago, graue certamen suscipiam oportet: neque cum humilibus, aut gregarijs, sed summis, atque principibus; Hippocrate, Platone, Aristotele, Galeno; à quibus sanè meliores longè, quàm ab alijs, traduntur rationes, quibusq; ego ipse præclara refero accepta. Quamquàm ego non descendo in arenam, ut uelut ingratus, coner quoquo modo eos uincere & profligare, quibus numquàm satis dignas grates agere possumus: quorum quidem operâ multa præclara sunt in physica manifestata, & quibus uel rationes ostendentibus, uel certè ostendere conantibus, & quasi notas quasdam tradentibus, deinceps ulteriùs procedimus: sed ut, eorum ipsorum exemplo, liberè ostendam, quæ ab ipsis dicta non pla-

ceant, caussas reddens ab ipsorum etiam ferè desumptas libris, ac demùm meã feram sententiam, examinandã etiam illã uiris eruditis, paratus recantare, quotiescumq; ratione cõuincar. Illud enim semper statui esse boni ciuis in literaria rep.: maiorib. qui quę potuere animi, industriæ, diligentiæ monumẽta nobis reliquerunt, gratias quidem agentem, & honores decernentẽ, nõ sic tamen temerè approbare omnia, sed considerare etiã atque etiã: & si uera uideantur, nẽpè cum ipsis rebus consentire; laudare: sin minùs; quid peccent æquissimo indicare animo. De se moderatè, atque adeò demissè sentire: si qua ædat noua, subijcere iudicio prudentiorum. Quod autem ego nunc facturus sum, nõ dubito, quin faciam bona gratia manium eorum, quos mihi egregios aduersarios constituo: qui dum uiuerent, ueritatem solam quęrentes, eam solã coli debere decreuerunt, & nihil sibi tribui, nisi ueri essent, uoluerunt: aliqui etiam erãt ita modesti, ut, ubi rerũ magnitudine se deficere cognoscerẽt, ingenuè faterentur, & rogarent per deos, si quis fortè boni aliquid inueniret, amicè impartiretur. Aristoteles autem, uir alioqui spiritus ingentis, scribit, ueritatem pro dignitate assequi posse neminem: imò uerò, ut noctuarum oculi ad diurnum lumen affecti sunt, sic animi nostri mentem ad ea esse, quæ naturâ clarissima sunt omnium. Vt etiam fatentibus ijs, qui principes habentur philosophiæ, semper possint superesse noua, acutis uestigãda ingenijs, quæ demùm prolata libenter cognosci debeãt. Tu uerò, qui ea animi fortitudine diù iam assueuisti in ueris bellis, spero non ingratum habebis spectare umbratilem pugnam hominũ otiosorũ, quæ in re diuersa, similitudine quadam iuuare animum possit. Nam si in agendo fuero paullò prolixior, (fuero autem perinuitus) uel in summam breuẽ redigi argumenta iube, uel, certamine præterito, ea tantùm lege, quæ à me tradita ex propria sententia cognosces.

Breuiore Metaph. cap. 1.

Quid

Quid intelligatur per naturam.

CAPVT I.



RIMVM autem dicam, quid intelligam per naturam, ne de re agere uidear, quæ mihi nondum sit definita. Per naturam intelligo, tùm essentiam corpoream, qua constat homo: tùm naturam incorpoream, quæ præstat, ut corpus nostrum sit tale, ut quidem fit omnibus alijs corporibus, quibusque à sua: namque omnia corpora naturalia constant ex materia, & incorporea quadam ui, quæ facultatem habet agendi, atque efficiendi: exsistuntque talia, uel talia, ubi ea uis materiam quasi induerit, sibique subiecerit. In primis autem intelligo substantiam illam, quæ, ut effingit corpus hoc in organa, sic caussa est efficiens operationum, quæ in animali uiuo fieri uidentur, omnium. Ac tot modis à uiris magnis, qui de eadem re sunt loquuti, intellectũ est.

Veterum probatißimorum opiniones de natura hominis. CAP. II.



Ippocrates, medicus Cous, scripsit de natura hominis commentarium, qui adhuc exstat: quo ille sibi persuasit, non minùs ueris, quàm necessarijs rationibus probasse, hominem esse sanguinem, pituitam, bilem flauam, & atram: compositum nimirum quid ex ijs quatuor, quos uocauit humores. Quia enim uidere sibi uidebatur, quatuor esse prima corpora, quæ posteà sunt dicta elementa: existimauitque, omnia, quæ non essent prima, constare ex omnibus ijs, sed mutua alteratione mutatis: quin ne generari quidem posse ullum, nisi illa inter se miscerentur: in homine, ut in cæteris, ea omnia posuit. Nam si illa contrarijs inter se essent uiribus, quasi conuenire in unum putauit per mistionem & temperamentum: quod quidem rectè processerit, ubi illa maximè fuerint mista, hoc est conserta inter se, compositaque: moderateque & æqualiter se inter se habuerint tùm facultate, tùm copia, ut ne alterum multò præstet, sitq; potentius, quàm alterum.

alterum. Natura autem incorporea, corporis propria, Hippocrati (quantum ex eius dictis colligere licet) qualitas est, ex contrarijs, sed inuicem temperatis, conflata qualitatibus. Substantia autem animæ existimatur illi esse calidum innatum, quod aliquando spiritum uocauit insitum: res uidelicet composita etiam ipsa ex ijs quatuor generibus, sed in qua maximè aereũ, aqueumque elementum superent, magisque aereum, Galeno interprete: quæ quidem substantia una ab initio animal afformet, ac deinde adaugeat, & ad mortem usque nutriat: sitque auctor operum naturalium omnium. Vnde autem sensum nanciscatur animal, si substantia est conflata tantùm ex elementaribus: utrum à primis usque ducat elementis, quæ uel omnia, uel aliqua sentiendi habeant facultatem: an aliqua alia ratione sortiatur: nullus usquam explicatè dixit Hippocrates. Galenus uerò explicans eius sententiam, ut profitetur, ambigit ea de re: aitque, accidere posse, ut prima elementa sentiant, si non omnia, at tamen aliqua: nec minùs, ut nullum quidem sentiat eorum, sed per mutuam alterationem, transmutationemque, tum commistionem & temperationem, tandem in unum aliquod agantur, quod sentire possit: magisque inclinat in hoc posterius. Tantum Hippocrates de natura hominis: nam libri, qui sub eius nomine circumferuntur, unde aliqua alia ratio colligi possit, omninò non sunt legitimi. Hippocraticam mistionem, temperationemque deinde aliquatenus receperunt Plato & Aristoteles: aliquatenus, inquam, quia prior non omnia elementa mutari ait: terram enim non in aliam speciem transire unquam: posterior quia putabat, longè aliud esse mistionem à compositione: & forsan aduertebat, contraria, agendi facultate prædita, si re ipsa maneant, nullo modo posse cessare à pugna: non actu manere in misto ait, quæ miscerentur, sed potestate: mistum enim actu aliud esse iam ab ijs, quæ uenere in mistionem: esseque similarium partium, ut quemadmodum aquæ pars aqua, ita & temperati: partem nimirum eius, quàm uis minimam, eandem habere cum toto rationem. Incorporea natura, corporis propria, atque immediata, Platoni forsan fuerint qualitates quatuor primæ, sed unà temperatæ: Aristoteli forma ipsa corporis, hoc est anima. Animæ autem

1. de Elem. secundum Hipp. cap. 3.

In Timæo.

1. de Gen. & corrupt. textu 86.

Textu 84.

86.

In Timæo.

tem ſubſtantia Platoni non ſimplex quid eſt, ſed compoſitum, ut Hippocrati: compoſitum inquam ex ijs quatuor principijs, terra nimirùm, aqua, aere, & igne, ex quibus uniuerſa narrat compoſuiſſe Deum. Duas autem eius ſpecies facit, coniungitq́; unà diuerſiſſimas: alteram diuinam, immortalem, quam rationalem uocat: alteram mortalem, cuius uult eſſe affectus graues & neceſſarios. Priorem à Deo creatam dicit, poſteriorem à filijs Dei. Rurſus autem poſteriorem ſecat in duas adhuc diuerſas: alteramque facit principium irarum, alteram appetitionum. Priorem illam diuinam in capite locat: ſecundæ alteram ſpeciē in pectore, alterā ſubter præcordia. Omnibus, ait, corpus circumdatū à filijs Dei: eſſe igitur in uſum inſtrumenti, eſſentiæ ſeparatæ ab anima. Quo autem modo corpori colligarentur, & fortè inter ſe, excogitauit uincula deligata in medulla oſſium omnium. Communicare uerò inter ſe illas, inquit, ſuprema obijciente appetitiuæ in iecore ſpectra: itidem, reor, iraſcibili in corde. appetitiuam intentare illi minas utendo amaritudine: exhibere dolorem & anxietatem conſtringendo iecur. Iraſcibilem, ut ſatellitem, adſtare principi rationali, eaque iubente obſequi, molirique unà ultionem tùm appetiuæ, tùm externi cuiuſpiam, quod fortè ſit iniurium. Fingit enim inter illas ſeditiones & rixas, rurſusque pacem, ut in populo factioſo.

Ariſtoteles non tradit animæ ſubſtantiam, ſed definit ijs rationibus, quibus uideri poſſit, tantùm docere, illam, uiuo animali, eſſe in eius corpore, qualiſcunque ſit tandem. Ait enim aliàs: eſſe actum primum corporis naturalis, organici: aliàs, principium uitæ: uel, principium & cauſam uiuentis corporis: cauſſamque tùm ſubſtantialem, tùm finalem in generatione, tùm nunc efficientem motuum omnium, qui uidentur in animali. Omninò uult eſſe ſpeciem quandam incorporeâ eſſentiâ, ut ipſi ſunt formæ omnes, ſedentem in hoc corpore, ut in ſubiecta materia, utentem calore & ſpiritu, ut inſtrumentis, ut ſæpè tradit: ſpiritum enim inſtrumentum eſſe naturæ in uarios uſus. Eſt autem, cùm incertum ait eſſe adhuc, anima ita ſit actus corporis, ut nauta nauigij: hoc eſt, an penitus ſeparabilis à corpore, ſeparatæ eſſentiæ, an uerò forma materialis, quæ extra materiam nulla ſit. Quod aliqui ſuorum de mente dubita-

2. de Anima. textu 6. 7. textu 16. 36. 37

2. de Gen. & Corr. text. 54. 55 & de Gen. a nimal. cap. ult. 2. de Anima, textu 11.

tum exiſtimant: ſed, ut uidetur, dubitatum eſt de tota anima.
2. de Gen. animal. cap. 1. Vult autem animam effici, producique in materia (quam ſanguinem menſtruum eſſe dicit) à genitore, cuius natura ſemine
Cap. 1. & 3. utatur, ut inſtrumento: cui quidem genitorem modò ait dare motum, modò principium uitale, modò originem & principium
2. de Anima. animæ: quare animatum dicit eſſe ſemen maris. Tria autem animæ genera cùm uiderentur, quæ ſingula ſeorſum diuerſa genera animantum conſtituerent, uegetabile, ſenſitiuũ, rationale: animam hominis, ſpecie unam eandemque, ea omnia
textu 30, 31. habere ait, ea tamen ratione, ut inferiores, uegetabilis, & ſenſitiua, poteſtate tantùm eſſent, ut in quadrato triangulus: aut (ut ego clariùs, & magis naturaliter exponam) iam facultates tantùm rationalis. Sed ipſe, qui ità docet: animam produci in materia, quæ potentiâ ſit corpus tale, eſſe corporis formam, proindeque corpori obnoxiam, ab eo inſeparabilem: diuidit rurſus illam in duas partes longè diuerſæ conditionis: quarum alteram (quam uocat mentem, intellectum, contemplatiuam
.de Anim. textu 19. 20. & 2. de Gen. animal. cap. 3. potentiam) accedere ait foris, ſolamque eſſe diuinam, incorruptibilem, æternã, cum actione cuius nihil communicet actio corporalis. Quod factum ingentium reliquit ſuis cauſſam controuerſiarum, dum alij de mente diuina tunc loquutum magiſtrũ uolunt, quæ nobis intelligere & contemplari conantibus ut lumen affulgeat: alij, propriè de parte humanæ animæ: quod probatur pluribus. Tametſi ipſemet Ariſtoteles ijſdem
. de Anim. textu 90. & ſeq. commentarijs, aliàs refellit eam ſententiam, aliàs fatetur, nondum quidquam manifeſtum eſſe de ea re: non quia nondum
. de Anim. textu 21. demonſtrârat, ut aiunt aliqui ſuorum, ſed quia neſciebat certũ. De ſpiritu autem illo, quem modò Ariſtotelẽ naturæ inſtrumẽtum facere dicebamus, audire etiam adhuc, fuerit operæpretiũ:
cap. 4. Sic enim ipſemet, libro de Mundo: *Spiritus item natura animata & fœcunda nominatur, quæ in animalibus & ſtirpibus per*
. de Gen. animal. cap. 3. *omnia meat.* Et de calore & ſpiritu, alibi: *Sed enim omnis animæ ſiue uirtus, ſiue potentia, corpus aliud participare uidetur, idq́ magis diuinum, quàm ea, quæ elementa appellantur. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, uidelicet, quod calor uocatur: idq́ nõ ignis, nõ talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoq́ corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiri-*

eo spiritu est, proportione respondens elemēto stellarū: quam ob rem ignis nullū animal generat: at uerò Solis calor, & animalium, non modò qui semine continetur, uerum etiam si quid excrementi sit, quamquàm diuersum à natura, tamen id quoq. principium habet uitale. Tum alio loco adhuc magis explicatè: *Generantur in terra, humoreq́ animalia, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in uniuerso est, ità ut quodam modo omnia animæ plena sint: quam ob rem cōsistunt celeriter, cùm calor ille comprehensus, siue exceptus est. comprenditur autem, & humoribus incalescentibus efficitur ueluti bulla spumosa.* Etiam alio: *Putrefactis*, inquit, *facillimè ingenerātur animalia, quòd excreta caliditas constituit, & componit corpora.* Galenus in animali duo calida ponit, efficentia seorsum utraque, ut uidetur: quorū alterum uocat natiuum, alterum aduentitiū. Prioris substantia superiùs descripta est: posterioris siccā ait esse & igneam. Vocat autem aduentitium, non quia uel in primis ortus primordijs non fuerit, sed quia ipsa die prodere se, inualescereq; uideatur. Aitque, natiuum superare in pueris, aduentitium in uiris: illud hyeme copiosum esse, hoc æstate: & quemadmodum ab illo omnia naturalia opera rectè peraguntur, sic hoc esse in caussa omnium ferè morborum calidorum, atq; siccorum. De ui naturæ ꝓpria & immediata, haud ferè aliud habet, ac natiuā caliditatem, temperamentum quatuor qualitatum. De animæ substantia incertus est,ferturque modò huc, modò illuc. Sæpè suspicatur eam esse temperamentum: aliquando spiritum animalē uocatū, cerebri cellas inhabitantē: aliquando insitum cerebro; aliquando toti corpori: est, cùm natiuam caliditatem cerebri, aut totam speciem constitutionis eius. Ferè autē fatetur ingenuè, nescire se: quemadmodum caussam animalia formātem: quam quidē modò ait esse semen, uim seminalem: modò mentem quandam à corporibus superioribus extensam per aëra, qui uim assumat à Sole, dum lucis eius fit particeps. Vsque tamen dubitanter: sicut dubius est semper, anima, & uis formatrix, unū idemq; sint, nécne. Neque inuitus fateretur, ipsam animā efformasse corpus, nisi quia in anima, uegetali ab Aristotele appellata, à Stoicis natura, non agnoscit rationem & sapientiam; & nisi uideret (ut inquit) quòd motus ædimus, instru-

[Margin notes: 3. de Gen. animal. cap. 6. — In primum Aph. 14. — Lib. Quòd animi mores: & alibi sæpè. — 7. de Placitis, c. 3. de Vtilitate resp. c. 5. — de Tremore, &c. cap. 6. — De Format. fœtuum, cap. ult. — Ibidem. — 17. de Vsu part. cap. 1. — De Format. fœtuum, cap. ult. — Ibidem.]

Ibidem. mentis mouentibus ignoratis. quare neq; post partum animal dispensari suspicatur ab anima rationali. Simplex autem

Ibidẽ. & frag. in Timæum. ne sit anima, an non, in dubio itidẽ est. Aliquando enim facilè concederet rationibus eorum, qui totam simplicem illã posuerunt: aliquando non; sed duplicem saltem mauult: neque id alia de caussa, nisi quia mens & ratio naturales rationes, operationesque minimè nosse uideatur. Quocunque autem modo

De Form. fœtuũ cap. ult. se res habeant, illud sine ulla dubitatione pronunciat: nempè, pòst quàm formatum fuerit corpus uniuersum, in toto uitæ curriculo gubernari tribus motuum principijs: ex cerebro per neruos & musculos, ex corde per arterias, è iecore per uẽas: quæ principia passim uocat facultates: quæ autem sint illa, hoc est, qua essentiâ, non audet manifestè constituere, ueritus ubiq; definire animæ substantiam. Quãquàm autem diuersa omninò uideantur principia, tamẽ consentire & conspirare ait: modum

2. Methodi. cap. 5. uerò intereà nullum demonstrat. Tum quodam loco delegat ijs principijs tres spiritus, suum unicuique, quos uocat nominibus, quibus solet facultates; animalem, uitalem, naturalem: & animalis quasi fontem facit cerebrum, uitalis cor, naturalis iecur: qui quidem inde procedentes, primus per neruos, secundus per arterias, tertius per uenas, in omnem partem, sint uel

Ibidem. instrumenta, uel uehicula facultatum. Quanquam uitalis ait non esse euidentem demonstrationem, & de naturali magis adhuc dubiè pronunciat. Sed neque semel certa & firma est uiro illi sententia de processu eiusmodi omniũ spirituum: est enim

de Simpl. med. fac. cap. 9. ubi, sed uacillando, per alios neruos, quàm uisorios, non spiritum, sed facultatem tantùm transmitti statuit: idq;, ob tenuitatem fibrarum. nam, *Si peruiæ eæ essent, tùm facillimè discerperentur*, inquit; *tùm meatus in singulis penè momentis obturarentur*: et, *Facultatibus celeritas mouendi conuenit, corporibus eadem aduersatur*. Hec ferè ij uiri de natura hominis: quæ singula ordine reuocanda in examen, excutiendaque sunt.

de Placitis, cap. 4. Lib. An sanguis in arterijs cont. cap. ult.

Quatuor

Quatuor humores non respondere ijs elementis, quibus sunt relati: neque esse absolutè tales, quales sunt positi: humoris etiam nomine simpliciter non rectè uocatos. CAP. III.



Vatuór ne sint prima corpora, uocata elemẽta, & talia, qualia sunt posita: nec nõ an ex ijs omnibus simul cõmistis sit necesse constare alia omnia, quæ generãtur: non patitur res proposita ut exquiramus. Agemus autem de quatuor uocatis humoribus: quæremusq; num singuli respondeãt ijs elemẽtis, quib: sunt relati: num sint tales, quales sunt traditi: demũ etiã, num rectè humoris nomine simpliciter sint affecti. si enim ostendã, id nõ esse: erit satis ad disturbationem, euersionemq; eorum principiorum. Ego enim id ut asseram, faciunt eadem argumẽta, quibus utuntur ipsi auctores eius sententiæ: uidelicet ducta à colore, consistentia, & ijs, quæ patiendo singulis eueniunt. Hippocrates .n., cùm substantias dijudicat, inspicit colores, tractatq; consistentiam: Galenus ait, colorem, duritiem, molitiem, necessariò consequi tẽperamentum, quod quidem ipsi partium substantia est. Plato iudicans naturam quamq;, attendit facultatem, quam ea habeat uel ad agendum, uel ad patiendum: itidemq; Cous. Iam uerò sanguis ruber est, & tenuis, & aëreo refertur elemẽto: pituita albet, estq; crassior, & subditur aquæ: bilis flaua est, & elementari ratione tenuior sanguine esse deberet, quando attribuitur igni: melancholia ipso nomine refert nigredinem, estque crassa, & à terra agnoscitur esse. Auctor autem libri de Coloribus, qui uulgò Aristoteli attribuitur, scribit, rubrum colorẽ exoriri, ubi copiosum lumen primo nigro tẽperatur, hoc est, cum re magnopere nigra confunditur. Id quidem non est necesse, ut, cui lumen misceri debet, uehementer sit nigrum: nam etiam sub nubes tenues, tenuesq; exhalationes radij Solares contrahũt ruborẽ: satis est, esse crassiusculum, & opacum, quod à se non luceat. Cętera rectè dicuntur: idemq; docet Plato, idem sensus. Cur igitur sanguis non attrbuitur igni, qui solus uidetur lucere inter

1. de Vsu part. cap. 9.
In Phædro.

elemẽta? aër.n.dum aër est,quàm uis densatus,nullum fortasse reddat lumen: nostris certè auctoribus nullum. Galenus uerò ipse ueretur aliquando,sanguinẽ ex colore aëri assimilare. Tum qui sunt prudentes rerum, norunt, colorem flauum esse infra rubrum,hoc est,nigro uiciniorẽ. quod si ita est,ut est : cur bilis non alij tribuitur elemento? aut, si id non potest fieri, cur non ignis dicitur esse magis passi,& affecti,quàm in sanguine? Pitui- ta iuxta Aristotelis & aliorum sententiam, falsam illam quidẽ, sed sensu imperito probabilem,albior est aqua,unde esse fertur: unde nam ea coloris accretio? Ex spiritu admisto,dixerit Galenus cum Platone,& aliquo alio. Sed mitto,quòd non nigrescit sub aere,ut spuma,& semen dissolutum, ut deberet, iuxta ipsorum rationem: si multus spiritus in pituita continetur, cur nõ iam est multò leuior aqua? Si uerò ostendant rationem, qua aliquid tàm tenue, quàm aqua est, compositum multò adhuc tenuiori,euadat crassius;uendant tota cum gẽte Donium. Ergò ex admista terra accesserit albor pituitæ? Id quidem rectè processerit auctori libri de Coloribus,qui terram quoq;.ponit albã: at unde nigredo melancholiæ,si id fuerit? Ex adustione diceret ille idem. Sed hìc ne quidem ipsi reor recipi ea caussa possit. Quia enim melancholia etiam ad ipsa primordia generationis cõferri existimatur: si ustio perpetuò caussa sit eius nigroris,planè oporteat, statim in ipsis primordijs calorem animalem,qui quidem, fatentibus cunctis,per ea maximè pollet, & agit,esse urentem: qui tamen numquàm urens posse esse existimatus est. Nolo dicere, impossibile prorsus esse, ignem quidquam, quod album,& totum tale sit,posse reddere ullo modo nigrũ: quî enim nigra ille faciat alba corpora, qui candidus est ipse? Sed terra ipsa nigerrima est, & nigrorum primum; ut alibi est demonstratum: quare recta & uera ratione à terra esse dicetur substantia, quæ nigra uideatur. sed ea nullus umquàm fuerit humor,ut iam manifestabitur. Verùm enimuerò, substantia, cuius secretò est rubor,tenuior est ea,cuius secretò est flauities: est enim illa naturæ gradu maioris,& in materia omninò sedẽtis tenuiori. Nosse id possunt rectè ij,qui hoc tempore stillanti uaporario segregant dissimilitudinẽ compositorum,si ut rectè operentur,sic rectè ratiocinentur; tùm etiam quicumque uelit,

2. de Gen. animal. cap. 2.

in his,

in his, quæ omnibus sunt in manibus: pomorum enim & florum, si igni admoueantur, apertè citiùs euanuerit rubor, quàm flauities. Quo igitur iure substantia tenuior crassiori elemẽto attribuitur, crassior tenuissimo omnium? Atqui, inquient, sensus iudicio, bilis maiorem præbet calorem. Istud quoque, inquam ego, imperitorum iudicij est. Primùm .n. sæpè minores naturæ uehementiùs nos mouere & alterare possunt, quàm maiores, si materiam copiosiorem subiectam habeant, proinde que copiosiores sint ipsæ, & pluribus agant copijs: nam ipsæ flammæ non passæ aliud, ac in amplius diffusæ, non urunt ampliùs: & calcis urens spiritus aliquando non sentitur, nisi affundatur aqua. Tum fieri potest, ut substantijs corpulentis per accidẽs insit uis caloris, ut ignito lapidi: deinde etiam, ijs coërceatur subtilis halitus, cuius uerè sit acrimonia: quibus tamen nominibus eæ minimè propria natura calidæ existimari debẽt. Quid aũt est, quod ijs humorib. (ut ego sic semel uocẽ) dum à calore assantur, accidit? Sanguis tostus agitur in bilem. esto hoc, si dijs placet: nam aër humiditate spoliatus in ignem uerti dicitur. At quid est, quòd bilis flaua magis tosta in atram agitur? ut substantia igni propinqua, de igneo elemẽto constituta, calore agente, uertatur in rem specie & consistentia terrestrem? Nullam substantiam, quantum in se est, reddiderit nigrã candidus ignis, nedum eam, quæ ad suam uniuersitatem pertineat. Idem potest obijci de pituita, quę etiam atq; etiã usta, bilis atræ speciẽ induit, negent id licet multi: nam si tu ipse igni torreas, uideas eam nigrũ sumere colorem. Vnum responsum dari potest, nec prætereà ullũ. nempè, quòd ei, quod bilis dicitur, & ei, quod pituita, multũ adhuc rei terrestris admistum sit. Verum sanè, sed quod duæ accusationes consequantur. Vna, quòd nullo modo sunt tribuenda huic elemento ea, quæ sunt alterius, quia istis, quæ huius sunt, composita sint illa alterius: altera, quòd uon simpliciter dicendum est, bilem, aut pituitam à calore agi in rẽ terrestrem: fit enim uerè sic: Tenuiores partes, uel aqueæ, uel aëreæ, uel quæ ijs sunt proximæ, educuntur à calore: terrestres fiunt reliquæ. itaq; nulla uersio fit tenuiorum in crassiora, sed segregatio ab illis. Nolim autem quemquam nunc dicere, non à consistentia, aut colore, aut ijs, quæ fortè accidant, iudicandũ

de ijs ſubſtantijs, ſed à facultatibus, quas gerere uidentur. Primùm enim id eſt contra maiorum ſententiam, atque factum: deinde alienum à natura. Vt enim uires, facultatesque ſubſtantiarum ſunt, & uſque certæ certarum: ſic illud eſt in natura certiſſimum: nempè, ut pro uiribus ſubſtantiæ cuiuſq;, quæ quidem ſemper fuerint pro gradu & copia naturæ, quæ illam conſtituit, ſint etiam cæteræ omnes eius conditiones: conſiſtentia, ſpecies, (hoc eſt color) operatio. quæ igitur ijs differunt, his etiam different. In primis apertum id eſt: ergò in ſecundis, & deinceps alijs, uerum ubique erit; compoſita ſint licet cum diſſimilibus: corporum enim uſque eædem ſunt pro genere conditiones, quamuis imminutæ, atque mutatæ. Neque hercules aliter proceſſerit natura: quid enim eſſet, hoc habere ſuas uires, ſpeciem alterius? Sed non poſſum ferre, ut eæ ſubſtantiæ abſolutè humores uocentur: non enim terra, quia aquæ commiſta eſt, aqua uocanda eſt: & humor uerè, & propriè id eſt, quod iam liquidum, uereq; cedens eſt, quodque à calore nullo umquam qnoquo modo agi in rem craſſiorem & nigram, queat: quod quidem in natura à uiro prudēti tantùm id, quod aqueâ, aut uapidâ conſiſtentiâ eſt, eſſe agnoſcitur. Confuſæ tractationes, & parùm conſideratæ nominum impoſitiones, obſcuritatis, dubitationis, errorum, fallaciarum ſunt cauſſa: quæ uiro amico ueri, quique ſignatè, atque apertè res tractare cupit, ſtudioſè cauenda, & pro uiribus tollenda ſunt.

Miſtionem, & temperamentum, qualia poſita ſunt, eſſe nulla: idq; ipſorum etiam ueterum multis enunciantibus, & demonſtrantibus. CAP. IIII.



DE miſtione autem, temperamentoque, longior fuerit altercatio, ut in quibus multa, & difficilia, conſideranda ueniunt. Sed uereor, ne illa tanto labore, tantaque contentione elaborata, non modò in hominis corpore, ſed in uniuerſa natura, nulla ſint prorſus: nulla, inquam, qualia ſunt conſtituta: quippè, ut per ea, plura diuerſa inter ſe, contrariaque, conſpirent in unum, unumq; agant, unaque

unaque operentur; aut uerò simul unam aliam speciem, formamque naturæ sumant. Natura enim, dum est, nullo pacto mutare sese, aut obliuisci sui, aut ponere proprium studium potest: itaq;. quæ sunt natura contraria, nullo umquam modo contraria esse desinere posse uidentur: & si pugnacia sint, nulla conditione, ratione nulla posse non pugnare, si committantur. si.n.id fiat, cōtraria esse desinât: at hoc fieri nō potest; ergò neq; illud fiet umquàm. Duo modi sunt excogitati à nostris principibus cōtraria cōciliandi: unus ab Hippocrate, ab Aristotele alter. Ab Hippocrate quidē, manentib. corporū miscibiliū formis, ea penitùs cōferi, atq; cōponi: quod deinde, per qualitates eorūdē, ex æquo omnia alterantes, temperatio, & quædam in unum deductio cōsequatur: ab Aristotele, super hoc, uel occultari, uel obscurari (uix enim inuenio idoneam explicationem) illorum formas: quæ omnes, quasi ab officio paullùm decedentes, dent nobiliori aduenienti locum, mox tamē, ea abeunte, uel de eius oppressione elabentes, prodituræ se. Quorum quidem prior nullus est, ut quo nihil agatur: posterior falsus, impossibilis, ne auctori quidem probabilis, neque probatus. Nam si maneant substantiæ singulæ proprijs formis, planè nulla adhuc sit coitio in unum: quî.n.potest unū aliquid eodem tempore esse hoc & illud? nullum temperamentum: quî enim potest aliquod concepisse, & iam quasi ex dimidio proprias fecisse qualitates alienas, contrarias suis, propria adhuc retenta forma? Qualitates enim primæ si non ipsæ sunt formæ (sunt autem Hippocrati, quando ipsi illę unà cum materia totam constituere uidentur substantiam) certè ità se habent ad formam, ut prout ipsæ propriè sint, talis corporis sit forma. Alienæ, si quæ modò inuaserunt, atque insunt, per accidens insunt: & pugnant illæ quidē, sed nō dum uerè aliam rem fecerunt, nec fecisse debent uideri. Ea uerò seorsum mansio dissimilium, licet maximè compositorum, cognita etiam Hippocrati, clarissimò argumento est, pugnare etiam ibi dissimilia. Propterea.n. est, quia nihil habere uolunt naturæ commune cùm dissimilibus, proindeq;, usq; se seorsum tuentur, alienasque arcent. Contraria mutua actione agi in unum medium, in quo deinde conueniat illis, dicere, uerba sunt: at ostendatur ratio, qua id fieri queat. Num ea effracta,

atque alterata mutuò, ponunt tandem odia ultrò, coëuntque in unum? At sunt contraria natura, & naturæ eorum, hoc est qualitates, effrænes. An uerò id fit ui, alterius uiribus alterum retinentibus, cohibentibusq; in medio uel repugnans? Id uerò pugnare est. Nec oportet dicere; non dolet homo, ergò rectè procedit mistio: inscientis enim est tale dictum. Propterea id fit, quia ea natura, substantiaque, quæ uincit & dominatur sub hoc corpore, una ipsa & simplex, benè rem gerit, dissimilesque contrariasque frangit, premit, agitque ad interitum, ut earum nihil quidquam contrà ualeat, ut probabo posteà: non beneficio mistionis, quæ nulla est. Aristoteles autem ipse fatetur, nō aboleri miscibiliū formas, alioqui generatio esset alterius.
1. de Gen. & corr. textu 8. Si non abolentur, ergò manent. *Non manent*, inquit: *nam uel si secundum parua ea seruentur, compositio sit*. Si non seruantur, ergò pereunt. An uerò est ullum medium? Esse, uidetur dicere
Textu 84. ipse: *Neq; manent enim, neque corrumpuntur*, inquit: *seruatur enim utriusque potentia*. Quid per Deum est ista potentia, quæ ipsi tot in physica expedit difficultates? Hîc quidem necessariò haud aliud, ac habilitas ad formam: tamen non accipiendam, non habitam priùs, ut in generatione; sed aut recuperandam, modò non amissam, aut iterum proferendā ueluti occultatam. At id omninò oportet fiat aliqua actione: eccuius erit actio? Separati alicuius efficientis non potest esse: non enim uidetur adesse ullum, quod statim ea reddat talia: ergo eorum ipsorum, quæ sunt potentiâ. Erunt igitur talia, quæ agere possint, antè quàm sint actu talia, hoc est, antè quàm resumant actum. At maneant oportet formæ elementariæ in mistis, alioqui ne ele-
2. de Gen. & corr. textu 48. menta quidem sint: & manent etiam ipsi Aristoteli: negat enim elementa esse materiam mistorum. aliqui suorum, *Elementum*, inquiunt, *natum est manere, in quantum elementum*. Cur id? scilicet, quia totâ substantiâ ea maneant in mistione. Sed quid plura? ipsemet quantùm potentiali illi rationi fideret, ostendit, cùm rem incertissimam, obscurissimamque relin-
1. de Gen. & corr. textu 84. quens, *Hæc omittantur*, ait: cedens manifestè difficultati. Id animaduertentes ingeniosi aliqui suorum, concentum qualitatum dixerunt esse temperamentum: alij mistionis rationem. Nugæ, & gerræ: illi non proficiunt hilum, hi certè non uident

ipsi

ipsi quid dicāt. Concētus non est omninò unū, sed multa unà. Rationis autem uerbo si adstruant formam quampiam, qua mistio tandem sit mistio; sicque existiment confectam rem, quando forma omnis existimatur per se simplex & indiuidua, petant principium: negatur enim in præsenti caussa posse esse tale quidquam. Cùm autem ratio uerè non sit aliud, ac circumstantia quædam rei, ut posteà ostendetur: erit egregijs uiris id, quo res est, quod est, uerè circumstantia eius. Verumtamen si per mistionem, temperamentumque uel in unum medium aguntur contraria, uel unà agunt, unaque operantur; cur mista omnia in dies per se mutantur, & nobiliora in horas, in momēta, internâ actione consumuntur? potest'ne ulla esse pax, aut quies, qualis deberet esse in temperamento, ubi plurima continenter, celeriterque mutantur, atque intereunt? Nam non sanguis, aut caro, aut cætera corporis nostri, ut sunt, hoc est, sanguineâ, carneâue consistentiâ, effluunt, sed mutata in aliud: ergò tota massa sanguinea, & carnea, & aliæ, uim patiuntur, & superantur, & rapidè consumuntur. At fit tamen, dicent, aliqua temperatio: nisi enim fieret, nihil morarentur mista: atque in nullo eorum sentiuntur qualitates summæ. Quid est, inquā ego, quia quæ uincuntur, non se deserunt, sed repugnant quod possunt, itaque uictorem morantur, dicere eum temperare? lignū moratur ignem edentem, ergò ignem temperat. Si nullæ uires mistorum sentiuntur summæ, propterea est, quia uerè nulla substantia, quæ in ijs est, summâ naturâ est: & si qua summis finitima est, nimiùm exsilis est. Negent licet illi, qui clamitant, formas non intendi & remitti, substantias non recipere magis & minùs: qui (ignoscant uera dicenti) nesciunt de quibus loquantur, hoc est, formarum essentiam, substantiarumque conditionem. Temperationem tamen (instent etiam fortasse) fieri per mistionem, indicat res ipsa: nam non modò quæ natura miscuit, sed etiam quæ nos, si segregentur, reddant uires maiores: & rursus si misceantur, retundantur exsuperantiæ, & uim ferè emittant unam mediam, moderatam, si ad simplices priores comparetur. Ad quæ ego non respondebo aliter, ac reddens rationem eorum, quæ eueniunt: ea enim ignorata, erroris est caussa. Qualitates actiuæ ea conditione sunt, ut in substantia, qua sunt, semper sint tantæ, quanta natura eius substantiæ iam

est, si aliud natura à qualitate est: si uerò per multiplicationem inde foras protendantur, ut de igne calor, aut de niue frigus; quò quidem in longius, ampliusque diffunduntur, eò magis languent: sed si fortè per spatia misceri contingat dissimili, cõtrariæque ui; dictũ mirum: quia non habent ubi quasi sistant gradum, cuique innitantur, statim, temporis momento, afficiuntur, atque mutantur: tàm facile, eas uinci extra corpus, cuius sunt, est. Atque sic diuersæ, contrariæque commistorum uires de ijs manantes, simulque uenientes per eadem spatia (non enim præcludũt alijs incorporea locum) minuuntur omnes mutua actione: non tamen propterea aut ipsæ, aut ea, quorum sunt, fiunt unum: diuersa, contrariaque sunt, & talia esse uolunt, atque pugnant. Vna tamẽ aliquando sentiri uidentur illę, tùm quia quod sentit, unum numero est, eodemque tempore, ijsdemq; partib. sentit: tum quia uel eæ nõ mouẽt admodùm impariter: uel (quod est ferè) quia una aliqua earũ est tàm præpotẽs, quę cæteras quasi obscurare ualeat. nam sicubi fortè magnopere dispares sint, nec una uehemẽter reliquas retũdat, palàm secretò sentiantur. Cæterùm si sumã ego unũ aliquod istorum, quæ mista dicunt, segregemque, ostendam centum ordines, gradusque, ut mediæ substantiæ, sic mediarum qualitatum: qui si singuli sunt tales propter mistionem, quis erit mistionum, & temperationum in uno singulari finis? in corpore nostro mille erunt mistiones, mille temperationes: quod nescio quàm explicabile sit negocium. Galenus passim asserit, mista ad sensum uideri unum, naturæ nihil minùs esse: & Hippocrati ea in re subscribit: atque insuper multis locis id egregiè, bellissimeque demonstrat: ostendit enim, in multis uocatis simplicibus substãtias esse ualdè aduersarũ, contrariarumq; qualitatum, quæ palàm seorsum agunt, seorsumq; percipiũtur: & uel in quibus non percipiuntur, itidem esse, atq; actu, dicit. Rectè sanè: quæ enim ex ijsdem eadem ratione constituuntur, ab omnibus nominibus eandem habent rationem. Vbi nunc sunt illi, qui contendunt, uniuscuiusque misti prorsus unicam esse formam? Quî possunt una eademque forma naturæ, quæ sit quasi in termino (sic enim ipsi uolunt) contineri ea, que sunt contraria actu, quæque iam manifestè seorsum agunt? Sed oc-

..de Simpl. me. fac. cap. 14. 15. ..4. & lib. 4. cap. 3. & ult.

casus

casus etiam qualitatum primarum, quæ (ut dictum est) si non naturæ ipsæ corporum sunt, certè maximè naturales sunt, manifestè demonstrat, nullam fieri posse temperationem, qualis præscripta est. Planè enim eæ occidunt, non quia abeant in contrarias, qui. n. id fiat? sed quia dentur neci, sicque esse desinant. Si autem sic desinunt; ergò cùm minuuntur, non propterea minuuntur, quia participēt contrariam aliquo modo, sed quia ui frangantur, & pessum dentur. Elementa autem non mutari diuturna actione qualitatum alienarum, nullus umquàm dixit Aristoteles, neque ullus opinor Hippocrates, cùm manifestè repugnet ueritati: nihil enim cerneretur mediū, nisi prima descēdissent totâ substātiâ: (nam si est dictū, moriente homine unum quodque eorum, quæ sunt collata ad generationem, redire ad suam ipsius naturam, & ad id, unde est; Hippocrati, puto ad suam synceritatē, intellectum, abeundo de medio dissimilium & contrariorum: Aristoteli autem non statim, reor, in ignem, aërem, aquam, & terram, sed aliquo tēpore pòst, nimirùm ubi per motum, multasque adhuc mutationes, redire ad naturam eorum principiorum potuerint:) sed qui uolunt non mutari in media corpora prima, illi planè in mediorum constitutione negāt sensum & rationē: unde enim fiāt media, primis semper incolumibus? Sic apparet, inquiūt, præsentiâ alienæ qualitatis. Sed uolo sciant, in substantia summæ naturæ nullo modo posse durare qualitates alienas. nunquàm uideas flammam frigore mistam, neque niuem calore igneo oppletam, etiam si nix non sit primum frigidorum. Mutētur oportet prima, & descendant naturæ eorum, si media fieri debent. Istorum uerò opinione, mista fuerint falsa quædam spectra, ostendentia quod uerè minimè est. Nos agnoscimus, prima corpora mutari, & transire in omnia media, ui & actione contrariorum: simplicia autem illa nata sunt, contrarijs naturis, contrarijsque prædita uiribus: & dum naturas habebunt contrarias, hoc est, dum erunt, semper secum uolent esse, nihil habere commune cum contrarijs: non possunt enim contraria esse simul: pugnabuntque pro uiribus, ut ne alterum contactum alterius, uiresque patiatur: citiusque pereat natura, quàm fiat aliter. Comprobatur id omnibus argumentis, sicut uisum est. Quam ob rem tandem sine dubi-

tatione statuatur, nullā mistionē esse, nullū tēperamentū, quale traditū est. Quod etiam ipsi, quibuscū disputamus, cognoscere poterāt uel ex eo, quod ferè omnes sunt testati: scilicet, quòd in misto superet unū aliquod, & motus omnes fiāt iuxta naturā superantis. Quod quidem posteà usque adeò uerum est uisum, ut sectatores aliqui pronunciare sint ausi, impossibile esse, ut ex æquo quæpiam misceantur. Si per mistionem compositio intelligatur; rectè est, & nos, & natura accipiet: nec uideo, cur nō sic decernamus, atq; loquamur. Si per temperamētum, fractio atque imminutio actiuæ qualitatis, uel nudæ, uel cum substantia, cuius est, cōtrariæ actione & ui deductę in gradus minores, in quibus sit erga nos lenior: & uerè, & secundum naturam pronuncietur: aliter nulla esse ueritas potest. Sublata mistione, quæ tamdiù miscuit philosophiam, nihil erit, quod nos uel incorporeæ naturæ, uel animæ caussa remoretur, si eę ex mistione, temperamentoque dicantur exsistere.

Si omnia elementa insensilia sint, nullo modo mutua tantùm alteratione & mutatione, nihil accipiendo foris, posse assumere sensum. CAP. V.


SI quis fuit, qui existimaret, ex elementis, omnibus insensilibus, tantùm se inter se mutuò alterando atque mutando, nihil extrinsecùs accipiendo, posse sentiens exoriri; is uerò nouo atque acerbo dignus est accusationis genere. Quî enim fieri potest, quātauis actione passioneque contrariorum, quidquam constituatur extra genus? nec modò extra genus, sed quod tantò genere cōprehensa excellat, quantò sensile insensili nobilius est, atque præstantius? *Potest*, inquit Galenus, *per multas medias transmutatiōes, quod interim est nigrum, mox album euadere, & quod interim est albū, mox fieri nigrum: & quod interim est sensus expers, mox sensum accipere.* Quod nam simile est hoc, uir eximie? Cōtēdere aliquis posset, non similem esse rationem accidentis & formæ substantialis, quæ quidē principium est uel sensus, uel insensibilitatis. At esto hoc, quando uerò numquā nouus exorietur color, nisi

de Elem. ca. 3.

tota

tota mutetur substantia, cuius uerè est color, te prædicante, qui statuis, colorem necessariò consequi temperamentum, quod tibi constituit & complet substantiam: Sed si corpus mutatum cum alia forma alium sumit colorem, id sumit, sine quo esse nullum corpus potest: nullum enim corpus sine colore: at de sensu tibi non item: uidetur enim in alijs, in alijs non. Quæ igitur eo carētia, sumere eum debent transcendant tibi suam sortem oportet, transeantq; ad ea, quæ sensu prædita sunt: à se enim quî mutent genus? Quàm uis simul inter se misceantur, & ut uis se inter se afficiant & alterent, quî acquirant id, quo ipsa omnia careant? Dei certè alicuius ope ad eam rem fuerit opus. Sed neque si similia quadrent, eadem adhuc sit ratio. Agitur enim nigrum in album, & hoc in illud, pereunte albedinis, nigredinísue forma: at insensibilia sensum assumunt tibi non occasu suo, sed mutua compositione & cōmistione, alteratione modò subeundo. nullus .n. adhuc humor seorsum sentit: sed omnes sic simul commisti in corpore humano, tibi sentiunt. Galenum miror, uirum talem, qui ipse ostenderat, nihil diuersi generis posse ijs, quæ componuntur, aduenire, cuique non tàm facilè sic temerè allata recipiebantur, potuisse inclinare in eam opinionem.

Platonem, quæ de animæ origine, & hominis formatione loquutus est, ut theologum loquutum esse. Tres uerò species animæ diuersæ essentiæ imprudenter contulisse in unum: non habere quem ostendat modum probabilem earū communicationis: seditiones & rixas inter eas turpiter excitasse.

CAP. VI.



PLato autem quæ de origine animæ, de creatoribus specierum eius, de formatoribus hominis est profatus, ut theologus est profatus. Itaque missum faciemus eum, quando in tota hac tractatione diuina nō attingere proposuimus. Nam si quis tantùm naturaliter agi expetēs quæreret ex Platone probationem eorum, quæ sunt pronunciata, næ ille haud iure ageret: proindeque nō deberet mirari,

rari, si fortè frustrà se quæsiuisse cognosceret. Trium uerò specierum animæ in unum adportatio & cōsociatio, certè imprudentis, inscientisque est: neque enim alius faciat id facinus, nisi qui non assequatur rationes, quibus operationes, motusque omnes, qui in animali æduntur, ab unica, tota consimili sibi, sint, ædanturque anima. Factum autem indignum est etiam mediocri philosopho, uel naturali, uel diuino: quis enim, uel sine probatione ulla, secum ipse non deprehendat, eam substātiam, quæ percipit rationes rerum, deque ijs iudicat, eandem ciere in caussam iniuriosam motum, ubi indignè ab ea secum agi decreuit? quæ aliter persuadeant, nulla sunt. Appetentiam autem omnem sentientis esse animæ, non indiget demonstratione: at sentientem eandem esse, ac quæ ratiocinatur, ostendam etiam posteriùs. Modus autem, qui communicationis earum est allatus, meras habet fabulas. Neque enim iecur tale est, in quo imagines affingi, proferríue queant, ut neque cor: neque ciendo bilis amaritiem, & iecur, portásue constringendo, excitari, intentarique possunt omnes, quos ipse appetitiuæ tribuere posset, motus. Tùm in iecore paruus est sensus: ut non propter eius constrictionem fieri tantus strepitus, tantæ uociferationes queant, quantas fingit Plato. Sed intentare, percipere, obsequi dicere, & alia talia, uerba tantùm proloqui est: at modi, & ij quàm fieri posset euidētes, probabilésue, erant ostendendi. Seditiones autem & rixæ specierum animæ, quàm turpiter sunt excitatæ? tùm frænationes, domationes, cōcordia, obsequia, & cætera eiusmodi, quàm inaniter & falsò commenta? Sic enim uerò fit: Sæpè electuræ animæ uel plura obijciuntur imparia, diuersáue, quorum neque eadem conditio sit, neque idem futurus finis: uel unum aliquid, à quo non idem perpetuò fructus speretur, sed primò bonus, deinde malus, uel cōtrà. Tunc anima, una, & simplicissima, ambigit secum ipsa, hócne, an illud malit: accipiátne hoc priùs, an uerò non: ubi constituerit, nulla apud ipsam fuerit dubitatio ampliùs, quam pugnam existimat Plato. Est uerò, cùm sibi ipsa uim facit, pugnátque quodam modo: nimirùm quando iam blandè, dulciterq; ab aliquo mouetur erga id, atque alioqui non ingratis sequeretur: sed habens conceptum aliud, uel quod sequuturum esset,

set, uel iam sit amittendum, non uult, seque ipsa retrahit, cohibetque: aut quando furiosè cietur, seque ipsa conatur coërcere. Est, cùm sibi quoq; ipsa irascitur, tamquàm malo iudici, qui in deliberando decreuerit nocenter, aut indignè. Quæ quidem omnia si unius, eiusdemque, & simplicis animæ ponantur, ut sunt; tùm rectè fiat, & congruenter ad ueritatem, tùm longè facilius, longeq; apertiùs reddantur rationes, exponanturq; omnia; ut par quidem est ab eo, qui profiteatur alios docere caussas rerum. Nam quòd caussa Deus esse dicatur, qui sic fecerit, uel sic uoluerit, non propterea semper absoluetur Plato: quin sæpè magis adhuc, optimoque iure, damnabitur. si quod enim est agens & operans, quod longè optima, & in omnibus conuenientissima ratione agat & operetur, quodq; eo etiam superet alia omnia, id certè Deus esse existimandum est.

Aristotelem, qui non proferat substantiam animæ, non posse uerè, aut rectè de eius actionibus, paßionibus, operationibus edisserere: non posse ostendere, quo modo utatur spiritu & actiuis qualitatibus, ut instrumentis: frustrà conatum docere, à quo ea producatur, modumq; ostendisse ineptum: malè eam secasse in duas partes penitus diuersas & separabiles. CAP. VII.



CVm Aristotele seorsum diutiùs agam, qui uir est acer, & fortis, disputator subtilis, meque unus miseriùs torsit, quàm multi alij. Primùm exigo, proferat animæ substantiam: suis enim finitionibus planè non profert, sed circumscribit: affertque uel quod sit obscurius eo, quod quæritur, uel nihil magis secretum, quàm possit uidere quiuis de uulgo. Cùm ἐντελέχειαν dicit, planè dicit quid, quo perficitur aliquod, aut perfectum est: propter quod fiebat, aut factus est motus. Sed rogo te, quid illud est? latet enim adhuc: & si non ostendatur, multò melius fuerat, non facere me ijs modis anxium. Quis autem uel ex discessu animæ non nouit, eam esse talis uitæ principium, atque caussam? caussamq; motuum, qui in animali uidentur omnium? At quid sit id, & quale, id uerò ostendere conandum est; dum id lateat, num-

quàm ueri quidquam sperabo de anima audire: quî enim reddi rationes uel actionum, uel passionum, uel operationum possint, substantia adhuc ignota? In ἀπορίᾳ uerò erit Aristoteles, etiam dum educet animam de potẽtia materiæ, faciens formam materialem, ut loquuntur aliqui suorum: cùm autem mentem attulerit foris, asserens eam separabilem à corpore, in multò maiori adhuc fuerit: multò enim magis illa lateat necesse est: sed neq; propriè, & rectè forma corporis dici poterit. Quæcumque autem sit anima, ostendatur modus, quo actiuis qualitatibus & spiritu utatur, ut instrumentis: qualitates enim illæ effrænes sunt Aristoteli: nihil audiunt: pergũt usque, quò fert uis. Et uerò ea, quæ in dies eueniunt, indicare possunt, eas minimè obsequi ullo modo animæ: cur enim sæpè, nulla caussa uenĩete foris, ętate florente, internarum qualitatũ uitio corpus corrũpitur? Ignaua, & iners fuerit forma, quæ sedẽs in materia, & uigens, non è re sua regat qualitates: simul hæ indomitæ, quæ, quasi equus sternax, sessorem frustrà hærere conantem possint excutere. Ostendatur mihi aptitudo mouentis ad organa, & horum ad illud: quam eò auidiùs quæro in naturalib. q̃ in artificialib. uocatis, quò caussa est interna, secreta à sensib.
De motu anim. cap. 5. & 6. Docet ipse, animã mouere spiritũ alterationib. appetitu ciente illas. Iam obscurissimũ est, quo modo ea appetẽs moueat, augeatq; qualitates: sed si id queat, motu omninò queat, aut cessatione à motu: motus.n. calorem, quies frigus p̃cedere uidetur. At cuius rei præcedat motus? spiritus? ille igitur mouebitur
Cap. 6. ante alteratione. Quid autem est, quod subdit, in locali motu spiritum auctum impellere? quid opus est, ea de caussa augeri spiritum? Motus omnes uoluntarij uocati in animali, contractione fiunt musculorũ: itaq; usq; cõtrahi solùm oporteret spi-
Eodem libro ijsdem cap. ritũ. Sed si, quãtùm intelligo, Aristotelẽ uelle, spiritus pulsurus augetur calefactiõe, cõtracturus minuitur frigefactione: quî fieri potest ea alternatio qualitatũ in cito motu? & ubi iam feruẽt omnia ob multã uehemẽtemq; motionẽ, quod frigus subinde, ac statim, potest excitari? Sed definiatur per Deũ semel, an ità sit actus corporis anima, ut nauta nauigij, an sedeat in eo, ut forma in subiecta materia: neq; enim id paruũ est, aut leue: in eo sunt omnia, quæ possunt ducere ad substantiæ quæsitę inuentionẽ.
dum

dum id definiat, ne me detineat: nulla est spes cognoscendi, de quo quæro. Cum primis autem declaretur modus, quo producatur anima in materia à genitore per semen, ut instrumentũ: obscurior enim est tenebris Cimmerijs. *Continet*, inquit, *semen motum, quo illud*(scilicet primum agens) *mouebat: ut in spontinis illis, quorum partes moueri pergunt, licet nihil nunc tangat, qui antè tetigit.* Sed, uir docte, quàm dispar est similitudo? Primùm, mouens efficiensque naturale internum est, sub id, quod mouet: impulsor machinarum istarum externus. Tum machinarum deinde est motus per locum, partibus alijs alias impellentibus, ac rapientib. cõtinuè: at seminis est generationis, quæ præparantis, disponentisque materiam, & demùm formã producentis est: quarum motionum quæ machinæ esse possunt in semine, quæ eas non modò gerere, sed tamdiù continuare queant? Motus enim omnis tale est accidens, quod dum fit, perit, & desinat, nisi ui noua reparetur. Vsq; dum autem producatur anima uegetabilis, satis longum tibi tempus est: & quis intereà moderetur, & regat motum tanta arte? Profectò necessariò opus habes motore & moderatore in semine, qui usq; moueat ut oportet, modereturque motum. Quę autem ostenditur ratio mouendi? talis scilicet: *Semen* (inquit) *cùm excrementum sit, eodémque moueatur motu, quo augetur corpus, digestione ultimi alimenti, ubi uterum subijt, constituit, & mouet excrementum fœminæ eodem motu, quo ipsum mouetur: nam illud quoque excrementum est, habétque omnes partes potentia, actu nullam. Motu peracto, pars exsistit quæque, eadémque est animata: non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro.* Nisi fallor, asseuerat, augmenti ratione mouere semen, non generationis: quod si est, quid disceptamus? Profectò uidetur rationi cõsonum, ut quod fertur in partẽ aliquã corporis, eam nutriturum, uel casurum, si superfluxerit, gerat tantùm augmenti motum: aut, si etiam generandi, simile tantùm constituendi. augmenti uerò motũ partis eius solius, minimè omnium: quî enim totius corporis motus in unam partem conferatur? Nec oportet dicere, aliter tamen uideri euenire ut in animalibus, sic etiã plantis, quarum uel gemma una germinare, & arborem ferre posse uidetur: quæ renda enim ratio eius, quod fit: nam longè alia est, ac quia gem-

2. de Gen. anim. cap. 1.

2. de Gen. anim. cap. 3.

Cap. 1.

ma, aut semen habet motum, quo augetur planta. Sed si instrumenti uicem gerit semen, defertque tantùm motum, quid oportet dicere, semē esse animatum, habere principium uitale, originem & principium animæ? An motus, & anima sunt idē? an uerò parùm interest, & utrumque pro eodem accipi licet? Aristoteli certè non uidetur opus esse, animatum esse semen, si per illud efficienda tantùm, producendaque est anima in materia, quæ materia est sanguis mēstruus: ipsi enim anima uegetabilis & sentiens sine dubio forma est materialis, inseparabilis à materia hac, in qua producitur. An uerò non potest naturâ ab instrumento inanimo produci animatum? Duæ igitur interuenerint in generatione animæ: altera, quam habuerit semen, altera, quæ producitur in materia. Verùm ubi semen mouerit excrementū fæminæ, perierit anima, que erat in eo instrumēto: disperditur enim sub illa Aristoteli semen. Quamquàm non actu in eo esse dicit, sed potentia: perierit igitur anima potētia: & cur natura frustrà fecerit eam potentiā? At nunquàm dederit id Aristoteles: sed uel animam, uel potentiam animæ, quam semen continuerit, eam ipsam numero (si licet sic dicere) dari sanguini menstruo: proindeque uetat quærere, an semē genituræ iam pars sit formæ constitutæ: ut coagulum, à quo lac cogitur, pars sit lactis iam coacti, néc ne. Quasi diceret: satis esse, scire, materiam hanc accepisse ab illo uirtutem, atque formam: de materia, in qua priùs erat uirtus, & qua deferebatur, non esse quærendum ampliùs. Sed hoc modo aut motum quid erit anima, quę possit de materia in materiā migrare: aut si id minùs; perijt omninò ea, quæ in semine erat, quādo (ut diximus) post motum sanguinem mēstruum, dissipatur genituræ corpus Aristoteli. Sed si potentiâ est in semine anima, & iuxta ipsius dogmata neque quidquam se ipsum producere potest, neq; quod non sit actu, quidquam efficere: quî possit ea potentia animæ uel à se prodire in actum, uel aliam materiam in actum agere? Motu, dicet, quem defert à genitore: at ego mox ostendam, nullum iam motum, nullam mouendi uim habere semen, quæ iam genitori tribui mereatur. Verumtamen ubi cor constitutum est, & anima uegetalis data materiæ, consentaneum est, ut iam qui à parente ueniebat, cessârit motus. *Cùm quod gignitur* (inquit)

[margin: ..de Gen. anim. cap. 11.]

[margin: .de Gen. anim. ..p. 4.]

(inquit) *de ambobus abiunctum iam est, seipsum gerere, gubernare, & dispensare debet, perinde quasi filius à patre emancipatus, seorsumq́ue collocatus.* Si sic est; quî potest deinde actione animæ uegetabilis produci sentiens, & mox intelligens? Doceat nos eam rationem, qua quid supra proprium gradum agere, operarique possit, quæ uidetur transgredi omnem naturæ legem.

Libenter autem cognoscerem modum, quo tres species animæ, quæ singulæ separatim singula diuersa genera constituere possunt animantum, in homine fiant una. Quadratus enim (quando ea utitur ipse similitudine) si non diuisibilis quà quadratus; constat tamen ijs, quæ partibilia, & inuicem separabilia sunt: possunt secari lineæ fortè in infinitum: potest una tolli, & iunctis cæteris esse triangulus: at nō possunt talia cadere in animas, quæ Aristoteli ipsi sunt quasi in terminis, nec corpori quà tanto, sed quà tali, hærent. Quod quidem dicitur de facultatibus; animam rationalem & sentire & uegetabilis quoque obire munia; rectè dicitur: sed animæ substantiæ sunt, & singula animarum genera seorsum substantiæ: quî igitur fieri potest, ut quæ substantiæ sunt, hîc fiant facultates? Cur quemadmodum sensitiua anima uegetandi quoque uim habere dicitur, sic rursus uegetabilis sentiendi uim, sed minorem, non dicitur habere? nam multi maiorum id dixerunt, nec difficilis fuerit demonstratio: nec de ratiocinatione forsan difficilis erit. Sed si illa difficilis; satius fateri nescire ea, de quibus nō liquet, quàm incondita & incerta, (ne dicam falsa) ponere. Illud uerò, quòd una eademq́ue hominis anima in duas partes tantopere diuersas secta est, indignum est Aristotele, uel ipsomet iudice, qui paullò antè idem facinus in Platone reprehenderat, nec leuibus argumentis sustulerat eiusmodi opinationem. Si dubium habebat, melius longè erat, fateri id quod erat, ut fassus etiam fuerat, nec addere aliud: eius enim rei ratio nequit expediri philosopho naturali. 2. de Anima, textu 21. Quantùm autem animaduerto, duæ fuere caussæ, quibus induci potuit ad tale facinus. Vna, quòd pars intelligens uidebatur sine corporeo instrumento suam obire functionem: nam neque actiuarum qualitatum ui esse obnoxia: altera, ꝙ appareret ipsi abstrahere formas de materia, & tantùm uniuersalia comprēdere. Quid ais, magne Aristoteles?

Rogo te,dic,cur in multis uel naturâ, uel morbo,dum imaginatio & memoria,& reliquæ corporeæ facultates, planè rectè habent,intellectio,ratiocinatioque aut habent uitium,aut impediuntur? Si corporeum instrumentum aut iam malè affectum, aut anteà malè præparatum,est in caussa,cur non uititatæ sunt eę facultates,quę sunt corporeæ? Potéstne fieri,ut corporis uitio uitietur facultas,quæ nō perinde, aut nō immediatè corpori sit obnoxia,& nō illę,quæ maximè,immediateq; sunt obnoxię, q-busq; medijs operatur illa sublimior? Verumtamē siue mediatè,siue immediatè patiatur substātia intelligēs à corpore, si patitur,ea & corpus hoc omninò in genere cōmunicabūt,& in genere patibilium:quæ enim inuicē patiuntur, naturali quidē ratione,sic in genere communicent necesse est: & si id est,substātia intelligens aut corporea erit,materia constans, aut obnoxia materiæ,indeque etiam obnoxia actiuis qualitatibus: nam si alterum inuicem communicantium patitur, patitur & alterum. Abstractio autem ista formarum, quam iactas, planè ficta est: non enim te intelligere conante,ipsæ ueræ rerum formæ de sua materia abstrahuntur. Itaque tu tua abstractione atq; conceptu non habes aliud,nec uerò potes habere, quàm similitudinem uerarum formarum. Quidquid enim comprehēdi potest,aut ipsum comprehenditur, aut similitudo eius: aliud nō superest. Quemadmodum autem imaginatione refertur imago ueræ rei, sic ex imagine colligitur similitudo formæ,quæ est ueræ rei. Miror autem, quod ais posse te: penitus abstrahere formas à materia,quod naturâ prorsus fieri non potest: indulgesq; ipsę tibi priuilegium, forsan quia uideare formam huius assequi seorsum ab ipso. Sed ego intelligo, aliud esse huius sensibilis sensibilem formam,aliud huius materiam : quæ quidē materia sua ratione non minùs eadē est omnium congenerium, quàm forma. Cur igitur non facimus paria de materia,& eam abstrahere dicamus à formis? nam planè optimè procedat res, & secundum ueritatē. Sed,me iudice,frustrà conamur etiam intelligentiâ facere uim naturæ, hoc est à materia auellere penitus formas: dum enim nos materiam quasi excludere & abigere conamur,illa contrà quasi alligat formas materiæ,nec seorsum esse sinit, quando nec esse seorsum queunt: loquor de naturali-

bus.

bus, itaque usque refert totum formatum. Neque tu abhorres: hominem enim intelligens, non formam hominis tantùm intelligis, substantiam illam adhuc incompertã secundum tuas traditiones, sed totum, tùm quà materiæ, tùm quà formæ, quæcumque ea sit. At intuor seorsum, inquies, formam. Seorsum attẽdere uideris, sed nõ seiunctã à materia, uerùm in ea, & cum ea. Inseparabiles enim cùm sint à materia ueræ rerum formæ, te quoque magistro, & extra materiam sint nullæ: qui etiam similitudinariè eas legẽs penitùs à materia abstrahere conetur, in nihilũ eo modo redigere conetur, & sic uerè nihil percipiat. Quod tibi in primis ponendum, cui formæ sunt quasi in terminis, aut uerìus (ut ego interpretor) quasi termini: quî enim etiam intellectu penitùs semoueatur terminus ab eo, cuius est terminus? aut id à suo termino? Verùm termini (nisi fallor) priuatione præcipuè intelligi uidentur: quippè quia linea (exempli caussa) non procedat ulteriùs: forsan sic etiam istas tuas formas comprehendimus, scilicet absentiâ alterius; intereà tamẽ ipsarum nihil comprehendimus. Substantiales certè, consensu omnium tuorum, ferè omnes adhuc latent: tu igitur abstrahis, quod non nosti, & intelligentia comprendis, quod quid sit & quale, omninò nescias. Sed ipse etiam sensus, teste te, percipit formas sensibilium sine materia: neque prodest dicere, ut sentiamus, oportere obiectum habeamus hoc materiatum, unde ueniat sensile: nam etiam ut intelligamus, oportet habeamus obiectam hanc imaginem, referentem materiatum. Caussa porrò uniuersalium facillima sublatu est, te etiam, & tuis omnibus opitulantibus: non sunt enim talia uobis in ueris rebus, sed in abstracto, nescio ubi. Verùm si in ueris rebus non sunt talia, neque alibi usquàm erunt: omnis enim similitudo consentire debet cum eo, cuius est similitudo: nõ enim licet aliter fingere de rebus, quàm uerè ex actu sint in natura: cùm igitur uerè nusquàm sit, quod actu contineat omnia consimilia, neque animo concipi potest. Id de omnibus rerũ formis est uerum, sed multò de substantialib. uerius, quæ ut ipsę ullo modo plures agãtur in unã, dũ sunt plures, prorsus est impossibile. Sed erroris, atq; adeò fallacię, caussa uidetur fuisse ignorata ratio formarũ, incertitudoq;, quid intelligeretur per formã: indeq; effectũ, ut incertè, & in-

& inconſtanter, atque etiam fallaciter pronunciaretur de ea. Nam ferè ubi per formam altera rerum ſubſtantia accipienda erat, non ſubſtantia eſt poſita, ſed eſſentia, nempè (ut nunc interpretandum eſt) ratio eſſendi, qua ſunt res: quæ quidem eſt in eo, quòd ſint, & modo, quo ſunt, tùm in alijs, tùm in primis in termino, quo, & forma motus, qua conſtitit natura. Minimè uerò ſubſtantia umquàm eſt, ſed ſemper accidens, & circumſtãtia quædam: & talis circumſtantia, quæ quia eſt etiam accidentium quorumcunque, poſteriorque omnibus, digna eſt, diſtinctionis cauſſa, ut rei nomine non afficiatur. Sed quidquid ea quoque eſt, & in quocumque conſiſtat, non erat, cur propter illam fingerentur uniuerſalia: ea enim etiam eſt non una omniũ conſimilium, ſed eadem, hoc eſt cõnſimilis. Quemadmodum enim res congeneres non ſunt una omnes, ſed conſimiles: ſic quidquid habent, quidquid eis accidit, non poteſt eſſe unum omniũ, ſed conſimile: accidentia.n.& poſteriora, ſemp ſequũtur conditionem ſubſtantiarum, & priorum. Cumque omnia accidentia ſequantur, multò magis ſequitur hoc, quod eſt accidens etiam cuiuſuis accidentis, & cuiuſque rei quaſi terminus, non in quo, tamquàm ſeparabili, deſiuerit, ſed quo, ut inſeparabiliter hærenti, & ſemper ſequenti: qui tantùm in rebus rerum beneficio ſit, alibi per ſe ullo modo nuſquàm. Quod inde patere poteſt, quòd in omni genere, omnium congenerium eſt eadem, ſed non ità, ut ipſius ſectæ in partes ſingula eorum habeant partem, aut uerò ſingula quidem totam, ſed aliud poſt aliud, ut ijs, quæ communia dicuntur & uerè ſunt, uidetur fieri: ſed eodem tempore tota integra eſt omnium. Duobus autem temporibus uideri poteſt ratio una omnium, quæ tamen in unum recidunt: uel cùm uolumus conferre rationem huius generis cum ea, quæ eſt alterius, uel cùm ſimul ſemelque de omnibus congeneribus ſtatuimus: Homo, non beſtia: homo eſt riſibile. Sed uide quanta ſit uis ueritatis: quia in natura non ſunt alia, quàm ſingularia, parte materiæ, parteque formantis naturæ contenta ſingula: & quæcumque eis poſſunt accidere, ſequuntur conditionem eorum: tunc etiam, cùm ea agimus, uerè non habemus animo aliud, ac ſingularem aliquam ſingularis alicuius ſimilitudinem, qua quaſi ſpecimine utamur pro

cæteris

cæteris consimilibus, uel quæ sit in specimen, exemplumque consimilium. Nam, quia ubi cōsimilia intuemur, neque facie, neque alia aliqua ratione trahi subinde uidemur in diuersum, sed quasi eodem termino, eodemque modo detineri: propterea ad consimilium omnium cōprehensionem satis esse putamus unum eorum, uniúsue similitudinem. Singulare autem esse illud, quidquid est, sit indicio, quòd intelligentes semper habere uidemur animo imaginem alicuius singularis noti nobis: cuius comprehensa ratione, utimur deinde pro exemplo. Itaque si exemplum continet ea, quorum est exemplum: id, quod intelligentes habemus in animo, uniuersale erit. Verba non attendo, res ipsas quæro: sed tamen neque loquendo aliter res procedit. Cùm enim dicimus, Omnis homo est risibile, non magis, omnes in unum acti, dicimus, quàm, quisque per se: nec magis coactus in unum ea est nota, quàm distributionis. Verumtamen cùm quasi terminus rerum sit ratio, uti diximus, iniquum est, ad eam referre ipsas res, constituereque eam uniuersale quid, continens illas: ipsa enim potiùs referri debet ad res, quæ illas sequitur, quæque habetur ab illis, non habet. Nec uerò rationem continere rationem facilè dicere potest Aristoteles: id enim si sit, forsan diuisibiles sint termini. Sed ea exempla, quæ modò ad consimilium cognitionem facere dicebam, sensus quoque habere posse uidetur: planè enim semel deprehenso aliquo tali, eiusque qualitate memoriæ mandata, omnia deinceps, quæ deprehenderit talia, contulerit ad rationem prioris: simileque sentiens, simile statuerit. Dubitare adhuc fortassè contigerit, quia intelligentia uideamur assequi ea, ad quæ nullus existimatur posse penetrare sensus: & quia etiam ipsas sensibiles formas intelligēdo penitiùs assequi, interiusq; habere, & longiorem rationum seriem conferre, atque concludere posse uidemur. Sed minimè errandum est ijs de caussis. Quæ enim intelligentia assequi uidemur, sensu non, aut non assequimur aliter, ac uidēdo esse quid, quod uidere ullo modo nequeamus, fuerimusque fortè de eo suspicati per effectum aliquem sensibus demonstratum: aut assequimur ficta similitudine eorum, quæ sensu percepta sunt. quod etiam ipse Aristoteles agnouisse uidetur, ubi inquit, nihil esse in intellectu, quod

priùs non fuerit in sensu. Formas autem sensibiles minimè omnium penitiùs assequimur intelligentia, quàm sensu: quî enim meliùs assequamur similitudinem, quàm ipsam rem? umbram uero? Habemus quidem interiùs, quia tunc nō trahimur foras uersus, sed intra habemus, quidquid contuemur: & ab imaginibus animo conceptis tangimur, non à ueris rebus. Quæ imagines quia leuiùs mouent, debiliusque conuertunt ad se, proptereà expeditior est ad motum, attentionēque spiritus, pluraque per eas breui tempore lustrare, concludereque ualet. Sic non satis ualidæ fuere caussæ, quibus in duas partes, tantopere diuersas, secta est anima. Sed iam ad caloris caussam separato capite, si libet, transeamus.

Calorem animalem, & spiritum, si habeat potentiam, uirtutemq́; animæ, esse ipsam animam, itaq́; non semel Aristoteli uisum. Eum calorem Aristoteli non posse alium esse, quàm elementarem, & esse omninò elementarem. Calorem Solis & ignis animalia similiter gignere, & necare.

CAP. VIII.


Alorem animalem, ac spiritum pro eodem accipit Aristoteles. esto, liceat substantiam à natura constitutam appellare nomine naturæ, & hanc illius. Ait autem, omnem animæ siue uirtutem, siue potentiam, participare illum. Omnis uirtus, omnisque potentia naturalis substantiæ est, & à substantia: & ubi substantia non adest, esse, aut consistere non potest: At anima non est actu in semine Aristoteli: ergò nulla uirtus, potentiaque animæ. At adest (inquiet) anima actu, quippè eius, qui emisit semen, unde illud habet uirtutem. Sed omnem uirtutem, quam accipit semen à genitore, aut habet accidentariè, ità ut amittere possit sine ullo sui detrimento, aut habet propriè: si habet accidentariè, separatum citissimè amiserit: si propriè; iam ipsius ea habri debet, eiusq; ratio haberi, ut exsistentis in substantia, & à substantia seminis. Rursus igitur si in semine est uirtus animalis, eiusque propria est: anima in eo est, neque ullus motuum ei, unde profectum est semen, referendus est ampliùs. Sed non negauit, in semine

esse animam, Aristoteles: ait autem, potentia esse, non actu. At quid prodest? ea, quæ actu nõ sunt, nullo modo possunt quidquam agere, efficereque, quod sit substantiarum actu: & quid magis sit substantiæ actu, quàm constituere & componere corpus uiuens, quæ cum calorem præstare ait? Ex uerbis autem Aristotelis colligi potest, non modò potentiam animæ uoluisse esse in eo spiritu, sed eum spiritum esse ipsam animę substantiã. Quid est enim, uirtutem animæ participare illud corpus? nempè, habere illud, & esse in illo. Sed omnis uirtus à substantia est, uti diximus: neque alia ostendi in semine potest, cuius ea uirtus sit, præter spiritum: ergò spiritus ille est animæ substantia. Quod etiam ampliùs confirmatur ijs uerbis, quibus ait, omnia animæ plena esse quodam modo, quia humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in uniuerso sit: &, animalia consistere celeriter, cùm calor ille comprehensus, siue exceptus est. anima nimirùm, ijs inuolucris, unde iam ire nequeat. Tùm ijs, quibus asseuerat, caliditatem illam constituere & componere corpora: quæ ipsius animæ sunt munera. Ex Peripateticis autẽ sunt, quibus calor ille & spiritus ipsa anima potentiâ uideatur: si potentiâ, ergò mox actu. Quòd si instrumentum animæ esse eum spiritum dicat adhuc, & quæ de eo dixit, ut de instrumento dixisse omnia: rogo, ut accipi dignus est, ubi inquit, omnia animæ plena esse, si uult instrumenti animæ? Sed si ità res habet naturâ, ut ubi instrumentum est, mouens quoque statim adsit: aio: cùm nullum, spiritum mouens, appareat; cur philosophus naturalis non statuat, eum ipsum esse animam, eius naturæ, qua à se possit mouere? Nam quod dicitur, animam non posse esse sine corpore; inscientium est, ut demonstrabitur altero libro: & iam spiritus corpus est. Sed si perpetuò instrumentum est spiritus; quæro: in generatione eorum, quæ fiunt ex putri, ubi nõdum eorum quidquam formatum est, à quónam spiritus ille habet mouendi uim, & animæ uirtutem, atque potentiam? Cætera superiùs sunt obiecta. Non est autem in uno semine is calor, sed in totis corporibus animalium: non enim exoriuntur tantùm eo, sed uiuunt etiam: nec uerò secùs semen haberet illum; unde enim accepisset? Itaque calor seminalis ubi cor fœtus constituit, generat etiam in eo calo

Philoponus.

rem animalem. Quod quidem fieri à seminali calore dicere Aristoteles posset, qualitate nimirùm, non à substantia seminis: quia calor promanat deinde de substantijs calidis quibusuis: & quæcunque attingit, agere, & efficere conari uidetur in illis: ea autem citiùs actionem, effectionemq; recipiunt, quæ iam magis parata sunt. Sed eum calorem, spiritumque ait esse magis diuinum, quàm quæ elementa appellantur, & proportione respondere stellarum elemento: quare quærendum etiam, ex elementisne, an de cœlo, aut unde tandem ea res esse Aristoteli possit. Cœlum ipsi quidem nullius qualitatis tangibilis, alterantisque, est particeps: at hic calor alterat uel usque ad molestiam: de cœlo igitur non est. Multò minùs substantia de cœlo uenire potest: quî enim id fiat? aut unde reparentur ablatæ cœli partes? Hoc aio, quia Aristoteli calor animalis & spiritus pro eodem accipi solent. Luminis caussa, qua calor à cœlo fieret, à iunioribus Peripateticis allata est: Aristoteles tantùm abfuit, ut cœlum lumine diceret calefacere, ut lumen etiam à stellis aëre illarum latione contrito, fieri prædicârit. Restat igitur solus motus, quo calor hîc à cœlo excitari ipsi possit, quod quidem fieri persuadere conatus est: quippè cœlo, & in primis stellis, unà secum supposita elementa commouentibus, etiámque conterentibus. Sed mitto, quòd quæ conterere debent corpora, dura, & non cedentia debent esse, quale certè minimè est cœlum, neque stellæ: quæ undique æquabiliter circulo mouentur, nec in supposita ullo modo adiguntur, numquàm ea de statu, habituque turbarint, alienaque ulla qualitate affecerint per motum: & illa minùs, quæ eodem motu consequũtur, ut etiam aër consequitur cœlum, qui est supra montium uertices; quem quidem ui rapi dicere, ut Peripatetici dicunt, natura non sinit. Videtur autem superuacaneum, atque adeò intempestiuum, obijcere talia: Sol enim, & cæteræ stellæ, à quibus maximè excitatur calor, longissimè absunt à sublunaribus: quæ igitur impossibile est moueant, nisi descendant priùs, usque dum attingant. At esto, fac cœlum eo modo excitare calorem: quando ea qualitas elementi calidi contritione, inter elementa excitatur, & alterat, ut elementaris, elementaris ponenda est: quemadmodum calor, quem nos ipsi aërem sed duriter

2. de Cœlo, textu 42.

riter conterendo excitamus. Nec uerò omne, quod ab efficiente fit, denominari ab eo debet denominatione, quæ quid de eius substantia, aut substantiæ inhærens, referat, quam ob rem impediri posteà rerum imperiti possint: nam nec rectè dicas humanum calorem eum, quem nos quoque excitamus conterentes aërem; sed elementarem: quemadmodum eum, qui cœlo conterente fit Aristoteli. quem quidem etiam elementarem esse, uel eo argumento conuinci potest, quòd non modò alterat res, ut elementaris, sed sæpè flammæ inde existunt, ut nobis etiam aërem duriter conterentibus. Quòd si ipsæ flammæ cœli contritione excitantur; sequitur, ut lenis calor, qui uidetur ab eodem fieri, differat à flammeo tantùm ratione magis & minùs, prout calori intensio, remissioque accidunt. De nostro quoque igne procul calorē excipimus lenem, & per intermedia multò leniorem. Eiusdē autē rationis cum elemētari existimare se illum, Aristoteles declarauit, cùm inter modos, quibus cœlum hîc calorē excitare ipsi uideretur, recensuit detrusionem (ut sic loquar) partium ignei elementi: nec propterea monuit, diuersum esse eum, qui aëris cōtritione fieret à cœlo: facturus, si ità existimasset. Animalem autem calorem Aristoteles, opinor, numquàm habuit alius rationis ab elementari: sed ait, esse illum magis diuinum, quàm quæ appellantur elementa, scilicet quia mistum, temperatumque quid iam esset: nobilius igitur elementis, atque adeò diuinius, nam longè nobiliora simplicibus sunt mista secundum ipsius opinionem, & simplicia gratia mistorum. Non autem esse ignē, neque originem ducere ab igne; nempè simplici: aut uerò non ignem præualere in ea substantia, sed aërem. Proportione respondere stellarum elemento, quia sicut calor, qui à cœlo fit, animalia generare uideatur. Quòd si nullo modo elementarē esse animalium Calorem uelit aristoteles: quintam qualitatē, atque adeò quintam substantiam elementi afferat oportet in costitutione corporum uiuentium; quod nusquàm ab ipso traditum est, nec uerò fieri iuxta ipsius placita potuit. Elementarē autem esse calorem animalium, extra alteratione, doceat eius consumptio: uorat enim, ut elementaris, licet lentè: & ut à frigore necatur, sic à calore elemētari moderatè excepto fouetur,

1. Meteor. ca. 4. summa prima.

&uiuificatur: fieriq́ue haud poteſt,ut quidquã propriè ab alio foueatur,ac ab amico atque cognato. Quod autem Ariſtoteles pronunciauit,calorem Solis & animalium generare animalia,ignis non; palàm, uel ipſius etiam teſtimonio, falſum eſt. Nam in Cyprijs fornacibus,ignibus medijs,enaſci beſtiolas quaſdam ipſe met tulit: & muſcæ in aqua enectæ iam,ſi calido cinere(cuius calor ab igne inditus igneus cenſeri debet) ſupertegantur, reuiuiſcant. Oua quoque quotidie ad ignis calorem excluduntur,qui quidem calor omninò ibi præſtat eam uicem, quam ſolaris in generatione animalium quorumcumque. Rurſus calor ſolaris,ſi nimius ſit,tenella animalia, tenerasq́ue plantas necet,niſi caueant,& defendantur. Nec uerò,quia uel igneus ſpiritus uiuere non poſſit: ſed quia de corporibus teneris,& nimiùm adhuc adapertis, ille ui extrahit ſpiritum,humoremq́ue, reliquiasq́ue torret. Vt ſtatui poſſit, calorem lenem omnem,undecumque ſit,conſtituere uiuentia: iniuſtum contrà,undecumque ueniat, eadem dare neci,ſi ſpiritus uelamen tenerum,& molle habeant:atque in hac etiam ratione, ipſa experientia, ipſaq́ue rerum ueritate atteſtante, Ariſtoteles conuincatur.

de Hiſt. anim. cap. 19.

Galenum imprudenter poſuiſſe in corpore animalis duo calida diuerſa, utraque agentia & efficientia: peruersè & inconſtanter de ijs loquutum. Animam non poſſe eſſe temperamentum, neque quidquam bruti & inertis corporis. In cauſſa calidi natiui, ſeu ſpiritus, habere Galenum difficultates inexplicabiles. Definiri autẽ debere, qui ſpiritus ſit anima. Et ſi ſpiritus non ſit ea ipſa, non eſſe oſtenſum modum, quo illa utatur eo & calore, ut organis. Non debuiſſe uideri cauſſa formatrix eſſe alia ab anima: neque ipſam animam non efformaſſe ſibi corpus. Non rectè conſtituiſſe Galenũ tria principia ſeparata in animali diuerſarum facultatum: neque earum facultatum illa eſſe principia, neq; eſſe omninò principia. Neque ſpiritum animalem à cerebro gigni, aut afformari, neque à corde uitalem, neq; à iecore naturalem: non liquere, quî ij gerant facultates. Spiritum uitalem naturalem uideri, & animalem: naturalem uitalem: animalem uitalem. Non rectè abieciſſe Galenum opinionem tranſmiſsionis ſpiritus animalis per omnes neruos.

CAP.

CAP. IX.



Vnc adsit Galenus, uir ille egregius, cuius ingenio, studijs, probitati puto inuidisse fata, quæ eum de natura hominis ueritatem celauerint. Tu, princeps medicorum alter, & ueri anxius scrutator, geminas calidi substantias, easque diuersas ponis in corpore animalis: Si cum Hippocrate tuo, ut de quolibet elemento portio sit in misto; superuacuè fortasse facis: quæ enim paucioribus satis benè facere potest natura, ad ea plura non adhibuerit: Itaque cùm calido opus habeat ad constitutionẽ animalis, calidum unum desumet: quid enim una caussa duo? Aëreum itaque sumet: nam siccitatis caussa, qua igne diceres esse opus, utetur terra, siccitas cuius, ratione elementari tradita à nobis, eadem atq; ignis est. Hanc certè rationem respexisse uidetur auctor trium librorum de Diæta, quisquis is fuerit, qui duo tantùm elementa attulit ad hominis constitutionem. Sed tu (uti uideo) duplicem in animali compositionem diuersam discordemque facis; itaque duplicem ponis ab igne substantiam. Tibi enim natiuum calidum compositum quid est ex omnibus quatuor substantijs elementaribus, inter quas ea sit oportet, quæ ab igne manauit: si igitur alia ignea substantia insit seorsum ab illo, duæ planè fuerint in hoc corpore compositiones, quod nullus umquàm dixit Hippocrates: qui sine dubio per calidum natiuum intellexit simplex id, quod in mistione totius ab aëre esset; uel id, & simul quod ab aqua foret: unius enim una cõpositio, & uobis una mistio, sit necesse est. Tu uerò si id fateare, hoc est, unicam esse huius corporis substantiæ mistionem; uereor uehemẽter, ne imprudens disturbes temperamentum, mistionemque tanto studio elaboratam. Si enim modò superet calidum aëreum, modò igneum; manifestum est, pugnare illa inter se, & alterum usque agere in alterum: itaque nullam esse eorum mutuam temperationem. Mirum prætereà, quod ais: natiuum calidum minui effluendo, atque inde siccari corpus; igneum remanere longiùs, atque inde insolescere ætate consistente. Vtra enim aptior ad elabendum de terrestribus inuolucris substantia, tenuiórne,

nuiórne, an crassior? non est opus responso: tenuior enim planè. At utra tenuior, subtiliorque, quæ ex igneo elemento est, an quæ ex aëreo, atque aqueo? prior sine dubio. Quî igitur fit, ut citiùs calidum natiuum, quàm igneum, elabatur, atq; effluat? An uerò igneum libens sese abdit in terream substãtiam, cum ea esse uolens, non perhorrescens frigus, neque impedimentum ad motũ? Sed quæ alternatio est, quæ posteà fit per senectam? per illam enim planè est calidum natiuum agens & opera faciens: igneus uix sentitur ullus, aut ualet quidquam: contrà quàm tua ratione deberet fieri. si enim per tot annos minuî natiuus calor, augeri igneus perseuerat, sic perpetuò res procedere deberet; nihil. n., si sit rectè, uidetur cõsequi, cur mutetur. Sed hæc impedita satis, neque tibi forsan ipsi probata: est enim, ubi statuis, uerè parem esse calorem, qui in puero sentitur, ei, qui in iuuene: nempè (ut interpretari licet) eundem: quæ enim pares tibi sunt eiusdem speciei qualitates, eædem omninò sunt. Quod attinet ad naturam, nihil moror ea, quæ facta sunt ex temperatione. Essentiam autem animæ (est enim de ea tecum uidendum) uir eximie, quî suspicari potes esse temperamentum? Audiuisti antè, quæ sunt de temperamento disputata: sed non te exterret partium corporis dissimilitudo, atque diuersitas? quí fieri potest, tot, tàm disparia temperamenta sint unum, totum sibi ipsi simile, ac simplex, qualis oportet sit anima, ut motus omnes agendi, & patiendi, & operandi, non tàm communes sint omnium eius partium, quàm unius omninò eiusdemque, nulla ratione à se ipso differentis? Disparia uerò & dissimilia, & contraria omninò inter se cùm sint partium corporis temperamenta, & singulæ partes ex diuersis constent substantijs, diuersorum adhuc temperamentorum: anima tibi admirabiliter sibi ipsi dissimilis, & contraria sit necesse est. Memini haud dubiè, legisse apud te, oportere ab unica ui gubernari animal, quando constet ex tot tamque dissidentibus particulis. Digna uerò Galeno uox, & quæ maximè ingenium tuum possit commendare: quando uerè est imposibile, ut quæ dissimilia naturâ sunt, consentiant, nisi ab uno alio omnia quasi concilientur, uel (si id fieri nequeat) cogantur. Per eam uim tu quidem intelligis naturam, quæ sit aliud à temperamento substantia-

2. de Temper. cap. 2.

ſtantiaque animalis: ſed aliúdne eſſe poſſit natura ab anima in animali, poſteriùs uidebimus. Nunc aio: ſi anima regit corpus, non poſſe eam ſecum conſentire, ſi tēperamentum ſit eſſentia eius, ob cauſſam expoſitā. Sed tute ipſe reprehendis, nec ſemel, de tali ſuſpicione, cùm ais, in animi motibus, qui affectus uocantur, animam ipſam per ſe ipſam moueri: ſi enim temperamentum ſit illa, quî ſeſe moueat, quin totum corpus moueatur? Cùm autem tradis nobis temperamentum cerebri, uel totam ſpeciem conſtitutionis eius, rationalis tantùm animæ principium tradis, non alterius, cuius operum rationalis nullā tibi uidetur habere cognitionē. Sed ubi cerebrale quid adfers de anima rationali; uel caliditatem eius, uel ſpeciem, uel proprietatem, uel facultatē, uel quouis tandem nomine afficias, quæ cerebri quid ſit; reſpicere debes, quàm probabiliter rem tàm gnauam, tàm impigram, tàm, ut licet intelligere, ſublimē, tām celeriter, tamque diù, uel per ſe, uel per inſtrumenta, cientem, exercentemque motus, affigas ſubſtantiæ inerti, ſtupidæque. Imaginatio manifeſtè cum ſenſu fit: at cerebrum ſtupet: nam (ut multi graues uiri experientes ſunt teſtati) tactum, nihil uidebatur ſentire: ergò in cerebro nō fit imaginatio. Tuum dictum eſt: memoriæ, recordationis, imaginationis, radicē & fontem eſſe ſenſum: at cerebrum non ſentit, uel certè admodùm ſtupidè. per ſe quidem, hoc eſt propriâ ſubſtantiâ, nullius eſt ſenſus, qui ſit noſter, ut probabo poſteà. In calido natiuo, ſiue ſpiritu, miſtiōis tibi importunitas obeſt, & etiam diſſimilitudo eius, quando is quoque non uſquequaque ſibi ipſi ſimilis uidetur tibi: nec prōptum habes, unde adſit ſenſus: neq; umquàm reddideris rationes, quibus tot, tantasque operetur operationes: neque alias ſolueris difficultates, quæ eam poſitionem excipiunt. Videtur autem mihi non unus ſpiritus, ſed minimùm duo, uenire apud te in deliberationem cauſſæ animæ: quippè, natiuus, & is, qui continetur cerebri uētriculis, qui licet natiuus quoque ſit, tamen alterius à reliquo rationis uidetur haberi à te, quando eo longè nobiliores operationes, atque adeò nobiliſſimas, obire uidetur animal. Sed de ſpiritu animali ſuſpicio eſt, an ſit anima rationalis: de cætero igitur, an ſit naturalis, uel uegetalis, ut uelis nominare. Verumtamen de animali ſtatuis

11. Meth. cap. & alibi.

1. de Elem. cap. 3.

5. de Simp. med. fac. cap. 9.

aperte non esse eum animæ substantiam, sed eius primarium instrumentum in cerebri corpore habitantis: quia (inquis) si is esset substantia animæ, fieri nullo modo posset, quin simul atq. esset euacuatus, continuò quoque interiret animal. Sed quid si qs neget, statim aperto uentriculo uacuari eũ spiritũ, indicetq; caussam tibi quoq; esse cognitã? quia ad contactũ tùm uulnerãtis ferri, tùm frigidi aëris, sese ille abdat intrò? Quid si cōtẽdat satis esse ad uitæ instauratiōem, te fatente, nouam eius spiritus collectionem, & expediat, quæ remanent dubia? De cætero spiritu, calidóue natiuo, relinquis dubium: sed (ut sæpè de animali) aut ipsam essentiam uirtutum, animæque ipsius, esse ais, aut primarium eius instrumentum. Sed si animæ instrumentum spiritum omnem ponis, ostendendum tibi, quo modo eo utatur: quo modo incitet ad mouendum, eóue moueat: quo modo per animalem sentiat: spiritu'ne ei communicante aliquo pacto motus, an ea ipsa spiritui uel propriâ essentiâ, uel ui aliquâ allabente: qualis sit communicatio inter eam & spiritum, ut eius motus sui sint motus. non enim satis, tantùm pronunciasse rem tàm magnam, & tàm secretã. Neque tantùm in sentiendo, & quoquo modo mouendo, id præstandum tibi est: sed etiam in exercendis principibus functionibus. Quamuis enim ais, animale principium (quod in cerebri substantia locas) per se, & secum ædere illas: & alibi inquis, cerebrum propterea molle factum esse, ut scilicet facilè recipiat motus per sensoria uenientes: eos uidelicet ipsos, qui memoria retinentur, qui imaginatione repetuntur, de quibus, aut uerò ijs, quæ per eos repræsentantur, est ratiocinatio per intellectionem: quare uideri posses uelle, animam ad eas obeundas non habere opus spiritu animali: tamen etiam iuxta tua placita, opus eam habere oportet fateare, quando spiritus ille instrumentum sensus tibi est, sine quo nō est imaginatio, atque adeò quo sublato omnes eæ operationes perierint: instrumentum etiam motus, per quem etiam imaginatio fieri mihi uidetur, & fit fortasse memoria. Cæterùm, si aliud sit anima, aliud uis formatrix, quæcumque ea sit, & undecumque uenerit in seminis substantiã: planè illud consequitur, uidelicet, ut ferè passiuum quid tantùm sit anima sub hoc corpore. Non enim deseruisse animal

[Left margin, beside "caussam tibi…": *li. Causs. sympt. cap. 2.*]

[Left margin, beside "per se, & secum…": *li. de V su part. cap. 6.*]

uideri poteſt ea uis,quæ à principio conſtituit, formauitque corp⁹: ſed ſub ipſo adhuc eſt, agitatq; & procurat, exſequiturq; omnia,quæ ſunt opus ad animalis conſeruationem.itaque ubi uitium factum eſt aliquod, illa ipſa emendat,ſupplétue,modo, quo poteſt. quin format denuò aſſiduè corpus,quandoquidē, illud continenter abſumitur, & ſi tale conſiſtere debet, continenter, eadēque ratione,iiſdemq; motibus oportet reparetur. Si itaq; illa ea facit omnia,& aliud eſt ab anima;hæc non modò ipſa etiã ſit opus alterius, ſed neq; iam ſui iuris, mancipijq;,ſed ſub alio,pendens uſque ab alio: tantùm habeat ſenſum & cognitionem, quæ eſt alterantium, & de ſtatu aliquo modo mouentium: inſuperque laborioſè moueat: laborioſus .n. omnis uoluntarius dictus motus.Iniqua uerò res,& quam ne tu quidē approbare poſſis: qui aliquando ſeriò agens, de tali cauſſa ſic inquis: *Cùm in limo, colluuie, paludibus, plantis, fructibus putrentibus animalia gignantur, quæ uires illius, qui ſeſe condidit, oſtendunt mirificas.* Illius qui ſeſe condidit,inquis: declarans apertè, nõ aliud uideri ab anima cauſſam,quæ totum animal cõſtituit, atque formauit. Dubius es tamen aliàs, an anima efformârit corpus,quia uegetalis non uideatur ſapere, & ſcire rationes: & rationalis neſcire partes, quæ inſeruiant ſuis appetitionibus. Sed ubi nunc ſunt encomia naturæ, quæ paſſim canis? ubi admiratio prouidentiæ eius & ſapientiæ? ubi nomen, quo eam appellas,Dei?Ignoratio rationalis animę certè magna eſt cauſſa,& quæ te iure habeat ſuſpenſum. quare ego nihil te incuſo: ſed in altero libro pro uiribus rem conabor euoluere:ingentes enim tenebræ,quibus ueritas hac in parte,ut alijs multis,obtegitur,ſunt in cauſſa,ut erres,non quia ſit, ſicut ſuſpicaris. Vbi autem eandem ob cauſſam duplicem noſtram animam facis, hoc eſt ex duabus ſpeciebus, partibúsue cõſtituis tàm diuerſis, ut neutra alterius rationes teneat:præter quàm quòd obijci tibi ea poſſunt, quæ Platoni, atque adeò Ariſtoteli obijciuntur: & unum plura diuerſa erit, aut plura diuerſa unum:totam Hippocraticam diſciplinam conturbas.Si enim ſeorſum ab anima rationali fiunt opera alterius,& huius ſeorſum ab illa: ergò non eſt in animali conſenſus,& conſpiratio illa ab Hippocrate animaduerſa, & deinde tanto conſenſu à plurimis approbata, &

17. de Vſu part. cap. 1.

quæ omninò sit necesse est. De tribus autem principijs agendum est diligenter. Ac primùm statuamus, quod ratio undecumque dictat: nēpè, omne, quod alijs uel substantiæ, uel qualitatis, uel operationis principium est, magis etiam ea habere, & posse oportere: nam quî fieri aliter possit? Cerebrum autem dicitur principium facultatis animalis, quæ quidem in primis existimatur esse sensus, & sensus tactus; nam per eū sensum in primis esse animalia putantur: tùm facultas mouēdi. Dictū aūt est, demonstrante experientia, cerebrum non sentire tactum: & si non sentit tactum, neque alia sensibilia senserit: omnis enim sensus fundamētum, principiumque est sensus tactus. Si igitur sensu tactus caret, numquàm sentiendi facultatem ullā cæteris partibus impartiri poterit. Nec dicere oportet, me assumere ut falsa ea, quæ manifestè uidemus uera, quādo palàm percipimus odores & sonos sub caput; & impedita cum cerebro cōmunicatione, nerui omnes obstupescunt, & sensu priuantur: reddam enim posteà rationem ueritatis expeditissimam, eaq; cum hoc, quod nunc contendo, consentiet. Quàm autem sit aptum cerebrum ad motum, qui uoluntarius uocatur, ædendum in sua substantia, indicet consistentia, & figura. Neque est tàm breue, ut dici possit, non apparere eius motum, tamquàm cētri, super quod moueatur circumferentia. Quamquàm tu asseueras aliquando, ipsum cerebrum moueri eo motu: quotiescumque uult ad aliquod membrum spiritum animalem transmittere. nimirùm, putando absurdum, non moueri principium eo motu, cuius alijs sit principium. Probè, & secundum naturam, hoc est, secundum ueritatem: sed inutiliter cerebro, si ei facultas tribui debet mouendi sese uoluntario dicto motu. Mitto enim, quod uerè nihil graue potest moueri à se: nullum graue, atque infirmum potest; uidelicet, quod non habeat, quo nitatur. ac tale est cerebrū. At motus actio est: & esto, actionē quampiā nō posse ædi sine organo: sed sensus hic motus passionis est, & fit cum passione: & omnis substantia uiuēs semper secum, & totā eam facultatem habeat oportet, sine ullo instrumento: non enim instrumēta sunt uitę principium & caussa, sed natura: quæ si sentiendi facultate careat, nullà sit talis, substantiaq;, cuius ea est, non uixerit talem uitam. Sensu igitur non debebat carere cere-

31. de Decretis, cap. ult.

cerebrum, aut uerò nō cedere eo neruis, si principium sit eius. Siue enim spiritus est sensus primarium instrumentum, isque in neruos transmittitur, aut uerò qualitas per illum; siue non; sed ui facultatis, quæ continuatione in neruos transit, exsistat sensus: ea re cerebrū, quod spiritum animalē intra se continet, quodque eo perfunditur, te teste, atque adeò principij ratione, longè oportebat exsuperare. Cor perhibetur principiū facultatis uitalis, quæ planè est uiuendi, & tenorē animæ seruandi. Sed si quæram ex te, quæ sit facultas, qua uiuunt, & æuum agitant substantiæ, haud scio, an explicare queas. Hîc autem uel substantiam, quæ uiuat, intelligis pro facultate; uel uim, qualitatemque, qua cōseruatur uita: utrumque enim tibi procedit, & fortasse Hippocrati. Si enim natiuum calidum, hoc est spiritus, est substantia uiuens in animali, ut Hippocrates uoluit, & aliquando de illius sententia tu: illud in corde & arterijs nanciscitur originem: Si non illud, sed solida ipsa uiuunt, quorum uel temperamentum, uel alia uis sit anima: calore à corde affluente temperamentum, uisque eorum conseruatur tibi. Vtrumuis autem sit: Si caloris natiui principium est cordis substantia (ea enim est planè cor) cur de arteria uix egressa recipit ramum ad sui conseruationem caloris? Est ne illud principium, quod id, cuius dicitur principium, accipiat foris, per se eo egeat? Neque in cerebro id fit, neque in iecore, neque in principio ullo fieri debet. At cur motu assiduo agitatur cor, si proprio eius temperamento caloris natiui continens instauratio, multiplicatioque debetur? Pulsus quidem tibi redditæ aliæ caussę, alienæ à uero: sed tamē inter cæteras, caussa gignēdi spiritus. Si itaq; motu ad id est opus: saltem non omninò cordis naturæ id acceptum referendum est. Natura quidem in principio, quod sui est quasi uniuersitas, à se, sua ui sufficit ad agendū, opusque constituendum, sine ullo laborioso motu. laboriosum aūt esse naturæ nostræ etiam pulsus motum, norunt ij, qui eam penitus introspexerūt: omnis enim grauis molis agitatio laboriosa est nostræ naturæ: At tamē (dices) elaboratur spiritus in sinu cordis. Quid? sunt cauitates pars, aut qualitas, aut facultas corporis? Est quidem cor quasi focus agentis operantisque naturæ, ad quod ea satis fota est: tùm instrumētum, quo utitur

7. de Decretis, cap. ultimo.

mouens, ut faber suis organis: at calidum natiuum ab alio fit, ut dicã suo loco, ne cogar bis de eadẽ re agere. At qua, te rogo, ratione iecur est principium naturalis facultatis? Omnia corpora, quæ uiuunt, tùm tota, tùm singulis partibus, de tua sententia, à se, propria ui, trahunt, concoquunt, retinent, expellũt: itaque adaugent se, suumque statum tuentur. Si igitur uitam habeant aliæ partes à iecore, habeant ab eo naturalem facultatem: si non illud, ergò neq; hoc. At habent, inquies: ab eo enim habent, ut uiuere possint uita plantæ. Sed si tu ostendas, iecur ipsum, nedum cæteras partes, uiuere ullam uitam sine spiritu ab arterijs delato; uolo uiceris non in hac modò caussa, sed in omnibus. Si autem nullam uitam uiuere possunt, neque aliæ partes, neque iecur, sine ui ab arterijs accepta; ne, rogo, ijs des aliam per se uitam. Nec dicas mihi, rationem dictare, iecur gigni ante cor, proindeq; licere statuere eo modo. Primùm enim nõ demonstras: deinde, fac sit: non ab iecore auspicantur prima orsa fœtificationis, sed à duabus uenis, totidemque arterijs: quod est argumentum euidentissimum, nullam uitã usquàm in animali posse esse, sine uitali (ut tu uocas) ui. Nec rursus dicas, uenas solas posse aliquandiu tueri uiam partium: nam (inquã ego) & spiritus & calor uenarum plurimùm ab arterijs transumitur, te auctore, te prædicante: ipsarum tepidus est, ut tu inquis, & inefficax. Verè sanè: nam eam hercule ob caussam uenis uix iecur egressis copulantur anteriæ. Iecoris quidẽ materia uenis, quæ illa foris obsipantur, atque opplentur, affusa est ad caloris multiplicationem, ut in alijs uisceribus sanguineis: quo alimentum ibi satis confici, & ad opera efficienda præparari possit; non ob aliud. quare minimè naturæ, facultatisque ullius principium debet uideri, præcipuè partibus dissimilibus: quæ certè à ui aliunde, quàm à iecore accepta, ut sunt constitutæ, sic nunc habent uitam, ut posteà demonstrabitur. Verumtamen præter dicta, ut mihi ista principia integrè probes, docendus à te sum, singula ea constare per se, à se ipsis sufficere, non quidẽ quo ad materiam, quæ subiicienda tantùm uenit; sed quo ad uim uiuendi, tuendi se, agendi & operandi, quæ agunt, operanturque omnia: ea enim uerè sint principia: si id non facias, cõtendam principia non esse, sed pendere ab eo, quidquid tandẽ

De Format. fœtuum.

6. de Vsu part. cap. 10. & de Vsu puls.

sit,à quo principium uitæ, uitamque, quam uiuere uidentur, sumunt. Rationes motuum,atque operationum, quæ ab ipsis incipere, diuersæque,uidentur, me non impediunt: reddam eas,expediamq; spero omnia,quæ te, uir magne, impedierunt, & intricarunt.Naturalem facultatem habent omnia ista principia: ea uerò non modò cum uitali coniuncta sit oportet, sed ab ea pendeat, ab ea omninò proficiscatur: uiuant enim priùs oportet, deinde agant, & opera faciant. cur igitur naturalis non subijcitur uitali,eique attribuitur, ut uiuenti substantiæ operationes? De facultate animali maius uideri posset dubium: sed non est.Ea in primis est sentiendi & mouendi. at ea sentiunt, & à se mouent, quæ uiuunt. cur igitur non etiam animalis facultas datur auctori uitæ? At tibi plures fortasse sunt uitæ auctores: indignè sanè,si id sentis,in eodē animali. Sed cor & iecur num sentiunt? planè oportet,nisi ut plantæ debent uiuere: (quamquàm ipsæ etiam plantæ aliquando uidentur tibi habere sensum tùm propriorum,tùm alienorum:) arteriæ & uenæ tibi sæpè sentiunt,licet aliquando contrà contendas. At si non sentiunt arteriæ,neq; uenæ,quæ quidem quidquid habēt facultatis, tibi à corde & iecore habent: cur iuxta animi motus pulsus mutantur,& animali principio partes illæ subitò obsequuntur? cur animo perturbato, malè procedit naturalis operatio etiam in ossibus? cur per timorem subitum sanguis fugit intrò,in lætitia foras effunditur? cur neruis iam conuellēdis, arteriæ nobis antè præferunt conuulsionē? Motus uenarū tibi est dispensandi alimēti,mihi etiā pulsatorius, sic enim uidi hisce oculis aliquādo in accessione febris per longum spatium temporis: at siue uterque,siue alter; cur non harum & arteriarum motus ab eadem sit natura,substantiaque,ob cuius affectus tàm citò mutatur,& cuius obsequi uidetur motui, quæ quoque forsan uitæ totius principium est,& actionum,operationumque omnium? Cùm autem uenæ & arteriæ sentiant; nec ipsæ tantùm sed earum etiam principia: & sic necesse sit, uel si non appareat, ut ostendam posteà: & earum omnium motus tàm promptè sequi animalis principij uideatur motum: quid est, cur non ab animali principio ipsæ quoque pendere agnoscantur? Prohibet,inquis, quòd earum motus non uidentur pendere à uoluntate nostra.

De Substantia facult. naturalium.

16. de Vsu part. ca. 2. de Inæquali intemp. cap. 3. lib 2. de Comp. med. s. l. cap. 1. Contrà 16 de Vsu part. cap. 12.

Sed

Sed ne quidem musculi omnes uoluntaria motione agitantur, teste te: & sæpissimè uolūtarias uocatas motiones ciemus, quas ciere nos prorsus nesciamus. Sed hac de re, anteà sum pollicitus, in sequenti libro. Motuum quoque, operumque diuersitas quæ ab ijs principijs separatim auspicari, ac deinde procedere, uidetur, turbat te, qui uidere nequeas, quî ab una eademque, & tota sibi consimili natura, & unum habēte principium, ea oriri possit: sed ne turbere; inueniemus rationem. Tibi intereà consensus facultatum, & principiorum conciliat omnia: sed uidēdum est etiam atque etiam, quo modo fieri possit, ut diuersa principia, substantiæque, dissimilium, diuersarumque facultatum inter se, conspirent in unum, consentiantque: repugnat enim ratio naturæ. Hippocratis quidem habetur illud: *Confluxio una, conspiratio una, omnibus omnia consentiunt:* Sed uide quid sequatur: *Iuxta totius corporis naturam omnia.* quæ quidem una, communis omnium, ad quam spectent omnia, sit necesse est. Tuque addis: *Nam nisi hoc esset, duo animlia esset, nec unum, quisque nostrum.* Qualicumque autem ratione posueris iam ea tria principia, equidem miror, cùm cordis facultatem accipiendo animalia plantæ sortem tibi uiderentur superare, cur non sis miratus, cor non esse sensus principium. Mirabor adhuc aliud: quippè, cùm non cor, sed cerebrum, sensus principium tibi est compertum, quod idem intelligentiæ & ratiocinationis principium erat tibi, cur non solùm animæ nostræ, sed omni sentienti, non dederis etiam facultatem intelligendi & ratiocinandi, si non tantam, quātam nos habemus, at tamen aliquam. Nam quæ aliquando in substantia naturà ac propriè simul esse cognita sunt, uiro prudenti semper simul esse existimandum est, etiam si ipsorum aliquod fortè aliàs non ità manifestè ꝑdatur. Iam uerò agamus caussam trium spirituum, ne res non leuis momenti sic prætereatur. Ij uerò tibi non omnes sunt certò, quod mihi satis esset ad exigendum: sed ut sint: nullo modo constituuntur ab ijs principijs, à quibus prodire dicuntur, & à quibus, si facultatum eorum uel instrumenta, uel uehicula sint, constitui deberent. Tu enim ipse ais de spiritu animali, illum qualitatis proprietatem ex sui ipsius coctione adeptum. Rectè sanè: quî enim naturà aliquid

De Format. fœtuum, cap. ult. de Motu musc. lib. 2. cap. 4. 5.

9. de Vsu part. cap. 4. Et 7. de Decretis.

aliquid generari, uel afformari ullo modo poſſit ab eo, quod ſit diſſimillimum, ut eſt cerebrũ ſpiritui? Quamquàm aliqua ſpiritus animalis copia per ipſum cerebri corpus contineatur: tamen paucior ea eſt, quàm quæ calore ſuo ſpiritum in uentriculis continendum poſſit abſoluere: eſtque tàm confuſa diſſimilibus, ut uix poſſit tueri ſeſe, & aliud facere, quàm ſpiritũ in uentriculis. A corde autem nõ effici uitalem, extra ſubſtantiæ diſſimilitudinem, quæ una ſatis poſſet eſſe; ſit indicio quod antè dicebamus: nempè, quod ſpiritus foris ſubit cordis ſubſtantiam ad eam uiuificandam. Nec oportet dicere; ſub ea uiſcera continentur ſpiritus, ſub ea elaborantur: quid enim ipſe reſpõdeas, ſi dixero, uaſa efficere ea, quæ intra ipſa efficiuntur, aut continentur? Iecur autẽ ullum conſtituere ſpiritum, ineptum eſt dicere, quando neq; in uenis ſanguis ipſe ſatis conficeretur, niſi ſpiritus & calor ab arterijs ſuccederet. Sed ſi ſpiritus ſub iecur conſtituitur ullus, is tàm craſſus eſt tibi, ut penè uapor ſit; humor potiùs habendus, quàm ſpiritus: quod eius etiam nõ calor magis, quàm tepor, tibi ipſi poſſit comprobare. Tantùm quidem cùm laboret natura in ſpiritu abſoluendo, quantùm oſtendam poſteà; indignum eſt, eius ullius confectio iecori, uiſceri tantùm ad mediam uſque coctionem ciborum adapto, attribuatur. Sed ſub arterijs, quantùm uideo, tuorum ſpirituum, propè duo abſolui uidentur, iudicio quoque tuo: uitalis & animalis. Cenſes enim, in cõplicatione ea arteriarũ, quę dicitur retiformis, ſub cerebri baſi, exiguum abeſſe, quin ſpirit⁹ ſit planè perfectus animalis: ſicut in conuolutione, quæ dicitur uariciformis, exiguum abeſt, quin perfectum item ſit ſemen. Conſuetum quidem eſt apud naturam, cùm alieni caſus non interueniunt, ubi ipſa quid ſemel comprehenſum, habitumq; loco, mutare aggreditur, eodem loci dare ei mutationem, quãtam maximam efficaciter & per tempus dare ibi poteſt, nec antè transferre aliò: contingit enim interrumpi intentionẽ actionis mutatione loci. In conuolutione autem ea, in qua fit ſemẽ, manifeſtè uidere eſt ſemẽ, perducta demùm ad eam rei formã materia, quantùm refertur ſpecie, hoc eſt colore, qui tibi non aliud, quàm quod res, reique natura eſt, indicare ſolet. Si tantundem fiat ſpiritui, quem tu habes adhuc uitalẽ, in retiformi,

iam ille planè sit animalis. Exiguum certè illud, quod tu dicis deesse, quodque posteà alio in loco accedit per coctionem, tantum erit, ut per id nequaquàm alia facta res possit apparere: & tibi omnium minimè, cui temperamētum, qualitas uidelicet, est natura corporis, substantiarumque omnium, quæ sunt in corpore: quæ quidem qualitas eadem intendi, remittique possit; & paullò magis intensa, non modò in spiritu humano, sed quouis genere rei, non aliud, nisi differentiam perfectionis, ferre noui uideatur. At quæ ratio tua illud ferat? Tu quidem tamen apertè id, strenueque negas, asserisque, præparari tantùm spiritum sub id textum (ut sic apellem) quò deinde facilè fiat animalis sub cerebrum: intereà uerò, quàm uis fiat proximus substantiâ animali per coctionem, tamen esse adhuc uitalem. quemadmodum de semine, negas esse semen, usque dum deueniat in testes, ibi tandem euasurum semen: non adhibens fidem ipsi sensui, præter morem tuum. Sed libet querere: spiritus cùm exit de arterijs in cerebrum, statim, in instanti, fit animalis, an uerò cum tempore? si dixeris statim; mirabor tàm subitam μεταμόρφωσιν: si cum tempore; erit intereà spiritus adhuc uitalis in loco animalis, agitabitque mistus cum animali. Rete illo, quo est uisus detineri spiritus, captus tu es, imprudēs ibi satis. Namq; (ut nunc sis sciens) uolo cognoscas, nequaquàm fieri in eo illud, quod tu dicis. Cur? inquies. scilicet, quia neque detinetur ibi ullus spiritus per spatiū ullum tēporis, simul atq; factus est, nec detineri omninò potest: ut non dicam hîc, non oportere, alia de caussa. Audi enim, si uis. Spiritus ea est substantia, quæ cùm facta est, statim contendat exire de angustijs, suo impetu incita foras, sicut leuia & mobilia à se querunt liberum locū. Accedit autem sub arterias compulsio, quam contingit dari à materiæ mole, quæ assiduè multa infertur, ac uehementer, celeriterq;, ut dilatātur eæ, à corde in omnes, ut à corde in omnes fit dilatio: accedit etiam expressio, quæ necessariò fit rursus constrictis ijs uasis. nam ea quoq; fiunt per motū arteriarū, non modò materia laboratur. Arteriæ uerò cōsimiliter paratę, æquabiliterq; contextæ per omnes tractus, ab omnibus partibus consimilem, hoc est æquè angustū, aut laxum, præbebunt ei exitum. Quare spiritus, ut æqualiter fieri ceptus, sic æqualiter

factus

factus in omnibus partibus per arterias, dātibus ijs ubique exitum consimilem, pariter, eodem tempore exiuerit de omnibus: & planè per conuolutiones, & tortuſos ductus earum, nihilò fiet durius negocium exeundi, ut tu ipſe potes aduertere: non enim prorſus, ſecundum ductum arteriarum, ſed in latera, per medios earum uillos, quæritur exitus. Aliud oporteret eſſet, ut fieret illud: ſcilicet, ut tunicæ ibi eſſent uſque craſſiores & denſiores, quàm fuerint in partibus præteritis: quod tamen eſſe numquàm demonſtrâris. Nec dicas mihi, non uideri rationi cōgruum, ſpiritum adhuc craſſum peruenire ad cerebrum: aut; accidere tamen ut ille factus uitalis moretur etiam ſub arterias, quæ ducunt ſurſum, quippè quia eâ ferat iter eum tendentem ſurſum uerſus, ut iam leuem ſubſtantiam. Primùm enim ex nullis arterijs ità it craſſus, ut tu putas: à nullis. n. datur exitus priùs, quàm ſit ſatis tenuatus, uſque adeò, ut ſit facilè penetrabilis. Deinde, per arterias ſemper celeriter, & cū impetu agitur materia, à corde ad uſq; extremas: ut neq; liceat illi aſcēdere lēto, & errabūdo, ut tu inquis. Pręter alia aūt abſurda, & multa, quæ prætereo, nónne uidetur abſurdiſſimū, ſpiritū, qui eſt exiturus in cerebrū, fieri priùs inferiùs, & pòſt factū aſcendere ſuperiùs? Eccur igitur infertur materia ſpiritus, hoc eſt ſanguis, etiam extremis cerebri arterijs? Si dixiſſes, ipſum ſanguinem morari in tranſeundo complicationem retiformem, & intereà è re magis magisque laborari, atque tenuari, fortaſſè toleraremus. Nam texta arteriarum, conuolutionesque (ut nō taceam quid mihi uideatur de ijs) ubi ubi ſunt, propterea paratę ſunt: ſcilicet, quò in breui ſpatio maior ſpiritus copia emitti poſſit; quod non poſſet haberi arterijs rectà traductis: uel quia colligi ibi maiorem ſpiritus copiam oporteat; uel ad potenter domādam & conſumendam multam magnamque uim alienorum inſolentiorum, quæ ibi fortè colligantur, ut tu aliàs noſti; uel ad difficile omninò aliquod conficiendum. Quare, in baſi cerebri eſt textum propter multitudinē frigidorum, quæ per illud aceruantur, ac talia, quæ citò intendere actionem queant, uel opprimere decidendo. Venis, ſub quas fit ſemen, ſunt conuolutæ arteriæ, quia per non longum omninò ſpatium efficiendum erat ſemen, quod non ità facile eſt factu: ſicut quò cibi

 diffici-

difficiliores parētur, copiosiore igne opus est, Sed his missis (cupio.n.iā peruenire ad finē) esto, do, si cupis: fiāt isti spirit9 omnes ab ijs uisceribus, sicut tu uis, quod tamen nūquàm erit uerum: ostendatur, quo modo sint instrumenta gerendarum facultatum. Si caloris essent facultates omnes, facilè foret negocium: at non sunt eius nudi omnes in omnibus. Si igitur alîus rei: uel quo modo dentur illæ spiritibus, uel quo modo ij habeant, & gerant, numquàm ostenderis. quamquàm quî ostendas, qui essentiam facultatum te nescire fateare? Sed cerebro, de tua sententia, ne quidem sit opus spiritu ad facultatis transmissionem. si enim qualitas est id, quod transmittit per neruos: cui usui ad eam rem spiritus animalis? nam ea hercule multò aptiùs, multoque forsan faciliùs à cerebro ipso per substantiæ cum neruis continuationem & similitudinem transmittetur. Spiritus autem naturalis tibi uel auctor est naturalis facultatis, uel quasi uehiculum: utrumuis sit, præstat omninò, ut partes peragant omnia munia naturalia, quæ planè sunt satis ad tuendam substantiam, atque uitam: cur ergò non uitalis quoque is sit spiritus? Sed si spiritu quoque uitali opus habent partes tùm ad uitæ, substantiæque conseruationem, tuitionemque, tùm ad munia peragenda; à se enim, uel influente spiritu naturali, deficerent breui: sic enim est planè: & tu ipse sæpè ais, calorem natiuum partium uitalis facultatis continenter influentis beneficio cōseruari, & eas insup perficere actiones suas: cur nō semel, uitalem ipsum etiam naturalem esse, statuitur, ut à te etiam ipso aliquando statutum apertè est, si tuus liber est, & dictum sæpè loquendo? Quidquid enim naturà ab alio conseruatur, à simili, parique conseruatur: & quod à se deficit, nihilque potest, & perit, nisi ab alio non pabulum, sed uim uitalem, auctoremque uitæ capiat; id ab eo principium uitæ, & uim, qua uiuit, omnē, uitamque ipsam accipere, statuendum est. Id autem cùm cerebrum quoque habeat à spiritu uitali, uereor, ne præter tuam spem neque actiones, neque uita cerebri à suo ipsius principio sint, sed spiritus uitalis continēter subeūtis, & cùm subierjt, inexsistentis. Tùm si spiritus uitalis uitæ est auctor, qua quidem planè sentimus atque mouemur: cur non idem quoque sit animalis? Tu sæpè inquis, arterias pulsare ad spiritus animalis gene-

Introduct. seu Medico.

generationem: cur tantùm ad eius, qui cerebri cellis continetur, non etiam ad eius, qui in cæteris corporis partibus? Animali autem ſpiritu pereunte, perit ſenſus & motus, uita nimirùm ipſa: cur igitur idem non ſit uitalis? Non potuiſti autem inducere in animum, neruos omnes deferre ſpiritum animalem, quia in muſculis, eorum fibræ nimiùm exſiles uiderentur. Quid? nónne partibiles eæ ſunt etiam per longitudinem? non concipiunt humorem? ſi humorem, quanto magis ſpiritum, rem æthercam? An non in anguſtius multò cogi poſſunt nerui, & fibræ eorum ſingulæ? planè poſſunt, ut uidere eſt, cùm exſiccantur: ergò habent cauitates. Neque negare id nos debemus, quia oculis nõ uidemus meatus: iniurium id eſt in naturam: quaſi uerò non poſſit ea talem efficere ſubſtantiã, quæ ut ipſa fugiat uiſum, ſic etiam locus, quà meat. Hebetes ſunt ſenſus hi, & tantùm grandes differentias poſſunt dignoſcere. Sed ſi non à cerebro mittuntur ſpiritus in alias partes corporis, ergò neque ab alijs principijs: principiorum enim, quà aliorum ſunt principia, ſimilis ratio eſt, ſi ſimili ratione principia ponuntur, uti hæc. Non animaduertis autem, quæ difficultates excipiunt cauſſam qualitatis. Primum (quia uteris ſimilitudine Solis, lumen per aëra mittentis) aio, imparem eſſe ſimilitudinem: Solis enim lumen admittit aër purus, pellucidus: nerui uerò tàm craſſi, tamque opaci ſunt: & craſſities, opacitaſque uehementer obſtant qualitatum tranſmiſſioni: & quidquid ſit illa tranſitura, oportet neruis tàm promptè recipiatur, ut quo tempore uoluntas uelit, eodem moueatur extremus pedis digitus. Tum qualitatum, quæ agere & facere opus poſſe uidentur, unus tantùm uidetur modus mouendi loco aliena, quæ correpta habent, unusque mos: rapere ad principium, unde ipſæ manant: at qualitas delata per neruos non cerebrum uerſus tantùm mouet: ſed eſt, ubi planè in aliud centrum, ut in uillis circularibus inteſtinorum, aut (ſi eos neges ab illa moueri) ſphyncterum. Deinde ſemper illæ mouent, aut conantur mouere, nec ceſſant omninò umquàm: iſta uerò tua ſub neruos & muſculos ſæpè, & multùm otiari apparet. Quamuis tibi non aliàs eſt ſub illos, niſi cùm eſt uoluntas: quæſo te, quid impedit, ne ſemper mittatur? Sol ſemper mittit ſuum lumen: & per Iouem,

per se quidem, nullo tempore temperare posse uidentur substantiæ ab emissione qualitatum suarum, earum, quæ extrà mittuntur. Non oportet obijcere iterum, absurdum esse, non abūdare cerebrum ea qualitate, quam impartiatur alijs; sed deprehendi brutum, nedum immotum. Verumtamen proferatur, quænam ea sit qualitas: dum enim lateat, nulla eius haberi ratio possit. Sed tu certè uir bonus, atque adeò optimus, qui sępè ea, quæ nesciebas, ingenuè te nescire fatebare: quare sim inhumanus ac ferus, si in tantam probitatem sim iniustior: nec uerò meus in te amor, studiumque patiatur.

PRIMI LIBRI FINIS.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.



IRARI satis non possum, *REX* magnanime, multos, qui opinionis errore hoc tempore accusant philosophiam, quòd detinens hominem caussis naturalibus, auocet à cultu *DEI.* Qui quidem si quid dicāt respicerent, & rem recta ratione cognoscerēt, profectò iustiores essent erga philosophos, & magis etiam piè in *DEVM* loquerētur. Nunc enim dum pijssimi, & religiosissimi uideri uolunt, iniurij sunt erga immerentes, & contumelijs ipsum etiam afficiunt *DEVM. DEVS* enim ipse à principio hunc mūdum, naturamq; creauit, & scimus quam ob caussam: scilicet ut se ipsę manifestaret: cumque propterea creauit, tùm ea forma, dispositioneque posuit, quam mirari satis non possumus: tùm facta deinde non cessare, & nihil agentia, facientiaque uoluit esse

sed

ſed uſq; ea fieri ab ijs, & in ijs iuſſit, quę qui cognoſceret, cauſsáſque, rationesque perſpiceret, nō poſſet non colere, & omnibus afficere laudibus auctorē principem. Tunc enim ſubſtātiæ, mētisque præſtantia elucet, cùm eius uirtutes elucent: uirtutes autem operando, inque operibus oſtenduntur. Quare qui negligit naturam, planè negligit ea, quæ *DEVS* fecit ad ſui patefactionem: & qui improbat, improbat *DEI* conſilium, atque factum: qui uerò ſe ab ea auertit, eamque deteſtatur, à *DEO* ipſo cognoſcendo auertit ſe, *DEVM*que deteſtatur. Quid enim non ſit ità, ſi à *DEO* creata eſt illa, & ob cauſſam, quæ prædicta eſt? Atque his criminibus ſatis imprudenter, inſcienterque alligant ipſi ſe iſti, qui ſtudioſos naturæ, naturaliumque indagatores rationum calumniantur. Non ſic patres illi eccleſiæ ueteris, ut pij, ſic docti: amabant enim philoſophiam, colebantque, & probabant philoſophos, qui uidebantur optimi, ſequebanturque etiam opiniones eorum in cauſſis grauiſſimis: ut Baſilius Magnus, Athanaſius, Methodius, & quotquot ſecunda ſynodo Nicæna conuenere patres, Platonem de ſubſtantia animæ ſequuti ſunt, recipiētes, eſſe eā corporeā, ſicut philoſophus ille ſtatuerat; & eſſe igneam, aut aëream. naturam autem habebant *DEI* uel filiam, uel famulam: aliqui etiam manum ipſius *DEI*. exiſtimabantque, naturalia hæc eſſe ueluti ſcalas perueniendi ad *DEVM* cognoſcendum: aliqui etiam, & ij optimi, ſtatuebant hunc mundum eſſe quaſi ſpeculum quoddam, quod referret imaginem *DEI*. Verè, & rectè, & ſapienter. Quia enim natura in omnibus *DEO* obſequitur, & uſq; quæ *DEVS* uult, ratione que, quam ille inſtituit, & uult, facit: iure optimo uel filia, uel famula, uel manus etiam *DEI* uideri debet. Cumque hic mundus forma, menſura, ordine, arte, prouidentia ſit factus undecumque admirabili, atque ſtupenda: meritò cenſeri debet opus, quod facie ſua referat informabilem & incomprehenſibilem opificem: aut uerò ueluti ſcalæ, quæ ducant ad *DEI*, qualiſcumque tandem haberi hîc poteſt, cognitionem. Excluſus enim animus noſter cœlo per aliquod tempus, obuolutúſque corpore hoc graui, bruto, atq; inerti, tollere ſeſe in altum, aciemque ſuam ſine obſtaculo intendere non poteſt: itaque ſi hac conditione rerum ſuarum aueat tamen cognoſcere aliquo modo

Actione 5.

modo rerum opificem ac dominum, non possit aliud, ac contueri & contemplari hæc, quæ ostenduntur, & ab eo facta sunt, quæque in dies, ut ille idem instituit, iubetque, fiunt: ut ex operum excellentia, conijciat auctoris, opificisque excellentiam & diuinitatem. Simili quidem modo, quo ipsum animum, quem nec cernere oculis licet, nec tãgere manu, describimus ferè nobis ex operibus, quæ facit hoc corpore, uel per huius corporis motus eum sub hoc facere deprehendimus. At CHRISTVS est quærendus, inquiunt, à quo si digrediare, nusquàm sis inuen turus salutẽ. Quis est tàm amẽs, uel tàm impius, qui hoc audeat negare? Sed quid si quis CHRISTVM quærẽs, intereà etiam contempletur pulcherrima hæc opera DEI, ex quibus cognoscat DEI potentiam, bonitatem, beneficẽtiã, aliasq; uirtutes, & monstrãs etiã ea, quæ in his sint in usum hominũ, cõmunemq; utilitatem, benè mereatur de rep., accusandus is? dãnandus? O` iniustitiam non ferendã: neq; in nos solùm, sed in se ipsos. q etiã quidquid de DEO norũt hîc in terris, norunt ope horum, quæ creata sunt, quæq; ostenduntur sensibus. eorũ enim, in quibus hæc deficiunt, ità ut ne similitudine quidem iuuare ualeant, non possunt ipsi habere aliud ac priuationem cognitionis: esse uidelicet talia, quæ hoc statu, hacque conditione rerum, nullo modo assequi detur. Illud enim uerum est: non potest natura assequi per se ea, que DEVS ipse reuelauit, præcepitque hominibus: ut, mundi principium & finem, mortuorum excitationem, animorum æternitatem, & cætera, quæ fide christiana cõprehendũtur: sed cùm ea non assequitur, non negat, neq; proptereà se alienat à DEO: quî enim neget manus ea, quæ homo, cuius est, facit? aut quî aliena sit filia à patre, quæ ab eo digredi nec uult, nec potest? sed ostendit suam humilitatem & stupiditatem, propter quas ad tàm sublimia, tamque secreta per se per uenire non possit. Non est autem neque eam ob caussam accusanda, atque damnanda: sed auditis suis rationibus, conandum attollere altiùs, quàm ipsa per se possit: si id fieri nequeat, commonefacienda conditionis suæ, & relinquenda loco, quo est: intereaque alio modo ad sublimia contendendum, & diuina tenere conandum, quantùm in hac uita, & hoc loco datur. Sed accusatores nostri ferè in omnibus caussis ferunt æquo animo natu-

naturam uti suis rationibus, præter quàm in caussa animæ: non possunt pati, philosophum dicere, naturali ratione non posse probari animæ immortalitatem. Sed ò impietatem, pietatis prætextu uelatam. Si naturali ratione probari ea potest, cur fide iubemur sic tenere? cur est in symbolo Apostolorum, *CREDO VITAM AETERNAM*? Tollatur de symbolo ea pars: quid enim facit, si quod dicitur, patet naturali ratione? Matthia Apostole, tu stultus es, uel falsus, horum iudicio, qui humana pro diuinis præcipias nobis: stulti quoque, aut falsi cęteri, consortes tui, nunc cælestes diui ut tu, qui idem senserunt. Ad tales salebras, *REX* optime, taliaque absurda adigit homines ignorantia coniuncta cum arrogantia. Non sic uir solidè pius, atque cordatus: sed omnia circumspiciens, & recta ratione cognoscens, animo æquo & alto sic statuet: Christiano homini minimè esse dubitandum de immortalitate, sed firmissimè eam tenendam: quæ quidem si non esset, ne uiuendum quidem homini esset: quo autem modo, & qua facultate eam nacturi simus, permittendum *DEO* immortali: humanis enim rationibus assequi nemo potest. Quod enim dici solet, etiã nonnullos philosophorum posuisse animæ immortalitatem, id nullum est: nullis enim rationibus probare illi attentarunt, quæ non refutentur nullo negocio: & id quidem asserentes non egerũt philosophum naturalem: nec uerò ipsi per se, duce hac sensibili ratione, primò animaduerterunt: sed sine dubio primùm à theologis Hebræis ad philosophos cuiusuis gentis, qui id enunciasse ferantur, profecta ea uox est. Necesse autem est statuere, uti dixi: & in naturalibus agendum naturaliter: & in caussa æternitatis animæ, ut in cæteris, quæ sunt fidei, conseruanda fidei prærogatiua, quod uel in primis faciendum est christiano. Atque hoc potiùs facere debebant etiam isti accusatores philosophiæ, quàm pietatis prętextu tàm iniuriosè tám que impiè agere. Sed de accusatione naturæ, studijúe eius, satis sunt à *DEO* ipso refutati, & castigati, qui ipse illã creauit, & de inde in symbolum sui erga naturam amoris, & coniunctionis, uoluit filium suum naturam nostram assumere, adiungereque sibi. Nos autem, *REX* humanissime, istorum reprehensiones nihil curãtes, gaudebimus in sinu, æquo animo, contenti rectè

factorum, rectorumque sensuum conscientia, ipsorum uoculis ab instituto non auocabimur. Quare philosophemur, & prosequamur tùm aliàs alias præclara, tùm nunc susceptum opus, subdamusque, quæ polliciti sumus. Superiore enim libro excussæ & confutatæ sunt sententiæ probatiorum ueterum de natura hominis: reliquum est nunc, ego quid sentiam de ea re, dicam. Sed id dum paro, exterret me (ingenuè fateor) exemplum multorum, qui hac ætate dissidium fecerunt à ueteribus: qui quidem dum eos impugnarent, eorumque rationes refellerēt, uisi sunt nō admodùm turpiter dare se, sed afferre ratiōes ferè recipiendas: ubi autem ipsi præcipere, & sua tradere inceperunt, *DEVM* immortalē: quàm impares, quàm inferiores se ostenderunt: ne quidem discipulis eorum, quos confutarāt, fuerunt conferendi. Sed non propterea ego cessabo, nec denegabo amicis, uiris magni, candidique iudicij, qui sæpè me ad eam prouinciam sunt adhortati. Eoque aggrediar alacriùs, quòd (deos, hominesque cōtestor) nulla cupidine nouæ gloriæ noua molior, sed ut simpliciter proferā, tradamq;, quæ magno labore inuenisse uideor. Quamquàm ne noua quidem prorsus ea sunt: nam uerò pauca comperientur meorum dictorum, quæ ueterum aliquis quoquo modo nōn uiderit, atq. retulerit: licet uel dubitanter diceret, uel rursus aliquando peruerteret, uel etiam deinde ea subderet, quæ non aptè quadrarent positis: quod erat signum, non explorata satis ratiōe protulisse ea, quæ protulerat. mihi autem id erit multum ad fugiendā nouitatis inuidiam. Fretus autem simplicitate animi mei, spero, tibi & alijs, uel quibus librum hunc communicare tibi uidebitur, uel qui eum, tamquàm tabulam ad templa deorum appensam, dicatamque spectarint, atque legerint, si me non laudatum, saltem meum simplicem conatum aliqua ex parte commendatum iri. Vnum quidem esset, quod posset mihi impedire tractationem: quippè, quia præmisisse oporteret aliqua principia, unde tota ea duceretur, quæ promere non licet hoc argumento: sed dabo operam, rem instituam, tractemque ijs rationibus, itáque compositis, quæ uel nulla probatione egeant, ut quæ pateant sensibus; uel tali, quam gnauum ingenium per se nullo negocio assequi ualeat. Iamque ipsam rem aggredi tempus est.

Corpus humanum constare ex pluribus substantijs inter se dissimilibus. CAP. I.



Vi naturam corporum rectè, & sine errore cognoscere student, ij adhibere, & seruare solent talem regulam: nempè, ut simplicia considerent simpliciter, composita autem disgregent, cernantque seorsum simplicia: putant enim non rectè esse, iudicare de composito, sicut de simplici: & animaduerterunt, compositionē uehementer posse fallere nostros sensus. Eos nos, ut ueros, rectosque, sectabimur: & cognituri corpus humanum, rem mirum jn modum compositam ex dissimilibus inter se, conabimur priùs disgregare eius dissimilitudinem, ac deinde sic discretam intueri. Non est enim disgregatio corruptio unius alicuius, ut existimarūt quidā etiā hac ætate: sed planè secretio eorum, quæ, cùm singula apud se simplici, inter se uerò omnia dissimili natura essent, confusa tamen simul, consertaque erant, ità ut nobis unum quiddam aliud simul referre, simplexque possent. Non deficit hoc tempore aliquatenùs idoneus modus segregandi, cùm uolumus sumere laborem: at si ille non omninò sufficiet, usui fuerint rationes, quàs ego quoque notaui alio quodam libro, nec nunc hîc adscribere oportet. Res enim breuiter sic habet: Sūt in hoc corpore partes magnopere crassæ, adhuc terrestres, quę obsistant, si tangas: sunt non ità crassæ, sed humidæ, & liquidæ, quæ grauiter inuadenti facilè cedant. sunt aliæ uapidæ, tenuiores liquidis, quæ etiam faciliùs cedere possint. deprehenduntur etiam adhuc uapidis tenuiores, quas dicemus habitus. (sic distinguere, & appellare commodum fuerit species substantiæ se à crassitie ad magnam tenuitatem consequentes.) Species autem eæ, sic comprehensim notatæ, non sunt singulæ in uno quasi gradu, ità ut omnes partes crassæ sint æquè coactæ, & solidæ; & sic liquidæ, & cæteræ: sed singulæ species multorum sunt ordinum, multorumque graduum: (ob exactiorem distinctionem faciemus ordines quosdam specierum, ac deinde etiā ordinem diuidemus in gradus:) & crassarū sunt magis & minùs crassæ, usque dum sint, quæ liquori uide-

antur finitimæ: & liquidarum deinde minùs ac magis tenues, usque ad consistentiam uapidam: & sic deinde uapidæ & halituosæ, minoris, ac maioris tenuitatis ratione differentes. Fuerit quoque in corpore humano (dicendum est enim etiam nunc) spiritus, substantia nobis supra omnem halitum ponenda subtilis, atque leuis: ut par est esse sub compositionem crassiorum & tenuiorum, in qua diutiùs ualentior calor laboret, actionis: cuius finis ultimus semper uidetur esse res magnopere tenuis, hoc est ipse spiritus. Sic consistentia, & nomine etiam iam, differentes res palàm in compositione corporis nostri deprehenduntur. Vnde autem sit tanta dissimilitudo, quærere nunc, uidebitur extra argumentum: sed si quæratur tamen, dicam breuiter. Est, quia suprema terræ, unde animantum materia desumitur, multò adhuc maiore constant dissimilitudine. nec quia quatuor prima elementa, ut putarunt multi, misceantur: sed quia hîc in medijs spatijs pugnant naturæ agẽtes, uario Marte, uarioque successu: dumque illas uariè, ac diuersè affici, mutaríque contingit, fit, ut materia quoque, quam illæ occupant, uarios, diuersósque contrahat habitus: ut aliàs, loco commodiore, exponetur.

Cuius naturæ sint substantiæ, ex quibus constat corpus hominis. CAP. II.



SIngulæ autem substantiæ species, singuliq; ordines, atq; gradus, ut consistẽtia differentes sunt; sic etiam alijs qualitatibus differentes erunt: fert enim discreta & syncera ratio rerum, ut quæ uno differunt, alijs etiam differant, uidelicet, quæ propriè inhæreant, non quæ (ut sæpè accidit fieri in his medijs) ut externa adsint, aut adesse uideantur. Atqui si accidentibus differunt, ui etiam naturæ differant necesse est: id enim est perpetuum in rebus: nempè, ut iuxta rei naturam, sint cætera omnia, quæ sunt in re: itaque si alia illa erunt, rectè arguere licebit, aliam esse rei naturam. Cuius uerò naturæ sint substantiæ, quæ componunt corpus nostrum, hoc est, à qua incorporea ui sint tales, nullo negocio nos inueniemus. Non enim dubitamus, neque est omninò dubitandũ,

medía

media omnia referenda esse ad prima, & ei primo subijcienda singula, cuius adhuc, utcumque mutatas, uidētur retinere conditiones: & ad eius naturam referendam esse singulorum naturam, qualiscumque iam sit tandem. Nunc igitur, cùm est animaduersum, duo tantùm esse prima corpora, alterum terram, alterum hoc tenue, quod per sublimem fertur locum, siue ætheris, siue alius rei nomine uelimus appellare: quæ uidebuntur accedere ad terram, eius naturam retinere statuendum: quæ ad æthere, ætheris naturā. Terra igitur est iners, crassa, opaca, & frigida: quæ igitur grauia sunt, & crassa, lumen neque reddentia, neque transmittentia, frigida quoque natura erunt: & quæ magis grauia, crassa, opaca, ea magis frigida. Aether mobilis, tenuis, qua lucidus, qua pellucidus, & natura calidus: quæ igitur mobilia, tenuia, pellucida, aut luminis aliquid participantia, calida quoque natura erunt: & quæ magis mobilia, tenuia, pellucida, participiáue luminis, ea magis calida. Vt quid consistat ità in medio, ut ne ad alterutrum referri possit, est impossibile: tamen si quod nobis dubitationem afferet, inspicienda perspicuitas, aut (quod puto certius) experienda leuitas, aut utræque: eæ enim poterunt nos ducere ad naturæ rei inuentionem. Sapor super omnia potest prodere naturam rei, si liceat experiri, & gustatus syncerus haberi queat, & simus boni cognoscendi ex sapore iudices. Fit enim in natura hoc modo: Prima corpora, dū alterum ab alterius ui mutatur, & in oppositum agitur, retinēt tamen longùm suam naturam utcumque mutatam, & à se ipsa aliam factam, usque ad extinctionem eius, & simul omnes suas conditiones: indè alienæ qualitates incipiunt apparere in materia, sed infimæ primò: tum per medias species accrescere uidentur, usque dum ex opposito rursus ad summum euaserint. itaque quod ad alterum iam accedere, idque quoquo modo attingere uidetur, ei, ad quod accedit, sine dubitatione attribuendum. Nec dubitare oportet, quia aliquandò contrà appareat, & crassa quædam sentiantur calida, & tenuia frigida: nam (ut dicebamus superiore libro) uel composita erunt dissimilia, uel modò ingressa incorporea uis aliena aderit: uerè autem res habuerit, uti exposui, & ità comperietur, si aliena secesserint. Antiquiorum multi media hæc mutatione quidem primorum, sed

magis mistione & præsentia contrariorum, decreuerunt exsiste re: nos autem, quibus eo modo mistio nulla est, dicimus, media esse, quia prima, usque simpliciter secum habentia, descenderunt à summo ui deiecta contrarij, & minora, & alia omninò à se ipsis reddita. Ex talibus, & eius naturæ substantijs, compositum, constitumque est nostrum corpus. Qua quidem ratione statuenti tibi non erit uerendum, ne uel Empedoclis cõcors conuentus elementorum, alioqui immutabilium, sed in minutissima redactorum, ut refert Aristoteles, uel Epicuri atomorũ concursus, aut Anaxagoræ homœomeria, aliæúe eiusmodi ineptiæ obijciãtur: ratione enim rectè, & discretè quæsita arguente, approbanteq; sensu, palàm sic esse demonstratur.

Quia substantiæ natura inter se dissimiles semper inter se pugnarint, seq; inuicem turbarint, oportere, in corpore humano una aliqua superet, quæ premat, & corrigat alias.

CAP. III.



Orrò ulteriùs sic procedemus: Quæ inter se dissimili natura sunt, naturaliter quidem, contraria inter se sunt, uiribusque prædita, quibus se inter se infringere, & perdere omninò ualeant: & si committantur, dum sint, ferant uires contrà, oppugnentque se inter se, ut dixi etiam altero libro. Cùm igitur compositio corporis nostri sit ex tot, & tàm dissimilibus inter se: certè, quantum in ijs est, semper pugnabitur, & semper erit labor. Non enim tantùm materia ea sunt, sed singula substantiæ compositæ, constantes natura, quæ agere possit. Tum impossibile est, ut quæ dissimili, imparíue etiam inter se natura sint, similiter, paritérue operentur: (intelligo nunc operari, mouere se, aliáue simul, loco, aut manere) nam eius rei quoque studium, & facultas est à natura, secũdum eius speciem, atque gradum: estque immota lex, singula pro genere, proque gradu operentur, nec aliter, magísue, aut minùs, nisi impediantur. Quando igitur usque adeò dissimilia, impariaque sunt in hoc corpore, dissimilium, impariumque studiorum: quantum quidem sit in ijs, numquàm fiat unum aliquid

rectum,

rectum, uel certum: immota enim detinere conabuntur mobilia, & hæc illa agere, rapere: impariter mobilia se inter se conturbarint, dum aliud alio agmine, & alia forsan uia conabitur mouere. Quis erit modus comprimendæ pugnæ, & corrigẽdarum turbarum? Quoquò me uertam, is uidetur esse, nec prætereà alius: uidelicet, ut una aliqua substantia longè superet alias, & uiribus suis illas frangat, & quamuis reluctantes, trahat secum tamen, si mobilis sit ipsa. Nulla enim ratio fert aliter, nec ipsa natura aliter ferre potest. Ac una inquam superet, non duæ, uel tres: nihil enim minùs pugna & turbæ inter duas dissimiles fuerint, quàm inter plures, si utraque in alteram uires potenter, efficaciterque miserit. Ad eam igitur, quæ superat, inueniendam accingamur.

Qualis sit substantia, quæ superat & dominatur in corpore nostro. CAP. IIII.


Sed in tanta dissimilium compositorum turba uix puto eam secretò deprehendere licere: & forsan ipsa per se fuerit talis, quæ facilè aciem oculorum, tactumque manuum, ut est cum compositis, ualeat effugere. Quare artificiosa uia insistendum, si ad eam cupimus peruenire. Breuis quidem, & expedita uia esset, indice eius incorporea ui, hoc est calore: eius enim esse calorem hunc nostrum, quem (rectè quidem) uocant animalem, non est dubitandum, quando ea abeunte, perit omnis hic calor. Cumque sit compertum, calorem maiorem, uerè non cõsistere propriè, nisi in subiecto maiorem in modum tenui: iure statuere uideremur, quæsitam substantiam esse calidam, tenuem, mobilem: leue enim etiam mobile. Placet autem magis, insistere alia uia forsan magis idonea, quæ talis est: Vbi in composito superat unum aliquid, consequens est, ut operatio, quæ fit in composito, uel omnis, uel certè ferè omnis, fiat iuxta ingenium superãtis: sic quidem res fert, & ueteres etiam ipsi monuerunt. Nunc igitur motus, qui multis partibus corporis uidetur esse perpetuus, & comportatio materiæ huc & illuc per corpus omne, etiam perpetua, & is etiam motus, qui dicitur uoluntarius, cu-

ius exercendi uiuo homine perpetuò facultas est, oportet sint substantiæ superantis: si enim ea perpetuò superat, perpetuò etiam ex eius ingenio erit operatio. Grauia uerò hæc, quæ sunt in corpore nostro, palàm immobilia sunt per se: mouentur enim subinde manifestè facta ui, nec semper: quod est indicium, ab alio, & cum labore moueri: & sub mortem remanent penitus inertia. Natura uerò sic habet: quippè, ut substantia numquàm facultate ex ingenio operandi deficiatur, dum sit ultimùm, nec etiam umquàm cesset ab operando, prout opus suæ conseruationis requirat. Substantia igitur superans erit auctor motus. Atqui si id est, ut est; iam tenemus eam: nihil enim æquè indicat, & manifestat latentes substantias, quàm operatio. Scio autem, motum contrarium esse immobilitati: dictatque ratio, quemadmodum motus est immobilitati contrarius, sic mobilem substantiam ab omnibus nominibus contrariam esse ei, quæ immota est. Agemus igitur hoc modo: considerantes conditiones huius crassi, quod est immotum, subinde transeuntes per collationem ad contraria, ex aduerso ponemus substantiæ propè perspectæ conditiones. Hoc graue est, ergò illa leuis erit: hoc non æquè quidem, sed crassum omninò omne: igitur illa tenuis. hoc opacum, lumen neque reddens, neque transmittens: illa igitur lucida, uel omninò pellucida. hoc immobile, loco per se immotum, semper sic mansurum, dum erit tale: illa igitur mobilis, per se semper mota, sicut naturà per se à sua propria operatione cessare nequeunt substantiæ. hoc natura frigidum per se, ut apparet saltem sub mortem: illa igitur per se natura calida. Mobilem etiam eam à se esse, quando hoc est immotum, prædictum est: & iam motum eius sequimur, tamquàm ducem ad eam. Sic breuiter erit substantia, quæ superat in compositione corporis humani. Si quæris simile, contemplare hoc purum, leue, & tenue, quod occupat sublimem locum, quod à ueteribus siue ab ardendo, ob calidam sui naturam, siue à perpetuo cursu, est æther uocatum: huic enim non modò assimilasse, sed tamquàm suæ uniuersitati retulisse iure uidebere iam comprehensam substantiam: sicut contrariarum conditionum corpus terræ, uel terræ finitimum. Spiritum non incommodè uocaris, usitato iam nomine. Nam spiritus mihi,

&cor-

& corporea omninò substantia, ea, quā quçrebamus, uisa est, & incorporea esse non posse, quia horum crassamētorum natura omninò non est ea, quæ est effectrix motus: itaque si illa in his sit, ut aliena omninò sit, & per accidens, ut loquuntur: sic enim sunt naturæ, ubi sunt ea cōditione. sed quę ut alienæ sunt naturæ in corporibus, (quantùm ostendūt eæ, quæ se mihi referunt cognoscendas,) durare in ijs non possunt, nisi alia consimilis foris usq; submittatur. Tum naturæ incorporeæ materiam alienam, cùm possunt tollere, unico modo uidentur mouere, nec alio: scilicet, rapere ad principium, unde ipsæ promanant: sicq; calor cœlestis sursum euchit, fornacis rapit ad fornacem interea, dum sursum properat ad calidorū primùm, quare ea uia etiam attollit. catulus saltitans aliquando in os tormenti bellici feruentis ui caloris absorptus est. At in corpore nostro & in alias partes mouetur, comportaturque materia: & sanè spectabile est, qua moderatione, qua arte, tàm multis, uarijsq; modis ea ducitur, fingiturque. Id cùm non sit moris naturæ incorporeæ, corporeæ erit. Si fortè nunc quæras, unde sit talis substantia in hoc corpore, aut unde aduenerit; dicam. Est, quia sub hoc ipso corpore producta est, & ab hoc ipso conclusa atq; coërcita ità, ut ne elabi posset. Quòd si adhuc iubeas exponi modum, quo illud fuerit factum, dicam etiam breuiter, aliquid tamen paullò altiùs repetendo.

Quo modo fuerit factum, ut spiritus esset in hoc corpore. CAP. V.


rtus nostri primordia ex semine sunt. Semen autem non est unum simplex, sed compositum etiam ipsum ex omnibus generibus substantiarum, excepto spiritu. Sunt autem copiosiores in eo duæ species substantiæ: una ea, quam dixi halitum, res, quæ quidē non est spiritus, sed propinqua spiritui: altera crassitudines. Quæ quidem crassitudines tùm multæ sunt, tùm ferè ità cōminutæ & leuigatæ, ut facilè sequi composita queant, si illa cōfertim conentur ire. præterea multis partibus amplexatæ inter se & coagmentatæ, ut semper consimilia amplectuntur se inter se. Ea autem tali

massa comprehensa loco, ubi procreamur, consequitur in tempore non ualdè longo, ut de substantia, quæ in ea massa proxima spiritui est; spiritus planè enascatur, similis (ut dicam breuiter) spiritui parentum. Factus autem spiritus profectò statim elaberetur; nam nullum naturà est libens cum dissimilibus, quæ eadem cuncta sunt contraria: sed non unum obijcitur obstaculum. Per id enim tēporis locus, in quo fit generatio, quasi studente natura parentis, atque conante retinere fugitiuum, ità clausus undique, & ità constrictus est, ut meritò res mira uideri soleat. Crassitudines autem ipsæ, inter quas spiritus exortus est, coagmentatæ multis paribus, uti dixi, nolūt omninò disijci atque disrumpi: itaque quantum etiam in ipsis est, non facilè per medium sui exitum dare paratæ sunt. Non enim in superficie earum producitur spiritus, sed penitùs sub illas, sicut sub illas quoque per omnia habebatur halitus. Sed ipse etiam spiritus, ut factus est, ipse quoque sibi exitum usque arctiorem, difficilioremque reddit. Nam (quæ est cupido, & studium inexplebile omnium naturarum) dum sese multiplicat, & sui copiā adauget, agens etiam uehementiore ui, quàm per ipsius exortum in semine agebatur; consumitque in eam rem non halitus modò consequentes, sed uapores, atque liquida: crassitudines priuatæ liquentibus, quorum interuentu magis laxæ, magisque apertæ tenebantur, cogunt, constringuntque sese: sicut uidemus fieri in aperto, ubi liquida de medio crassiorum, quibus composita erānt, exhauriuntur. inde uerò posteà difficilius adhuc spiritui fit exeundi negocium. Et quia ille numquàm cessat, sed usque etiam etiamque idem agit: eo modo usq; magis magisque angustum exitum sibi fecerit. Verùm enimuerò eo quidem loci numquàm penitùs deficere humores poterunt: & prętereà habitus ipse crassitudinum non est talis, qui facilè obrigescere possit: quam ob rem licet eæ usque magis magisque coarctentur, tamē longùm ductiles, atque sequaces erunt. Eam autem ob caussam fiet, ut si quà tamen conclusus spiritus impetum facere uelit, atque illæ sequantur, nec dimittant. Primò quidem ille fit paucus: & deinde augetur quidem usque, sed paullatim: ut de materia per gradus, perq; ordines consequente. Coërcentia uerò crassamenta præter quàm quòd quanta sunt,

cum

cùm etiam aliquatenùs auctum facilè ſequi poſſunt: ipſæ quoque auctu creſcunt: namque ibi non ſpiritus tantùm, ſed omnia, quæ ad conſtitutionem talis animalis pertinent, adaugentur. Erit igitur uſque craſſamentorum tantum, quod ſpiritum capere commodè poſſit. Numquàm autem ille ſubitò adaugetur ea copia, qua diſpellere obſtantia ualeat: ſicut cùm nimiùm turgentibus contentis diſrumpuntur continentia. Iis uerò modis undique ui facta, & undique prohibita uia, eſſe cogitur ſub hoc graue & craſſum ſpiritus, ſubſtantia tenuis & leuis, digna alio conſortio. Eaque cauſſa deinde eſt, ut fiat à ſpiritu hæc talis corporis conformatio, quam ego quoque aliàs pro uirili perſequar, tunc, cùm, *DEO* dante & adiuuante, animantium conformationem ſcribere aggrediar: & fortè in conſequentibus, ſi res ità ferat, quaſi præteriens oſtendam aliqua rudimenta.

Vnum primò oriri, & poſteà non poſſe fieri plures, qui omnes agant & moueant. CAP. VI.


Nus autem fit primò ſpiritus, par totus, ſui ſimilis ab omnibus partibus: & deinde non poteſt fieri, ut efficiantur plures diſſimiles, qui ipſi quoque agant & operentur. Vna enim natura, omninò uniformis, initio capit, pertenditque motum: ac neceſſariò una, ſi generatio conſequi debet. cauſſa ſuperiùs eſt reddita. Et, ſi uniformis natura mouet; certè unam, ſimplicē propriè ſubſtantiā effecerit: ſimplici enim naturæ in mouendo unus ultimus propoſitus finis. Deinde uerò, ut ſpiritus exortus eſt, eius quoque unius præualebit & ſuperabit tota cōpoſitione actio & operatio. Quî igitur ille poſſit propriè facere alios ſibi diſſimiles? Naturâ ſimile prorſus ſimile facit: diſſimile numquàm propriè. Quòd ſi ab aliquo fortè dicatur, fieri id tamen per accidēs: nam calor ſpiritalis dum omnia agere in ſpiritum conatur, & agit omninò, talem, qualis is, unde eſt ipſe, per media agat oportet; & ſi per media, ergò per ſpiritus, qui ſunt inferiores humano: ego quidem non negabo id; ualet enim ratio: ſed dicam: etiam ſi fiant inferiorum ordinum in corpore noſtro ſpiritus, quicumq; ſint, & quocumque fiant modo: tamen (dum benè res cedat) neque

licentiæ quidquã habere eos in hac compositione: nihil agere, nihil mouere, nihil posse, sortemque eorum esse, ut omnes excipiant actionem alius superantis, & ab eo patiantur, ineluctabiliter mutentur, & consumantur. Vnus enim (ut toties iam dico) oportet agat & operetur spiritus, unaq; natura, uniformis, eadem per omnia. Si alius spiritus dissimilis, aliaq; natura agat, laboret illa, quæ nunc agit, & pereat, & subinde uideantur fieri longè alij motus, quàm nunc uidentur. Itaque quæcumq; aliæ spiritales substãtiæ fuerint in cõpositione hac, iam ferè materia tantùm erunt spiritus omnia sibi subijcientis. Quam obrem, etiam si aliqua tamen actio, aut operatio animalis, in ijs appareat, non erit uerè ipsarum, sed ipsius superantis; qui calorem suum mittens in omnia, eo complebit etiam illas, eò faciliùs, quò alioqui per se calidiores fuerint; & eo deinde non in ijs modò, sed de ijs egerit: quique omnia secum agens & mouens, egerit quoque illas, eoque faciliùs, quò leuiores fuerint: & ijs etiam motis, si fuerit usus, è re sua utetur. Ea cùm ità habeant, qui nunc de natura hominis tractauerit, non modò commodè ad tractionem, sed opinor iure etiam aliquo fecerit, si extra spiritum, qui potitur rerum, & qui princeps, & propriè unica natura hominis est, cæteras substantias spiritales, quæ fortè hîc cõpositæ sint, cõiecerit in ordines halituum, neque ullam earum, ut spirituum, habebit rationem, quando à se nihil quidquam spiritale faciunt. Hominis enim spiritum unum agnouerit, & unum ponet, nulla in parte sui dissimilem. Nobis, qui rem tenemus, & iam rectam rationẽ agnoscimus, dubium esse ampliùs illud non potest: sed propter multos, qui hoc tempore non minùs, quàm olim alij, irrequietè ambigunt ea de re, & numquàm finem faciunt sermocinandi; placeat rogo parumper attendere demonstrationem, quæ id, quod affirmo, cuicumque, quàm uis peruicaci, persuadere possit. Non enim à falsis imaginibus, inaniter, monstroséue confictis, petita est; sed ab ipsa re, ipsaque ueritate, quam certissima ratio declaret.

Demon-

Demonstratio, qua ostenditur, spiritum esse unum, sibi totum consimilem. CAP. VII.


REceptum est, (namque ità apertè habet ueritas) ut quod naturà nutritur, hoc est reparatur, & quasi supplementum accipit, re prorsus simili facta reparetur, si quidem rectè nutriri debeat. Quam ob rem, si nunc nos ostendemus, id, quo in corpore proximè supplentur copiæ spiritales omnes, nimirùm spiritum, esse ab cunctis partibus sibi similem, iure, quod intendimus, confecisse uideri debebimus. Arteriæ igitur quæ dicuntur in corpore nostro, uasa sunt sic parata, ut ex duabus constent tunicis, quarum una est quintupla tunicæ uenarum: & sic sunt textæ, uillis ità densatis, ut nihil densius uideatur texi posse: & (quantùm est animaduertere) non inæqualiter densè sunt textæ, sed æquè omnes. Eaque argumenta planè indicant, ex illis non dari exitum alij substantiæ, præter quàm admodùm tenui: & ex omnibus æquè tenui. Laboratur autem sub ijs materia propè tota leuis & tenuis; flos sanguinis tenuissimus: quæ (ut ratione duce assequimur) in breui tota in rem spiritalem agi queat. Calor uerò, qui sub eas coquit, æquè magnus gradu esse per omnes facilè cognoscitur: copia quidem, pro copia materiæ, quæ subest. Mouentur autem illæ omnes ferè uno eodemque tempore, à corde ad extremas usque: pari certè tempore omnes. tùm eadem celeritate, eodem agmine, numero motus. Quis iam etiam à se non colligat, unam, totam sui similem, ijs fieri & deinde emitti substantiam? Quî enim non fiat, ubi conueniant omnia? materia, agens, instrumentum, motus, tempus, & (si is quoque aliquid ad rei constitutionem facit) locus? Ea uerò, quæ fit, substantia, uel omnibus consentiētibus, spiritus est. quo iam si suppleatur toto corpore uniuersus spiritus, nihil ea de re ambigendum sit ampliùs. Attende autem, rogo te, ut suppleatur. Rami aliquot arteriarum deueniunt sub cerebrum, in cellas quasdam satis amplas, in quibus caput est spiritus: ij igitur continēter reparant caput spiritus: qui inde posteà quasi extendendo artus, procedens per nerueos quosdam ductus, complet partes

omnes,in quibus manifestus deprehendatur sensus. Paruos autem & graciles uidebis eos ramos, nec mirabere: nam cellæ illæ,& ductus neruei de materia benè crassa,ac benè coacta,compactaque sunt: ut non ità in breui inde ire contentus spiritus queat. Reliqui rami & trunci, plurimi, & longè maximi,extenduntur in omnem corporis molem,per omnes partes. Multitudine igitur spiritus, qui ijs redditur, complentur cætera corporis omnia,quæ tanta sunt; & massa ipsa sanguinis,(ut accipiunt & dicunt comprehensim) ex qua, ut materia, corporis omnia ponuntur. Ex successione autem perpetua huius spiritus in omnes partes, duci argumentum potest, alium nullum esse in ullis spiritum,ob caussam, quæ à me suprà ea contentione allata est. Quam ob rem nihil dubitandum,totum sui similem esse, qui nunc cōtinuè fit, spiritum, & quo continuè uniuersus toto corpore suppletur. Si spiritus nunc spiritu ab omnibus partibus eodem,omninò reparatur,ergò ab omnibus partibus sibi consimilis est: & si nunc ab omnibus partibus sibi consimilis est,ergò à primo totus sibi similis productus est. Quid hoc argumento cogitari possit apertius? Quod enim aiunt aliqui, per conuolutiones quasdam,quæ aliquibus locis uidentur,arteriarum, longiùs morari in transeundo spiritum: quare si non fiat ibi alius,tamē ità eum parari,ut posteà egressus fieri possit alius; inscientium est dictum,& à nobis priore libro exagitatum. Tantùm enim abest, ut eæ complicationes spiritum longiùs retardent, ut ne quidem materiam eius diutiùs possint retinere, quàm facerent,si in rectum productæ essent. Nam prçter quàm quòd spiritus materia est flos sanguinis, halitus & uapor: mistus etiam est aër,(ut etiam posteà dicam) qui est tàm citus: cuius quidem aëris commistione ea uel momento à corde ad extrema usque uasa per anfractus quosque ualeat peruenire. Accedit insuper dilatatio arteriarum, quæ cum primis instituta materiæ attrahendæ caussa est: quam oportet sequatur materia: & illa tàm celeris est à corde ad extrema usque. Quod etiam dici solet, spiritus egressi de arterijs partem fieri alium, multò magis inscientium dictum est. A` se enim nulla pars assumere aliquid poterit,quod etiam non possint aliæ: ab ijs autem,inter quæ uersatur spiritus,si qua parte uinceretur, ea quidem mutari,&

ri,& fieri alius omninò posset: at ipse uincit omnibus.

Spiritus solius esse hanc uitam: & eius solius operationes omnes, quæ fiunt in uita. CAP. VIII.



I autem spiritus superat unus, ut dicimus, & probamus, & alia composita omnia premit & sibi subijcit, &, quæcumque sint, sibi obsequi cogit: ille unus uiuere in hoc corpore putandus est, & eius esse hæc uita animalis. Est enim uiuere, agitare secundum naturam suam: nulli autem alij substantiæ in compositione huius corporis licet agitare secundum suam naturam: aliæ enim omnes mutantur à sua natura, & franguntur, & pessum dantur. Tum, si eius unius est uita, eius quoque unius erunt operationes omnes uitales; hoc est, quæ rectè fieri uidentur in homine, aut ab homine, suppetente uita. Quod enim uincit inter dissimilia & contraria, indeque agitat unum ex ingenio; id quoque unum mouere & operari, ut fert natura, & ut est impetus, consentaneum est. Operationum autem, quas ædit spiritus, primæ offerunt se motus, & sensus: quas quidem facultates unde ille habeat, exponendum nobis sine cunctatione, si ea, quæ diximus, probari uelimus.

Vnde spiritus habeat motum. CAP. IX.



Otus quidem spiritus non est unius generis: sed est per locum, & est alius, quem uocant alterationis: qui quidem affectionis est, & semper aliqua affectio; sed ex quadam actione fit à spiritu in se, ut declarabitur inferiùs. Eum ædit, cùm qualitates rerum uidemur percipere. Facultatem autem mouendi per locum habet, quia naturam habet, quæ una propriè motus localis est auctor, & statum in loco pati nullo modo potest: nempè calorem. Calor est ea natura, quæ gaudet agitatione per locum: proptereaque semper materiam coactam & crassam expandere & tenuare conatur: uidelicet, ut eam subiectam habeat leuem, facilemque ad gerendum secum per locum. Aedendi autem affectionis motum facul-

facultatem habet, quia sentit: & quæ sentiunt, ubi sentiunt, ità se cieant necesse est, ut demonstrabitur in consequentibus. Quòd si uelis ponere inter motus spiritus actionem, qua eius natura mutat dissimilia: id quidem potest, quia calore præditus est: quem extendens in alia, quoque superans, flammæ more, frangere ea, mutareque potest.

Vnde habet sensum. CAP. X.



Vnde autem sensum habeat spiritus, qua de re tàm anxiè ueterum multi laborarunt, nos ne minimùm quidem in quærendo laborabimus: caussam enim habemus non modò promptam facilemque, sed necessariam: Quippè, quia omne, quod natura constat, uim sentiendi habet, & sine ea esse non potest. Mirabere, optime *REX*, nouitatem pronunciati: sed attende, rogo, quàm euidenter id ostendatur. Omne simile petit simile, & fugit dissimilia: neque id caussa loci facit, ut uisum est Aristoteli: nam non substantia est propter locum, sed locus propter substantiam: neque à loco, sed in loco quæritur bonum. Tum, omne simile amplectitur simile, & cũ eo amicè est: in dissimile agit & pugnat, & ad illud inualescens colligit sese, & unit suas uires. Cur id? scilicet, quia omne naturam habens sensum habet eorum, quæ tangunt: & quæ bonũ dare uidentur, & fouere, & robur suo robori addere, amica statuit, & uult ea, & sequitur & cum ijs esse uult, sic sperans uitam perenniorem, uel dulciorem: cõtrà, quæ malum dare, & alterare, & frangere; inimica statuit, noxiaque, proptereaq. facit omnia, ut ne eorum sentiat contactum. Non est enim sensus tantùm dignotio alterationis, ut quidam docuerunt, qui quidem unam modò speciem finiuerunt sensus: sed etiam eius affectus (non inuenio aliud uerbum, quo exprimam rem) qui à similibus & cognatis attingentibus datur: qui quidem non est alterationis, & motus de statu, sed dulcissimi, & (ut sic dicam) uitalis motus ad uim amicam blandissimè quasi afflantem & uegetantem. Vt sic forsan commodè definiatur: Sensus est digno t o sui ipsius affectus; cõprehendẽdo uoce affectus id, quod dixi modò. Nefas sit enim similium sensum negare naturæ: quo enim

nim modo ea sectetur, nisi sentiat? aut uerò quî conseruetur? Semper enim uel cum similibus, uel cum dissimilibus uersari oportet: ab his cauendum, cum ijs manendum: quî id faciat, nisi noscat non modò ubi sint, sed quæ sint? Id certè per solam tactus qualitatem haberi potest: sed quid prosit tangere, nisi dignoscat qualitatem tactus? Dignoscit igitur, ac necessariò, & hæc & illa, & utraque positionis ratione: si enim altera generis opposita sentit, altera etiam sentit; semper enim erit sentiens: atque inde altera refugit, altera sequitur: quo studio maximè conseruatur mundus. Omnia igitur, quæ constant natura, uim sentiendi habēt: spiritus est substātia naturalis, natura cōstans: ergò uim sentiendi habeat necesse est. Quòd si in primis uera, atque adeò necessaria ratione non satisfacio, quando plurima uideantur esse, quæ dissecta, ad necem acta, extrema patientia nullum dent indicium sui sensus: & multa consimilia disiuncta & dispersa manere, & quasi negligere se inter se: cogor pluribus uerbis reddere caussas eorum factorum, & posteà euidentioribus argumentis ueritatem illustrare. Ac principio aio, sensum non esse materiæ, sed naturę incorporæ, quæ est in materia: materia penitùs bruta est. Impossibile autem est, offerri nobis sensum naturarum, nisi earum ad nos perueniat motus, & sic affectus earū aliquo modo participes fiamus: motus enim est nobis alieni sensus index; & ferè cum sensu cōiunctus est. Natura autem sine dubio ad omnia tangentia commouetur, quamuis alio atque alio modo. Dupliciter autem eam agitare accidit: nempè, uel nudam, per accidens adhuc extensam per aliena corpora; uel cum materia iam supposita sibi, & eam quasi indutā. (per te hæc meliùs intelliges: ego enim ut declarata & supposita iam, assumere opus habeo.) Nudę motus erit secretior; quippè quia facilè latent sensus nostros motus incorporeorum: indutæ in multis est manifestus, & cum sensu habitus: in multis manifestus, & quidem cum sensu, sed non habetur; in multis autem est tàm exiguus, ut nobis non referatur, proindeq; cum eo etiam lateat sensus. Nos enim ferè nihil sentire putamus, nisi clamet ad tactum, nisi membra quatiat. Iniusti, qui præ nobis uelimus de omni statuere natura, & in omni exposcamus similes nostris motus, si eas facultates, quas ipsi habemus, illi ueli-

mus attribuere, etiam si non habeat instrumenta, quæ nos, aliá ue animantia. Quo errore ducti, neque eas substantias, quas aliquando sentire uidimus, nunc sentire existimamus, quia sensuum suorum nihil significant nobis. Sic neque animalium, quæ bruta dixere, spiritus è corpore egressos sentire posse putamus ampliùs: neque si aliquo modo ostendant etiam suum sensum, id putamus esse sentientium, nisi sit uox, qualem exaudire solebamus. Nã aër, qui propè similis est substãtia spiritib. ãimaliũ, de eodem certè genere substantiæ est; compressus uehemẽter, collisusque, gemit, fugiens compressionem, & iam de ea conquerens: quæ quidem querela est sonus: tamen uulgò minimè omnium sic rem esse existimatur. Non sic uir prudens rerũ: sed etiã motũ corporũ, quẽ uel pulsa, uel tracta exsequi uidet, natura eorũ agẽte, exsequi nouit: quippè uel pressionẽ, uel diuisionẽ sui cũ materia, nõ ferente: nisi. n. id esset, ea ubi pelluntur, coacta in sese admitterent quod inuadit, mollia præsertim, neq; latũ unguẽ mouerentur ampliùs: & ubi trahuntur, quantũ eorum apprensum est, tantum auferretur, reliquum remaneret disiunctum: quid enim esset caussæ, cur fieret aliter? Enimuerò non æquè omnia, hoc est pariter promptè, pariterque exquisitè sentiunt: nã neque omnia eandem, parisque uigoris naturam habent. Quæ naturam habent calidissimam, ut celerrimi sunt motus, sic etiam exquisitissimi sensus: quæ minùs calidam, tardioris motus, & hebetioris sensus: sicque per gradus descenditur usque ad ea, quæ minimum habent gradu calorem, & tardissimè mouentur, stupidissimeque sentiunt, ità ut nobis prorsus immota, insensiliaque uideantur. Ac talium natura petita à contraria, licet miserè conficiatur, tamen lentissimè ad cladem suã mouetur, stupidissimeque sentit: & quamquàm fugere quàm procul conetur, tamen sic lentè id agit, sicque breuiter, ut etiam à se ipsa relicta perire uideatur. Et nón ne etiam sunt animalia, quæ ob sui caloris ignauiã stupidè sentiunt? Atque hac ratione infimorum graduum naturæ iure aliquo nobis expertes sensus uideri possunt, dum uerè non sunt: & etiam id probè scientibus, per collationem ad exquisitè, prompteque sentientes, possunt insensiles statui. Quæ à contraria natura tenentur substantiæ, à frigore nimirùm, quod alioqui immobilitatem amat, à

calore

calore correptæ, faciunt quod non faciebant, mouenturq́;, sed quò fugiant motum, raptumque caloris: ac cogunt sese intrò ad centrum uel terræ, uel etiam suum; qui modus unus est ipsarum uel petendi similia, uel fugiendi contraria: sed motus ferè non uidetur, quippè quia tàm compactæ eæ solent esse, ut uix sit spatium, quò se conferant, & per quod suum ostendant motum. deprehenditur tamen in aliquibus motus, & inde sensus uiris prudentibus, ex induratione earum ad calorem: quæ quidem fit, ijs undique intrò cogentibus sese, atque fugientibus, dum suam efficaciter pertendere possunt fugam. Similia autem quædam à similibus consectandis abstinent hisce de caussis: Substantiæ, quæ incommodum, quod nullo modo sustinere possunt, fugere, uel maximum bonum assequi iam properant, si expeditæ iam eunt, profectò similem aliquam paruam, quam fortè sentiant esse in uicino, dimiserint: nam parum ab ea assequi poterunt, & si ire uelint, itinere abducente à proposito fine, uel certè remorante, oportet eant. Quam ob rem neq; flammæ eunt ad flammas: quamuis si fiant contiguæ, libentissimè uniantur. Si autem ea conditione sint substantiæ, ut cogã tur esse sub dissimilib⁹, ac similis fortè etiã impedita adsit: sensu eius habito, iuerint ad eã, si sint mobiles, nec prohibeantur, uel cũ impedimẽtis: cõiunctionẽq; appetiuerint, si ea lęta specie, & blãdo ad se affectu inuitet: nam si sit tristis, obruta & cõtristata à dissimilib. auertãt ab ea se. hocq; ferè fit in animaliũ amoribus. Deinde est hîc in medijs spatijs, ut quod iturum esset, constet ex substantijs magnopere dissimilibus inter se, diuersarum, impariúmue naturarum, studiorum, facultatum. Eo fiet, ut quamquàm una, uel duæ insint, quæ iam irent, detineantur ab alijs, & impediantur, quæ fortè uelint lentiùs, si ituræ sint, hoc est si sit eundum, ubi sint etiam ipsarum similes: nam si non sint, numquàm accedant libenter. Tũ quia sẽper dissimilia in dissimilia agunt, afficiúntque illa; facilè in cõpositis fuerit, ut quæ & ire, & rapere etiã impediẽtes possent substãtiæ, ui dissimilium afflictæ sint, & impetũ iã facere nequeant. Sed ferè est hîc ad terrã, ut in compositis plurimum sit eorum, quæ sunt naturæ grauis, & penitùs alienæ à motu: quæ igitur suum morem sequentes, ui retinere possint quam uis leuem compositam. Grauia enim num

quàm motum capiant, nisi (ut dixi) ut fugiant motum. propterea que in sublimi posita, per se tendunt deorsum: quippè quia manere in sublimi, naturarum est à se mobilium, seque sustinentium per spatia: qualis cùm non sit ipsorum natura, impotentia eius operationis, atque adeò exhorrentia eam, ut alienam, fugiunt deorsum ad grauium cœtum quorumcumq;, ubi suo modo sint, & conquiescant. Tendunt autem ad centrum, primò suum, deinde uniuersi. eaque caussa est, ut semel separata à similibus, deinde, uel contiguis ijs factis, non amplexentur illa ampliùs: scilicet, quia explicare sese, quod amplexando faciant oportet, ire est uersus circumferentiam, quæ res aliena est, & ipsis inuisa. Videntur autem quædam ex grauibus, quę dum dura, inertiaque penitùs sunt, faciunt quod dixi: si autem à calore explicentur, & colliquentur, quibus id accidere potest, libenter amplexentur similia, si contigua fiant, & continuentur ijs, si ea ex altera amplexentur, liquataque sint: poterunt enim iam talia facta: nam omnia liquida iam aliquatenùs mobilia sunt. Non uidentur autem liquida à se, ne erga simillima quidem, capere motum, nisi contigua, uel fortaßè proxima: nimirùm propter grauitatem naturæ: grauiuscula enim adhuc est natura duntaxat liquidorum, atque tardior. Horum autem, quibus nō modò à uulgo, sed à philosophis multis sensus denegatur, quot sunt, quæ sensus euidentissima dant signa? quæ quidē certè tametsi multis grauibus cōstant substantijs, tamē unā habent superantem, tùm à se mobilem, tùm quæ impetū uehemētiùs capiens grauia secum rapere ualeat. Plantarum semina si non cōtecta terra enascantur supina, conuertunt se in pronum, quò radicem defigant terræ. Crescentes plantæ, si quid est, quod surgētibus, sursumque tendētibus possit præcludere iter, antè quàm perueniant ad illud, flectunt iter, tenduntque ad liberum aëra. Nimis lenti caules, qui ualdè in longum porriguntur, quò sursum scandant, capere uidentur iter ad statumen uicinum longè multis pedibus. Palmæ feruntur nutare plures circa unum marem, pronas comis blandioribus: qui si excidatur, illæ sterilescant. Sunt plantæ, quæ nolint agere simul: & si cogātur, malint occidere. Quàm multæ, & quàm multi flores comitantur aspectu & gyro Solem? Est flos, qui Sole occidente immergit se
aquis,

aquis, quibus innaſcitur, non patiens ſine Sole intueri cœlum: mane unà cum illo emergit. Eſt quoque aliud heliotropon, quod die uel nubilo comitatus Solem, noctu uelut deſiderio contrahit florem cœruleũ. Contrà eſt flos, qui horreat Solem: quare die ſe inuoluit, noctu pandit. Cucumis pendulus, ſi ſubeat ſpiritꝰ olei fortè ſuppoſiti, auertat ſe, & apertè effugiat. Quid uerò quòd etiam à ſaxis, & à metallis manifeſta ſenſus argumẽta habentur? Lapis aſterites capit fugam de ſucco limonis, deq; aceto ualido, cui immergatur. Magnes quærit arcticum polũ, & aliam partem cœli non libenter aſpicit. Ferrum it ad magnetem, palea ad ſuccinum, quod in utroque amoris eſt indicium. Aio autem ferrum ire ad magnetem, non trahi ab illo, ut plerique alij: nam ſi traheretur, quocumque ſitu eſſet ad magnetem, uſque eo ipſo traheretur: ſed non ſic fit. nam ſquamæ ferri interpoſito ſcaphio mira celeritate uidentur ſequi magnetem, ſed uſque ſe conuertendo in caput: ut ſtyli ferrei ſe ad eum conuertunt, eumque ſequuntur. Vidi quoque ſtylum ferreum, qui alteram magnetis partem, quam ille ſemper ad polum uertit, tetigerat, ubi altera conuerteretur, tàm celeriter auertere ſe, ut præueniret conuerſionem. An uerò illud magnetis eſt, cuius ſpiritus ſubierit ferrum? quippè qui tantopere amet arcticum polum, ut ſui ipſius faciem, quæ ab eo auerſa nata ſit, oderit? erit igitur magnetis iam ſui ipſius ſenſus. Cæterùm aiunt, moſchum in cloaca (ſit habitus honos auribus tuis) nihil mittere halitus odorati, ut neque cinnamomum: quare poſteà educta tantam uim mittere odoris, ut compleant omnia. Quod ſi fit, proptereà fieri exiſtimandum, quòd eorum odoramentorum naturæ aduerſæ naturæ importunitatẽ ſentientes, nec propellere queuntes, continent ſeſe cum tenuitate, quam uſque faciunt, nec eunt: quare fit, ut ſub ea compoſita magna uis odorati halitus colligatur. Sed quid tot uerbis opus eſt? Cùm in ſimilium primorum uniuerſitatibus, eorum ſtudium ſit maximũ ſe mutuò conſectandi, ſimulque coniungendi, & diſſimilia fugiendi, quod à ſenſu ueniat oportet: in ſpecialium mediorum ordinibus idem ſtudium, idemque ſenſus ſit neceſſe eſt: quæ enim generum comprehendentium ſunt, comprehenſorum etiam ſunt, licet imparia, & minora. Sic neque rationes nos, ne-

que argumēta deſerunt, quin omnibus corporibus tribuamus ſenſum. Quin neque nudas naturas ſentire nobis eſt penitùs ignotum: nam quia tangibiles ſunt, (eæ inquam, quarum philoſophi naturalis conſideratio debere eſſe uidetur) tactu nobis aliquando manifeſtant ſuum motum, & ſenſum. Nón ne ad caloris ualidi aduentum frigus refugit, ſeſe colligens, atque uniens? nón ne item calor ad aduentū frigoris? Haberem aliud lōgè maius, longeque euidentius argumentum, niſi res pronuncianda eſſet prorſus noua, & mira, quæ priùs ſeparatim ſuam requireret probationem: quam ob rem abſtineo. Me autem hîc finem de cauſſa ſenſus facere uolētem detinebis fortaſsè, quia iam in mea diſputatione diſcrepantia uideatur. Dixeram enim, ſtudiū rerum alteras ſequendi à naturæ ſimilitudine eſſe: nunc autem meo ipſius teſtimonio, multa ſunt, quæ petant etiam ea, quibus cum nullam habeant ſimilitudinem: quæ enim ſimilitudo ſtatuminis ad caulem? quæ plantæ ad alimentum, quod naturâ adhuc palàm eſt aliud? quæ lapidis magnetis ad polum arcticum? plantæ ad Solem? & ſi ſimilitudinis cauſſa ualeat, certè ferrum citiùs ferrum, quàm magnetem petat: & palea citiùs paleam, quàm ſuccinum: quod tamen non uidetur. Verè ſanè: itaque digna oppoſitio, quæ reſpiciatur, & cui ſatisfiat. Iſtorum uerò exemplorum conſideratione faciliùs induceris, ut recipias quod ego aſſero, & quod res eſt, attribuasq; unà mecum cuiuis ſubſtantiæ ſenſum. Si enim ſimilium ſtudium eſt, certè eſt propter bonum, quod capitur ab illis. At ſi id propter bonum eſt, non dubium eſt, quin ubi maius bonū proponatur, illud potiùs ſit capiendum. Porrò maius & minus bonum mediæ tantùm naturæ proponi poſſunt, primum enim medio maius; ſummæ non, ſed tantùm minus: iſtæ autem, quæ iam dubitationē dant nobis, cunctæ mediæ naturæ ſunt. Mirare uerò iſta etiam, quæ penitùs inſenſilia uulgus putat, poſſe etiam dignoſcere maius & minus bonum, & maius ſumere ſibi, neglecto minore. Non eſt enim ambiguū, maius eſſe bonum, quod à ſtatumine capit infirmus caulis, quàm quod à ſimili pariter infirmo caperet, cum quo ſimul miſeriter ad terram uolutarentur. meritò igitur ſtatumen petit, miſſo ſimili caule. Maius item bonum, quod capit ſemen enatum à terra, quàm quod ab altero

altero simili enato grano, apud quod alimento destitutum pereat. Consimilemque crediderim esse caussam, qua magnes se ad polum, plantæ se ad Solem uertant: quaque ferrum ad magnetem, palea ad succinum eat, & si qua alia sunt, quæ dissimilia uideantur appetere. Hæ enim inferiores naturæ amant quidem similes, ut ament necesse est: sed intereà usque appetunt gradũ nobiliorem, quod est desiderium omnium, quæ sunt in inferioribus, ad summum tãdem perueniendi. Quod autem iam iam rapiat ad summum, oderunt ferè: perdiderit enim nequeuntes ire tàm raptim: at quod non corrumpendo, sed seruando potiùs adiuuet ad superiora, illud uerò uolunt, & appetunt, & ut tanto bono fruantur, conantur quod non solent, neq; etiam similium caussa facerent. Quam obrem crediderim, magnetẽ propterea usq; se conuertere ad arcticum polum, quia inde sentiat uenire qualitatem quandam, quæ supra omnia similia fouere, & non modò conseruare, sed etiam adiuuare ad gradum nobiliorem possit: itidemque flores, plantasque ad Solem. Quamquàm enim natura magnetis, & natura florum, ne conferendæ quidem uideantur naturæ cœli, quod est ad arcticum polum, & naturæ Solis: tamen qualitas, quæ ab ea parte cœli ueniens tangit magnetem, & ea, quæ à Sole tangit flores, qualis tangit, non immodicũ quid naturam substantiæ, quæ est in magnete, eúmque mouet, & naturam substantiæ, quæ est in flore, eumq; mouet, superare existimandæ sunt. Eademque sine dubio fuerit caussa motus ferri ad magnetem, & paleæ ad succinum, neglectis similibus, à quibus non tantum fructum captura sint. Putârim quoque, magnetem, & succinum, ut Solem, posse trahere ad se ea, quæ sibi sunt facilia, si ui sua attingant, sicut plantæ trahunt ad se alimẽtum: quod si fiet, duæ simul caussæ accesserint. Hîc autem finem de caussa sensus agendi facio: iniuriam enim quodam modo uideor facere naturæ, qui in re non modò uera, sed necessaria sibi, probanda tantum sumam laboris: atque ad alia, quæ fert rei ordo, me confero.

Variæ

Variè & diuersè operari spiritum: & plura, & quædam nobiliora, uideri esse genera operationum eius. CAP. XI.



Vbstantia enim hæc nostra superans & uiuens, mouensque & sentiens, quam unam, simplicemque esse huc usque undecumque ratio dictauit, nunc, dum eius motus, eiusque facta spectamus, & speciatim, & singula per partes consideramus, in uaria nos, & diuersa ducit. Nullum enim est genus operationum, in quo omninò unum (ut simplicem substantiam deceret) facere appareat. Nam dissimilibus mutandis, ex materia, quam tractat suo modo, constituere comperitur plurima, & uaria, ac diuersa, perinde quasi nō eadem natura operaretur: & alia etiam alijs partibus reddere effecta. Mouendo uerò non uno tantùm modo, unaq. formâ mouet, sed uariè etiam, atq; diuersè; quasi ipsa uaria & diuersa esset; tum uidetur alios motus alijs capere partibus, perinde ac plura haberet capita: demùm (quod est adhuc maius) eosdē motus modò celeriùs, modò tardiùs, modò uehemētiùs, modò remissiùs ædit; quod per legē nulli substantiæ, quæ una, simplexq; sit, uidetur debere licere. Prætereà nō tantū mouet & sentit, sed uidetur alia quoque posse, quæ appareant longè diuersorum generum, quàm sint motus & sensus: quæ quidem tanti fuerūt apud plerosque maiorum, ut substantia, cuius eorum aliqua propriè essent, longè alia statueretur, atque quæ moueat & sentiat; uidelicet, imaginatur, recordatur, intelligit, ratiocinatur, memoria tenet. Postremò (quod sit ferè prodigium) eorū, quæ facit, quedam uidetur nosse & uelle facere; quædam nec nosse, nec uelle; quod quidem nescio quò ducere scientiæ amatorem possit. Quas quidem ob res ingentia nunc nobis proponit dubia: quæ, si quod positum est, manere debet, necessariò omnia tollenda sint. Neque enim benè perspecta uideri potest substātia, cuius non pateant undique operandi rationes: neque positum, statutumque id, in quo adhuc dubia remaneant. Id igitur nunc, nulla facta pausa, agemus; conabimurque, quantùm suffecerint uires: nihil enim in scientijs humanis magis arduum, magisq;

magisque difficile puto cogitari posse. Simulque inspiciemus rationes, quibus facit spiritus, quęcumq. uideatur facere: simul dubia soluemus: nisi siqua cōmoditate tractationis differenda ad calcem iudicabimus. Vt autem aptè agamus, &, quàm fieri possit, signatè, & undique definitè tradamus omnia, oportet faciamus id, quod alioqui non faceremus: effectoremque operum spiritum partiamur quasi in binas copias. Nam quamuis ille nullo modo est multiplex, neque à se diuisus: tamen illud uerum est, quidquid tandem sit caussę: quædam operatiões uel solùm, uel magis in certa eius parte, quædam aliæ in certa alia elucent: ut ipse quidem licet continuus, tamen partibilis est. Habebimus igitur eum partitum in binas copias: quarū alteræ erunt eæ, quas antè dixi ire in cerebri cellas, & inde extendi per ductus nerueos: alteræ eæ, quæ prodeunt in reliqua corporis. In illis enim conspicuus est magis motus, qui fit citatior, uehementiorque per locum; & qui est affectionis; necnon sensus: definitè autem in ea earum parte, quæ est sub cellas, apparet imaginatio, recordatio, intellectio, ratiocinatio, momoria. In his, mutatio dissimilium, constitutioque uariarum & diuersarum substātiarum: addam; & materiæ extra uasa, quæ sunt ex nerueis tunicis, comportatio atque positio. Distinctæ autem notationis caussa, priores uocabimus inclusas, posteriores uagas: nam alioqui neque illæ solæ inclusæ sunt, neque hæ temerè uagantur. Libet autem priùs contemplari uagas.

Cur spiritus faciat uaria & diuersa in corpore nostro: & quo modo comportet materiam, quò comportat. CAP. XII.



NVmquàm quidem spiritus, quantùm in se est, fecerit aliud, quàm spiritum: nullum enim naturà propriè fecerit quidquam, nisi simile: dico in generatione substantiæ: ut autem alia tamen faciat, sunt in caussa illa, quæ ab eo patiuntur, atque mutantur: quæ cùm remota sint à substantia, naturaque spiritali, dum ad eam aguntur, per media transeant necesse est: omnis enim transitio de termino in terminum per media: sicque à spiritu spiritum faciente, media

intereà fiũt,& alia atq.alia.Fit autẽ tali modo:Spiritus ut exit de arterijs,peruenit in habitudinem corporis,in spatia, quæ undique tenentur à dissimilibus : & præ nimia quidem eorum turba, ubique conferta & coarctata,non licet facilè euadere: sed neque ipse uult,nisi si uniuersus, quantus inuolucro hoc conclusus est,simul eat.Vt enim uenit ille recens ab arterijs,iũgitur & continuatur uniuersitati(ut sic appeliem)spiritus, quæ est sub corpore,iamque degit per omnia, ut similis,& cognata substantia;& fit pars eius,sicut membrum corporis.& eo modo fit,ut posteà ire aliquam partẽ sine toto,sicut iã est,statim disiunctam ab eo,sit idem,ac membrum auelli à corpore.Dum autem ibi est inter dissimilia,oportet sic agat cum ijs,ut omne dissimile naturà agit cum dissimili : mittat uidelicet uim suam in illa, & quantùm possit,infringat,atque perdat. Ipse quidem exsilis est substantia, hoc est prætenuis : quam ob rem non multam confertã simul uim proferre potest;sicut exsilis flãma nõ multùm calefacit,ut(exempli caussa)quæ est de latice Scythico ardente: sed alius tamen atque alius continenter subit spiritus ;& præexsistẽtis calor usq; multiplicatur & augetur copiâ,ut perse multiplicari,& auctu accrescere calor potest:itaque in breui fit tantus calor spiritalis,qui uincere ualeat.Frangit igitur potenter,agitq; ad necem naturas dissimilium omnium, & de omnis caloris more materiam omnium expandere conatur.Illa uerò(ut dicebã suprà)nõ sunt tantùm materia,sed substãtiæ cõstantes natura formante,atque agere potente: quæ igitur,ut omnes,quæcumque sint, uiuere & esse uelit. Quare non se neglexerint illa, & perierint ultrò,sed si non poterunt repellere uim præpotentẽ & ruinosè inuadentem; tuebuntur se tamen & tenebunt,ut poterunt,& quamdiù poterunt. Ea uerò se longiùs, pertinaciusque tuebuntur,atque tenebunt,quæ fuerint magis aliena,& uiriũ plus collectum,cõfertumque habuerint:ea tempore breuiore, & minore pertinacia,quæ minùs aliena, & ut minora gradu,sic uiribus fuerint exsilibus, & sic quasi eneruatis. Omnia tamen succumbent, & uincentur à natura animali, & accipient ab ea mutationem. Inter mutandum autem, quia(uti dixi)oportet agantur per media: propterea eadem quoque numero subinde alias atq. alias assumunt formas : & ea plures,quibus per plures

ordines,

ordines,pluresque gradus sit transeundum. Tum,quia ut correpta sunt,utque sunt sub calore animali,dissimilia inter se,impariaque sunt : propterea, licet eodem tempore simul omnia ab eodem calore patiantur,tamē non possunt simul omnia similē, parémue accipere mutationem : sed ea,quæ alio ordine uel gradu fuerint, aliam; & quæ alio aliam : remotiora adhuc alieniorem, minùs remota iam minùs alienam. indeque est,ut plures simul etiam in eadem massa,diuersæque uideantur prodire facies rerum. Porrò,quia materia(sic nunc appello ea,quæ mutantur)non ducitur passim & temerè,sed certo ordine & per certas usque uias,certo ductu,certoque tempore : itaque disposita est actio,& res cedit,ut certis locis ea usque accipiat certas mutationes : propterea certis partibus,certa fieri animaduertimus,& semper. Verumtamen non solùm mutationem naturæ & consistentiæ accipere simul æquè non possunt ea,quæ conficiuntur à calore spiritus : sed neque loco pariter sequi eius motum. Vt enim alia crassa sunt & grauia,alia tenuia & leuia; & sunt alia grauiora,& alia leuiora: sic semper euntibus facilè leuibus,grauia usq. sequentur grauiter & tardè, & grauiora tardiùs, restitantia & morā trahentia:quare dum ea sic subsequentur, alia intereà in alium rapientur locum. Inde uerò distractis ijs, quæ quasi uno glomo ibāt glomerata,conspicua fiūt dissimilia, quæ facta sunt. quamquàm ipsam naturam intentam esse segregationi ob usum,credendum est. Inexsistens autem spiritus materiæ (ut illud quoque non obliuiscar) & illam quasi indutus, facto agmine gerit quò tendit,adiutus usque & quasi sustentatus à continua copia subsequente eodem studio comportandæ materiæ. Ipse quoque calor,quamuis sit factus iam extra spiritum,adiuuat comportationem : qui quidem materiam correptam tollens(ut rapere uidemus calorem materiam)& cū rapto cōmeans,semper est ad latera spiritus, uel pergit omninò,quò est iter eius,quasi stipans principem cum impedimentis,ut animaduertitur,studio prorsus admirabili. Sed harum copiarum calor,qui quidem uolitat per omnia, & quo complentur omnia,est propugnator, & tutela maxima & prima totius uitæ. is enim est ea uis,quæ ut retundit & reprimit turbam dissimiliū ferè omnem,sic maximè fouet,roborat,& tuetur substantiam

 spiritalem

spiritalem uniuersam,& in primis illam partē eius inclusam arctiùs,cerebri cauis & ductibus nerueorum agitantem: quæ undique à tanta multitudine contrariorum,eorumque ualidorū, ueluti obsessa,à se quidem sola uix momēto tueri se,& repellere præsentem cladem ualeret. Atque hæc satis possent uideri circa operationes,quæ magis conspicuæ sunt in spiritu uago: sunt enim redditæ rationes earum, nondum quidem satis difficiles, & dubitationes simul,quæ esse poterant, ferè sublatæ. Sed quia multùm refert tùm ad totum hominem cognoscendum, tùm deinde ad notitiam multorum, quæ in dies fiūt in nobis, nosse exactè hoc negocium nutritionis,ut apellatur: hoc est,ut celebretur & procedat coctio per corpus, & quo modo, quæ constitui uidentur, constituantur: placeat, obsecro te,per ocium, si quando erit,morari hîc adhuc mecum paullùm,&contueri diligentiùs,& quoad liceat singillatim,quo modo fiant, quæ fiunt, omnia. spero nō erit sine fructu.Et quia omnis dissimilitudo est ex eo, quod sumimus in nutrimentum : è re sit,si communis alimenti materiam, perfunctoriè, quantùm ad tractionem nostram expediat,spectando repetamus.

Rursus diligentiùs, & quoad fieri posit particulatim, quo modo per totum corpus mutentur dißimilia, & quæ constitui uidentur, constituantur.

CAP. XIII.



SI corpus nostrum est tàm multiplex, hoc est,si substantiæ,ex quibus iam tale constat,sunt tàm multiplices : multò etiam magis multiplex sit oportet materia alimenti,ut ad corpus uel primò ponendū,uel posteà instaurandum uenit. Eius autem in præsentia non exhibebo aliam notationem ab ea,quam exhibueram notanda dissimilitudine corporis: tantùm dico,multiplicandas species & ordines crassamentorum,quæ quidem plura & maiora fuerint in materia alimenti, quàm posteà in corpore : ordines & gradus aliorum omnium,extra aliquem halitum,faciendos inferiores: posteà enim sub corpus omnia magis expanduntur, leuioraq; fiunt à calore animali, ipsi etiam maiores halitus. Signabimus autem

autē in ea materia inter cæteras tres species rei: quarū una erit halit⁹, sed ex gradibus superiorib⁹, benè calidus iā, nec ad motū segnis: quod quidem est id, cuius uim percipimus sapidè gustātes, & cum sensu odorantes: ab ea enim natura sola est ea uis, non ab alia. altera est amarum quoddam & mordax: quod quidem halitus quoque est, sed inferiorum graduum: inexsistitq; ferè omnibus, quibus uescimur, factum iam à calore accrescēte sub ea tùm per omnes ferè medios gradus, tùm per hos, in quibus sit amarus & iam aliquatenùs mordax: soletque esse ità insertum & immistum crassis, ut ne facilè queat extricari. tertia, ea, quæ magnopere sunt crassa. Ad ea enim tria genera rei conficienda atque coquenda liquore leni, hoc est aqueo, opus habet spiritus: is enim liquor etiā sui insinuatione aperit, laxatque crassa, sed ui naturæ etiam id facit: alia tùm sui quoque immistione diffundit adhuc in amplius, & sic reddit languida; tùm lenitudine naturæ lenit, atque mitigat. Alioqui certè difficilia ea, & aliqua fortè inexpugnabilia essent spiritui, naturæ quidē magnæ gradu, sed copiâ exsilis: Magnopere enim crassa cùm ualdè alienæ naturæ sunt, tùm consistentiæ stabilis: substantiæ uerò amaræ, & benè calidæ, & citæ, si, ut integræ sunt, magis excalfiant, nec ineluctabiliter necentur, irritatæ potiùs, & incitatæ, furenter in proxima quæque ferantur: quare petant, feriántq; etiam ipsum uerueo genere inclusum spiritum: quod quidem cùm fit, tùm alij casus oxoriri solent, tùm excitatur sitis: sicut fames, ubi à crassamentorum compositorum natura, hoc est frigore, incipit tangi spiritus: tunc enim ille materiam exposcit uapidam, & halituosam, in qua rursus calorem suum multiplicet, & ex qua adhuc sui copiā adaugeat, quæ auiditas fames est. Materia autem eiusmodi, qualem descripsimus, cibo nimirùm, ut appellatur, in uentriculo congesta, liquore leni affuso, uel in ipsis cibis sumpto, coctio incipit calore multo quidem, sed ualdè leni, ut est op⁹ per omnia ferè in corpore nostro, sed maximè per principia. Nam (quæ res est dignissima notatu) naturæ omnes, quò faciliùs mutentur, aut obsequantur, requirunt, tractentur leniter, ac placidè; & quæ sunt alieniores, eæ etiam magis: alioquin uel efferabuntur, uel exose insolentiam cogent sese cū materia subiecta, & durius deinceps exhibebunt negociū. Cùm

autem id ſemper requirunt, tùm magis per principia: namque ubi iam multùm edomitæ, effractæque fuerint, ſecurè maiorem licebit inferre uim. Eamque ob cauſſam, admirabili conſilio eſt prouiſum in nobis, præcipuè per principia coctionis lenis calor adhiberetur: & calor iecoris (is enim eſt maximè, qui etiam in uentriculo conficit cibum) tranſiret per geminam tunicam uẽtriculi, quò ad cibum concoquendum perueniret minor & lenior. quamquàm ipſum iecur quaſi focus quidam tùm ad principia, tùm ad media coctionis paratum, ità paratum eſt, ut non ualdè uorax in eo calor fieret: quod præter cætera indicet paucitas & exiguitas arteriarum ei uiſceri datarum. A calore autem illo multo facto, adiuncto intereà eo, qui undique de partibus contiguis, & deinde appoſitis uenit, maſſa lentè, ſed efficaciter, frangitur, ſubigitur, mutatur: itaque in tempore non ualdè longo, omnibus maceratis, & craſſis ex liquidis ſubactis atque coctis, fit quiddã molle, album, quod chilum uocãt Græci. Demittitur poſteà id inferiùs in locum, unde ferè quidquid eſt nutriendo, trahitur ſub hepar per uenas quaſdam, quas dicunt meſeraicas. Ibi uerò agitur ualentiùs, intenſiusque: franguntur uehementiùs naturæ alienorum, materiaque tota explicatur, expanditurque magis ac magis. Atque in breui calor in maſſa ſic inualeſcit, ut rubore ea ueſtiatur: qui quidem rubor minimè in tota ea propriè erit, ſed tantùm in halitu, & tenuiore omninò ſubſtãtia: quod uel ĩde patere poteſt, quòd ſi rubẽtes carnes aqua macerâris, aut benè coxeris, exalbeſcent: tenuitate nimirùm, cuius erat rubor, uel ab aqua excepta atq; abducta, uel in rẽ inuiſilẽ acta, atq; diſperſa. Is autẽ halit⁹, admiſto uapore aliquo prætenui, ſic rubẽs, eſt, quod propriè ſanguinem uocarũt ueteres, & aëri retulerunt. Dum autẽ omnia ſub iecore expanduntur, atque explicantur, ſegregantur multa, quæ priùs compoſita erant, ut calore uehementiore coquente diſſimilia neceſſe eſt, quando (ut diximus anteà) non omnia æquè conſequi poſſunt illius motum. Inter cætera autem prodit id amarum & acre, paullò antè deſcriptum, obuolutum tamen adhuc aliquibus craſſis, ut penitiùs ijs conſertum ſolet eſſe. Prodit autem multis & robuſtis uiribus: nam craſſamentis coërcitum & quaſi uallatum expandi ſatis nequiuit: & amarum quidem, & acre priùs per ſe erat,

rat,sed nũc amarius etiam & acrius est redditum ad calorem spiritalem.quare sese offert superatu difficillimum. Sentiens autem natura morsum,separat illud, sicut est,extractumque uesiculâ quadam præcipitat in aluum. At tamen non ità exactè abstrahere potest, quin relinquatur aliquid,saltem eius,quod sub coquente calore paullò calidius factum, transeat in rem eiusmodi : & id est, quod uocatur bilis, quodque deinde etiam in massa saguinolenta,& alijs per corpus discernitur.Subsidunt quoque quædam crassamina, atra,& acuti frigoris,quæ natura expurgãs, conuehit in adaptum locum,sub splenem,conficienda ibi multa spiritus ui: uix enim credas,ut arterijs intextus est totus splen, & jis non paruis. Ea autem atritas est, quæ nominatur melancholia.cuius etiam species aliqua deinde conspicitur in sanguine, & magis atque magis processu ætatis: tùm quia relinquitur omninò aliquid eius,tùm quia calor quò est uehementior, eò magis torret correptam materiam, uorans uapores atque liquores,& crassa & atra reliqua faciens:planè ut ignis calor carnes, quæ torrentur. Aqueorum autem multum sub iecore in massa est: nam & multum poposcit natura admisceretur massæ ciborum,& multum quoque cibis quibusque inest: sed posteà etiam caloris actione omnia soluentis, & per media non rapidissimè ducentis, liquantur multa crassiorum, uicina gradibus liquentium,& pesistunt etiam aliquandiù liquida. At quia calor agit omninò uehementior, qualis non exactè segreget liquida à crassis, sed rapiat etiam simul multa crassa: proptereà etiã nunc fiet, ut unà cum liquidis crassa quædam, sed leuiora, moueantur. Ea autem à calore expansa magis atque magis,itaque ad motum acta,ab omnibus partibus amplexabũtur sese quoad poterũt,& coagmentabuntur. Ex crassis autem eiusmodi sic amplexatis,& cõposito humore,exsistunt posteà quædam lenta & glischra, quæ simul comprehensa pituitam appellarunt maiores. Halituum & uaporum plurimum & per principia,& per media coctionis sit necesse est: nam cùm primùm multũ erat in cibis, tùm posteà plus attollitur de liquoribus: itaque per ea tempora uaporibus & halitibus complentur corporis omnia,ijsque crassioribus: agitati enim, atque dilati, sed nondum admodùm tenuati sunt. Confectum uehementer, & satis

ſatis benè præparatũ alimentum ſub iecore, differtur inde per uenas. Hîc autem attendenda res notatu digniſſima: uix enim egreſſis iecur uenis arteriæ ſociantur, eæque maximæ. quod quidem propterea fit, quia calor animalis, qui adhuc eſt inditus ſãguini, quamuis ſit multus, non eſſet tamen ſatis coquendo uſq; ad extremum, alienisque naturis interimendis: quin citò retunderetur, & extingueretur: eſt enim ibi adhuc ut alienus, nõdum ſibi materia ſuppoſita; & facillimè necantur naturæ in materia aliena. itaque noua uis ſuccedat oportet & plurima, & gradu magna. In toto enim alimento probè conficiendo ſunt totius nutritionis omnia: poſthac autem, deficientibus uapori bus & halitibus, qui facilè calorem animalem recipiebant, in quibus igitur ille magnopere multiplicabatur, (conſumuntur enim ij continenter & citò) craſſa, quæ longiùs actionem morãtur, facta reliqua, fuerint liberiora: itaque quamuis fracta, tamen etiam nunc intendere contrà potuerint actionem ſuam, niſi magna ui coërceantur. Spiritus itaque ſuccedit ſubitò, qui ſubiens maſſam, deinde uſque conficiat illam, uſque ad conſumptionem. Ac, quia laborioſum, & perdifficile eſt interimere naturas ſedentes in materia; non diſſociantur arteriæ à uenis, ſed illarum maximas maximæ comitantur uſque ad extremos artus; multos etiam ramos rami: certè nuſquàm dimittunt, niſi tantũ ſpiritus ſit inditum, quantus calore ſuo, adiuuante cognato, qui ex omni parte uenit, ad extremum uſque materiam conficere ualeat. Dum autem coquitur ſub uenas maiore etiam adhuc ui, alimentalis maſſæ ſemper conſtantis ex diſſimilibus inter ſe, neceſſariò fiunt aliæ etiam ſegregationes: atque ea opportunitate ſpiritus ſagaciſſimè, prudentiſſimeque utitur. Licet enim certè ea in re admirari illius ſagacitatem, atque conſilium. Nam per principia uenarum, aut ſub illa breui, ex materia ſemicruda, multo uapore adhuc recente referta, multoque halitu, ſed craſſiore, conſtituit uiſcera rubentia: ſcilicet tùm ad caloris copiam ſub ea multiplicandam, propter coctionem, quæ ſub unoquoque facienda eſt; tùm etiam ad ſui ipſius caloris uim (quod uix poſſis credere) in ijs leniendam, quò tùm meliùs ducatur coctio, tùm diutiùs illa durent. Paullò magis coctam, ſed rubentem adhuc, comportat in medium fibrarum neruearum,

quæ

quæ diducuntur in instrumenta, quæ dicunt musculos: conficitq; inde spiritui ibi laboriosos exercenti motus, & inexsistenti fibris tenuissimis, longeque productis, itaque alioqui fotu & fulcris destituto, toros quosdã satis molles, tepentesque, quos carnem propriè uocant uulgò. Reliquum quod fit, difficilius est, proindeque diutiùs coctioni relinquitur sub uenis. Satis eo quoque confecto, ex leuiore eius specie cerebrum instauratur: ex grauiore & tenaciore nerui, tunicæ, membranæ: ex crassiore adhuc, chartilagines, ligamenta: ex crassissima, ossa. Quæ quidem omnia album iam induisse uidentur colorem: quod non alia de caussa est factum, nisi quia inter coquẽdum halitus ille, cuius uerè erat rubor, quoque erant contecta omnia, nimiùm tenuatus, diffususque in amplius, in rem inuisilem est actus: prodijt igitur facies crassiorum, & frigidorum. Quæ etiam deinceps, quamquàm calor numquàm sit cessaturus, tamen numquàm ampliùs ruborẽ resumere uidentur: scilicet, quia numquàm ampliùs sub ea fiet simul tanta copia halitus, eaque consistentiâ, quæ iterum obruere crassitudines possit. eæ enim cùm consistentia difficiliores, tùm natura alieniores, calorem uel integrũ accedentẽ diù repellere, & aliquatenùs etiã refringere & lenire poterũt, ut semper quoad possunt repugnant naturæ: sed præ difficultate ueluti ab imo ille capiat, & lẽtiùs moueat necesse erit. Talis aũt redditus, & sic accept⁹ calor, sensim ducit opus: & de albore transpicuitatem liquidã facit: tum de ea inuisilem: & quemadmodum sensim ducitur opus, sic natura in materia sensim accrescit. itaque ubi ea fuerit, quæ iam splendere posset, tantopere expansam habuerit materiam, ut quæ sit, specie ostẽdere nequeat. nam ut conspicuæ sint species naturarum in materia, requiritur supposita illa densior, & copiosior: in nimiùm exsili illæ non apparuerint. Videntur autem durescere assiduè ossa, & cætera modò dicta, tùm quia composito liquore, uaporeque spoliantur: tùm quia ipsa præ grauitate nequeuntia caloris animalis sequi motum, uim effugientia, cogunt se in sese. At ea etiã pernacia tàm cõmoda, tamq; opportuna est, quàm uidemus. Semẽ in magna uenarũ, arteriarumq; simul cõplicatione, ac deinde in testiũ anfractib. per longã morã uidetur elaborari. Quia enim materia, quæ in eam rem desumitur, est paullò cor-

pulentior, paulloque difficilior: propterea ut conficiatur, cùm multa & magna adhibeatur uis caloris, tùm actio quoque protrahatur necesse est. Difficilior autem ea sit oportet, quia in semine quoque difficultas & tenacitas habenda est, quò posteà enatus sub eam spiritus retineatur. Nam nunc eo consilio sub eam penitùs efficitur halitus: qui quoque certè de re non ità facili fit, si ipse quoque tàm longa actione fit: sed de ea fiat oportet, quæ quàm propinqua haberi penitùs sub ipsa crassa possit. Albet autem semen, quamuis re iam benè calida oppletum, caussa, quæ modò de crassioribus albicantibus est reddita. Sub crassamentis autem omnibus pergit opus facere natura, cessare non potens, usque dum planè effecerit spiritum, si queat, de quibuscũque: facit autẽ omninò lentiùs, & tardiùs, ob caussas, quas modò dixi. Explicans autem eorum dissimilitudinem, idque sensim atque ductim, quod facilius subinde est, æquabili actione facit transpicuum: pertendensque opus, mox agit in halitũ: ac quia satis dẽsa ea sunt, unde haud facilè quæuis tenuitas, elabatur: demùm sub ea ipsa facit halitus copiã tàm tenuis qui propè finitimus sit spiritui. Intereà actione eadem, lenta, sed pertinaci, non ea modò, quæ nõ longo interuallo sunt post halitum, sed ipsa quoque crassa, quantùm potest, usque magis magisque explicat. Crassorum autem ipsorum id, quod fuerit leuius atque facilius, longa actione demùm reddiderit ità læuigatum, itaque tenuatum, ut propè liquescat, & à se mobile incipiat esse: sed uisciditatis adhuc referet aliquid, quam quidem assumpserit, dum calore expandente, agenteque ad motum, partes eius per intermedia quæuis se inter se aptiùs coniunxerunt. Cum eiusmodi autem læuigata crassitie, tum, ut iam tenuiori, leuata paullùm ab alia, componi acciderit halitum illum tàm tenuem, cum alijs etiã consequentibus, nec non aliqua liquoris copia, ut conserta, complicataque sunt simul omnia. Et quia halitus est inuisilis, & composita illa tenacitas, à qua quidem tùm halitus, tùm cætera composita coërcebuntur, ut crassiuscula adhuc, sic etiam frigidiuscula naturâ est, qualia quæ sunt, alborem habent: compositæ simul omnes illæ substantiæ nobis albo repræsentantur colore: est, ubi transpicuo aliquo modo, crassiusculis adhuc paullò magis explicatis. Atque id est, quod

uocant

uocant adipem, pinguedinémque. Quod quidem æquabiliter caloris animalis more confectum, plenum re spiritui proxima, ci deinde est familiarissimum alimentum, quasi pœnus optimus, unde ille se facillimè instaurat: fomentum maximè idoneum, in quod intereà suus calor facillimè effunditur, & auctu crescit, unde ipse uniuersus, uniuersáque natura roboratur. Talis res demùm ubi abundat, exsudare solet de laxioribus crassamẽtis, ac posteà densioribus, quæ offendit, impingere, atque concrescere, exhalante tenuissimo halitu, aut diminuta à frigidis bona ex parte ui caloris, à quo tota magis expãsa teneri poterat. Est enim ubi ab halitu tenuissimo inexsistente, calori animali propè elabente, euehitur: est ubi adhucà spiritu & calore animali. Licet uerò admirari etiam in positione huius prouidentiam naturæ: ferè enim eò comportatur, aut adigitur, ubi uim animalem, spiritumque maximè fouere, tutari à compositorũ frigida ui, & roborare maximè debebat. Eoque hercule consilio est prospectũ, ut omentum, res maiori ex parte confecta ex pinguedine, uentriculo & intestinis superstaret, partibus ex plurima, & benè magna, frigidaque crassitie contextis, &, præter uentriculum, destitutis alioqui fomento apposito. Spiritus non ubique in corpore animalis fit, quãquàm ubique eius demùm caussa efficiendi laboretur, nisi quid fiat ab incluso, proximum halitum ad se trahente, atque consumente: sicut naturæ omnes trahere uidentur usq; proximã materiã, deque ea augere substantiam, cuius sunt ipsæ. Cætera. n. corporis spatia ferè magis omninò perspirabilia sunt, quàm in quibus detineri possit materia, dum planè transeat in spiritum: uel non eo apparatu, eaq; uehementia, & celeritate laboratur per ea, qua materia antè, quã exhalet, in spiritũ agatur. Sub unas autẽ arterias absoluitur spirit⁹. Sed uide quot artes, & quanta industria adhibeatur ad illum absoluendũ. Confertur enim in arterias flos sanguinis: pars leuior atque tenerior, quæ maturè agi in spiritum potest, sicut maturè efficiendus ille est. inditusque est iam calor animalis, qui conficiat illum. Sublimamentum autem illud (ut sic appellem) sanguinis, sicut est tenuissimum totius massæ sanguinolentæ, sic etiam est calidissimum, & sua natura multis partibus iam promptum ad motum. Propterea uerò cùm multa ui, tùm magna &

 acri

acri, celeriterque confici oportet: nam (ut dicebam anteà) quæ benè calida sunt, si magis excalfiant, nec citò perdantur, malè irritentur. Id autem præstare unus non potest calor animalis: agit enim ille quidem uehementer, sed lentiùs omninò, quàm oporteret nunc eò loci cum eiusmodi re. Et per accidens adhuc est ipse tota ea materia: & spiritus subuenit nullus: fit enim in arterijs spiritus, non retinetur, neque reuertitur emissus. Quare sanguis ille certè intereà miserit suam uim, & malum dederit naturæ. Ob eam autem rem additus est motus arteriarum, qui inter alios usus promouet factum spiritus. Insuperq; accersitur aër, qui uel sui immissione magnore agere in amplum sanguinem potest: sed calore suo cùm adiuuabit animalem in agendo, tùm eum augebit & roborabit. Quàm enim calidus sit sua natura aër, indicet dura eius collisio: est autem tenuior quidem nostro spiritu, & perfectior æther, sed non tantò superior, ut ne sit substantia amica atque cognata. Tàm operosa res erat matura talis spiritus effectio. Frigidus autem oportet sit aër, qui inspiratur, (ut id ostendam quasi ex itinere,) quia sub pulmones, & sub cor, arteriasque furit tamen aliquo modo uis sanguinis modò memorati. Vt enim adhibeantur tot artes, & tot subsidia ad eum conficiendum: tamē eiusmodi natura omninò sic subitò interimi non potest, ut ne mittat tamen intereà aliquid suarum uirium, uel dum perit: sicut (exempli gratia) fecerit piper, aut aliud sic calidum intrò sumptum. Ad eam igitur uim, quæ tamen aliqua furit, usque extinguendam, subuenit frigus delatum cum aëre. animalem enim calorem præualentem omninò multò, & tantùm non uincentem sine aliena ope, non retuderit, (modò ne sit nimium,) ità ut ne etiam agere, & opus suum facere possit. Quamuis enim non acri qualitate petat uis illa sanguinea: tamen copia & multitudine sui tantùm posset, quòd (sicut cohibita respiratione sentimus) citò suffocaret naturam, spititumque uniuersum, ni reprimeretur. Nec id dubitare oportet; scilicet alienam esse eam uim, propter quam requiritur frigus aëris: si enim non esset, non suffocaret: nullum enim patitur à sua ipsius natura. Factus autem spiritus, & per omne corpus effusus, dum ualens est, uti narraui, frangit, uincit, cohibet omnia dissimilia, ne in se possint quidquam grauius: potitur

titur rerum, suo modo mouet, peragitque omnia. Sin debilitetur, amittatque uim; aut alia occasione dissimilia inualescant, atque superent; aut uerò foris aliena uis ueniens persidat in cõpositis, uel etiam ipso, uimque, actionemque statuat, efficaciusque intendat: tum uerò labor & morbi, qui pro naturarum rebellium, inimicarumque ui, pro substantiæ etiam importunæ consistentia & mole, tàm uarij accidunt, tamque multiplices.

Cur, & quo modo calor animalis in dies fiat qualitate maior: & quo modo ille idem consumat animal. CAP. XIIII.



CAlor autem animalis in dies uidetur accrescere, & qualitate fieri maior, nisi fortè per senectam, per quam aut non usquequaque sic fieri, aut decrescere omninò, & rursus minor fieri cognoscitur. Neque tactus modò id indicat, qui fortè aliquo modo decipi posset; uerùm ipsa, quæ fiunt, opera. Namque usque ad ætatem affectam in dies exacuitur & efferatur uis eius rei, quæ dicitur bilis, & maior eius copia aggeritur, quod fieri non posset, nisi à calore uehementiore; eamque acrimoniam exacerbante. Tum usque nigrior redditur sanguis, quod quidem ob populationem liquidorum & tenuiorum euenit, quæ fit à calore uoraci. Eius autem effectus caussam nosse, non uoluptuosum minùs, quàm utile fuerit. Sed ut cognoscatur, accipienda priùs duo, quæ unicè ad rem declarandam faciunt. Vnum est: calorem spiritalem multò maiorem esse, quàm qui propriè faciat humorem: quam ob rem uel si fortè sit factus humor, per se quidem non sinet esse, sed quam primùm poterit, uorârit, atque consumpserit. Alterum est, quod à me ut primùm etiam recta (nisi fallor) ratione est animaduersum, sic multis locis ambitiosiùs decantatum: nempè, calorem medium omnem per se in dies accrescere gradu, & fieri maiorem, caussa, quæ etiam in superioribus est significata. His cognitis, cognitum iam est, quod quærimus. Calor enim animalis uorabit semper uapores, humoresque compositos, ut substantiam dissimilem, inferiorisque naturæ. At crassa, quæ difficiliùs mutantur, resistuntq; longiùs, facta reliqua, co-

gent ſeſe ſimul, ſicut habent de more craſſa omnia, humidis, quæ commiſta erant, abeuntibus; conſtringentque: unde ſiccitas, & denſitas eorum. Iis uerò conſtrictis, & denſatis magis, neceſſe eſt, ſpiritus cum ſuo calore diutiùs ſub illa morentur: difficilior enim fit exitus. Diutiùs morãs calor, magis qualitate augetur ibidẽ: nõ enim uel ſtatim, uel umquàm ſummus gradu eſt noſter calor. magis auctus, uoracior eſt: dum magis uorat, maior fit ſiccitas, conſtrictioque craſſorum, quare deinde diutiùs adhuc ille coërcebitur, unde fiet etiã ſub coërcentia maior. Re autem ſic procedente, fiet, ut demùm peracris efficiatur ſpiritus, qui ſub iecore, quod (ut diximus) eſt quaſi focus coctionis uſque ad media; iam præcipere, & torrere ſanguinem ualeat, ut ex nigrore cognoſcere erit. Eoque tempore acciderit id, quod aliquãdo in iudicio de hominis natura potuit imponere ueteribus: ſcilicet, acrem bilem quodam modo adaugere caloris animalis edacitatem. Ea enim iam defectu humidorum non ſatis lenietur; & ad uehementioris caloris uim magis exacuetur: acutior autem facta, calore animali tangente atque mouente, proferet ipſa aliquid, miſcebitque, uis ſuæ: quæ quidem uel dum extinguetur, uim acerbare animalem poterit: poterit & ipſa quoque interca quid afficere alia compoſita, ſi plus nimio ualuerit. At ſanguine præcepto, ac toſto, neceſſariò deinde malè ſequitur opus coctionis & tenuationis: eaq; malè procedente, ſpiritus etiam confectio malè procedat oportet, fiatque ut impurior, fuligines ſimul iam ui caloris efferente, ſic paucior. Ob materiam autem non ritè tenuatam, caloremque uorantem, deficient etiam halitus & uapores, quæ eſt materia, per quam facilè multiplicatur calor: itaque iis deficientibus, deficit etiam copia caloris animalis. Qui igitur cùm copia iam ſit paucus, ſed ui igneus, ſiccat tantùm ſuperficiẽ alimenti; atque torret: intrò non ſubit. Craſſitudines aũt non euictæ & cohibitæ, mox omninò proferunt ſuam uim frigidam: unde frigidæ materiæ uagantur per corpus, & morbi exoriuntur frigidi: à quo frigore etiam ſpiritus, licet ex eo, quod euincitur, fieri poſſit acerrimus, afficitur, atque torpeſcit: unde uis quoque caloris deinde erit languidior. Materia autẽ, ut dico, non euicta atque tenuata, reque ſic in dies magis magiſque procedente, demùm eò dedu

citur

citur res, ut admodùm exiguus fiat spititus,& ad extremū nullus: sicque deficit animal senio. Quàm uis enim arctè contineatur spiritus ab his inuolucris, tamen tandem, in tempore non ualdè longo, sua ipsius ui fit tàm tenuis, ut per constrictissima quæque ualeat foras euadere, uel suo impetu, uel etiam (si libet addere eā caussam) compulsu copiæ usque consequentis. Et ut nunc sensim fit continenter, sic posteà sensim it continenter. Vt uerissimè, & sapientissimè olim fuerit ab Hippocrate dictum: *Anima hominis generatur usq; ad mortem:* &: *Extinguit nos calor ille, qui corpora produxit.* Quamuis interpres Galenus uel non assequens, uel fortè non assequi se simulans ea, quæ inclytus ille senex felicissimè pronunciàrat, uel ut non dicta ab Hippocrate conatus est uocare in dubium, uel alienis interpretatus est modis. Verè enim anima, nimirùm spiritus, generatur usq; ad mortem hominis: & eius caloris caussā, à quo constituimur, exposito modo deficimus. Certè quidem si is non sic ageret, multò citiùs deficeremus, uicto contrà illo, atque extincto: tum uerè ei propriè alius est ꝑpositus finis, quàm nūc sequitur: tamē propter eiꝰ ipsius actionē is sequitur, & eius omninò culpa nunc etiā deficimus. Eat nūc antiquitas, prædicetque, calorē animalē proprium esse totius corporis humani, qui non modò assiduè consumit corpus, sed ipsemet est in caussā, ut tandem sub eo penitus deficiat uita. Neque inconueniens uidebitur nobis, ab uno eodemque calore his qualitatibus corpus constitui, atque consumi, sicut Galeno uisum fuerat: nam (ut iam non semel dico) hoc non propriè ille constituit, uidelicet tale corpus: propriè spiritum unum studet. Sicut ipse spiritus quidquid mouet, quidquid format in hoc corpore, & de hoc ipso, nunc quidem necessariò, sed primò per accidens mouet & format: scilicet, quia eo includi, & sub eo esse aliquandiù accidit, & intereà ne momentum quidem potest uiuere sine motu. Temporarium enim quid est animal, tamdiù durans, quamdiù substantiam alterius iam ciuitatis, sub hoc corpus esse, & agere contingit inuitam, hoc est præter primarium, & in primis proprium naturæ suæ impetum. Ne uerò erres cum inscijs, *REX* optime, quia igneum dixi spiritum, credens talem non posse uiuere: uita enim cùm nihil sit aliud (ut priùs dicebam)
nisi

nisi agitatio secundum suam naturam; erit omnium substātiarum, quæ sint usquàm, quæcūq; & qualescumq;, nedū spiritus. Non propterea spiritus pyraustarum non uiuebat, quia planè igneus esset; sed uiuebat, ac dum inter ignes esset. Sed cùm sic fiat, nempè ut caussa eiusdē caloris, à quo constituimur, deficiamus: consultò fecerint ij, qui ubi non obstiterit morbi aliqua importunitas, per annos feruentiores, assiduè, adhibito modo, refrigerare & rigare humore corporis habitū studuerint, & per senium tepidè humectare. Hactenùs de operationibus, quæ clariùs apparent in spiritu uago; quibus addidimus ut corollarium caussam, propter quam accrescat calor: deinceps de ijs, quæ in incluso magis conspicuæ sunt.

Quo modo spiritus moueat loco: & quî unus, ab omnibus partibus idem, posit eodem tempore pluribus uarijs & diuersis mouere motibus: & multis etiam partibus incipere alios atq; alios: tum eosdem modò citatiùs ædere, modò remißiùs & tardiùs. CAP. XV.


Otum per locum planè ædit spiritus, ciendo sese, interna sua ui, in quam partem uult. Ciere autem solet duobus modis: quippè uel solū se, secretò à cōpositis inuolucris, (nam quamquàm coërcetur ab ijs ne eat, non propterea tamen quasi alligatur, configitúrue ad illa, ne quos sub eorum caua liceat, secum exercere possit motus) uel cum compositis. Composita autem simul secum mouet utens neruis, & fibris, quibus inexsistit, quibusque ea sunt colligata, tamquàm habenis: neruos autem & fibras, sese illis applicando & ueluti affigendo, ac tum sese ciens, cogensque, quorsum cogere intendit. Vt autem declarem, quî ille uarijs, & diuersis mouere possit modis; atque insuper (ut uidetur) motuum alios alijs incipere partibus; proferenda mihi quædam axiomata, quæ in caussa unicè possint adiuuare, sed ea docere de motu, quæ prorsus ignota fuere antiquioribus. Aio autem, nequaquàm motum contrarium esse motui, ut dicunt aliqui; uidelicet quo ad uias, quibus tenduntur motus: neque rectum circulari, neque

que qui sursum, ei, qui deorsum, neque qui ad dextram, ei, qui ad sinistram: sed immobilitatem motui contrariam esse. Eæ enim operationes uerè contrariæ sunt, per quas occidunt naturæ, & corrumpuntur corpora in alia: substantiæ autem à se mobiles, quacumque uia moueantur, motu æquè conseruari & uegetari uidentur: ut spiritus animaliũ: ut ignis, qui circulari, & recta, & obliqua latione accenditur. qui quidem si motu penitùs priuetur, intereat breui: ut substantia immobilis, si uelocissimo motu rapiatur, nõ diù sustineat eam operationem. quippè quia res habet, ut dico: & motus unica est operatio, conueniens substantię à se mobili; nec fit contraria, quia alia uia pertendatur: & sola immobilitas contraria est motui. Vna alia ratione motus contrarius esse motui potest, uel circularis circulari, & rectus recto: nimirùm sui qualitate, hoc est, celeritate agminis. Nã quæ circulari motu (exempli caussa) agitant corpora, sed lento & pigro, sic eorum ferente natura; si ualdè concitentur, & diù rapidè agantur, mutentur omninò, corrumpanturque, eamque assumant naturam, quam decet tàm rapidus motus. Quod quidem immobilitatis ratione procedit: quò enim tardior substantia est, eò magis ad contrariam mobilissimæ accedit naturã: & per legem nulli, ut extra sortem, sic neque supra gradum operari licet: neque si sit immobilis, agitare motu per locum, ut neque contrà: neque si sit tarda, à se ire celeriter; ut neque contrà. Mouere uerò in hanc, aut illam partem, hoc, illo ductu uiæ, æquè licet cuicumq; substantiæ à se mobili: & quocumque moueat, sibi conuenientèr, & salutariter moueat, si usus, necessitásue exigat. Iam uero substantia mobilis à se, quæ ut simplex est, sic etiam sit procul à contrarijs, conuenienti loco cognatis sociata; ea quidem non alium, ac undecumque simplicem & uniformem exercebit motum, tùm qualitate agminis, tùm itinere uiæ: certè enim simplici substantiæ undecumque simplex conuenit operatio. Sed si qua est, cui inter contraria esse, & cum ijs agere contingat, nec possit euadere; ei certè non licebit tantundem: sed, quia à contrarijs non poterit accidere aliud, nisi mala, præsentibus malis, quibuscumque & quotcũque modis possit, prouideat, occurratque necesse est. Quare nunc spiritus, cùm hac sit alienorum importunitate obuolu-

tus,& sub ea sit oporteat, quamuis sit simplex, multis, & uarijs, & diuersis eodem tempore mouet motuum formis, quia tot, & tàm uarijs, tamque diuersis necessitati occurrat necesse est. Potest autem unus eodem tempore eos ædere & exercere omnes, alijs tamen atque alijs sui partibus, nam quamuis una numero, tota continua substantia est, tamen partibilis est: atq; omnibus sui partibus est mobilis, habetq; principium motus, naturā nimirū efficientē motus: itaq; quacumq; parte sic mouere oportet, sic potest, & mouet, ubique sentiens, & ubique promptus mouere, quacumque uia incommoda euitanda, aut minuenda sint. neque enim rigor ullus obstiterit; qui tàm tener est, & sui sequax. Quin eadem sui parte subinde potest mutare figuram motus, & mutet, si res exigat, & liceat per composita: nullum enim recusat modum occurrendi malis: &(uti diximus) per figuram uiæ non ædiderit contrariam operationem. Quāquàm certè in motibus uoluntarijs uocatis, & ijs, quæ fiunt tunicis uasorum, est prouisum, ut quàm simplicissimè moueatur: duabus enim formis mouetur, nec ampliùs: quippè, contendendo uel in rectum, uel in gyrum, ut uidere est in structura instrumentorum. in cæteris ualet exposita ratio. Sed si qualibet sui parte habet principium motus, & quauis potest quemuis capere motū: planè poterit etiā pluribus partibus alios atque alios auspicari motus. Neque propterea plura esse spiritus capita debet existimari: nā plures spiritus, & plura animalia sint oportet, ut plura sint capita: unius animalis unus spiritus, & unius spiritus unū caput est. Capitis enim illud est munus: nempè, ut ab eo omnis incipiat, & ad id omnis referatur motus; sitq; quasi cardo, aut ueriùs moderamen motuum omnium, qui fiunt tota uniuersitate, cuius id est caput. Et cùm ità sit, iam si plura essent capita, plures essens cardines, & plura moderamina motuum substantiæ unius numero: & accideret etiam, ut alterum caput, ratione qua est caput, fieret moderamen motuum alterius, quando ad ipsum quoque oporteret peruenire alterius motus. quod ut esset rationi congruum? Vnum autem omninò cùm sit spiritus totius caput, & illud, quod dixi sit capitis munus: hîc ego, quantùm in me est, censeo statuendum: toto corpore, à nulla parte spiritus fieri motum aliquem, qui à capite non intenda-

tur,

tur,& quod inde omninò per intentionem non capiatur: ſicut inde ad omnes partes eſt conſpiratio & continuatio,& intentio omninò in omnes. Ratio quidem ſic dictat: & palàm eſt id fieri in motibus,qui dicuntur uoluntarij,cùm plures ſimul corporis partes palàm uolentes agitamus: fiet igitur in ijs,qui fiunt inſcientibus(ut apparet)nobis.Cerebrum quidem certè perpetuò uidetur moueri ad motum arteriarum: neque attolli ſic poteſt ab arterijs intercurrentibus: mouebitur igitur, principio capiente motum,qui in cor,arteriasque per neruulos eſt continuandus: fortè etiam in omnes alias partes, licet non eadem uehementia, ad ſpiritum in omnibus à premente grauitate relaxandum, tùm excitandum, uegetandumque. ad caput quidem motum totum, alia omnia, & eodem modo, ſicut fieri poteſt, moueri par eſt. Agnoſcere id quoque licet ex affectibus capitis ſpiritus. Eſt autem caput definitè ea copia, quæ eſt ſub caua cerebri, ſicut memini anteà à me eſſe dictum. Neque obſit, quia multorum animalium cor abſciſſum uidetur adhuc poſſe perſequi per ſe motum: omnes enim ſpiritus partes(uti dixi) principium habent motus: & ſatis eſt intendi illis ſemel motum,deinde per ſe etiam parumper perſequi poſſunt,dum uirium tenorem habent aliquem. Sed cor abſciſſum inconditè tamen, turbateque mouet, & uſque languidiùs, ut uim amittit in momenta,& commoritur. Certè ſi ea cauſſa ualeat,in cauda etiam ſerpentum caput ſpiritus poni poſſit, quia detruncata ſatis diù adhuc moueatur. De commutatione uehementiæ & celeritatis eiuſdem motus, quam uidetur poſſe facere ſpiritus, adhuc dubium reſtat, quam toties diximus per legẽ non debere licere.Sed ſciendum,ſpiritum natura eſſe multò citatioris motus, quàm ædat cum hoc corpore; quem quidem motum exerceret ſolutus impedimentis: nunc enim,quia mouet hoc graue,& cum labore mouet, laborem temperat tarditate & remiſſione. Quare ſi uehementiùs,celeriusque conetur, poſſit planè per ſuam naturam,gradumque eius; ſed cum labore maiore,quando magis tollenda grauis moles. Sic dubitationes omnes,quæ eſſent in hac cauſſa,tolluntur.

Quo modo ædat motum alterationis. CAP. XVI.



Dmirabilis prorſus eſt is, quem dico affectionis, motus. Cui enim nõ ſit admirationi, ſubſtantiã non modò excipere, ut patientem, & ut materiã, motus, qui dantur ab externis, ſed etiã poſſe rurſus, ac ſimul eoſdem à ſe ædere, & ciere in ſe ipſa, etiam alienos, hoc eſt eos, quibus de ſtatu moueatur? Fit enim ad hunc modum: Quæ tangunt ſpiritum, (nam nihil quidquam percipi poteſt rei, quæ nõ tangat) mouent eum omnia, planè ut ſunt naturâ, & iuxta intenſionem qualitatis, quam gerunt, & prout magis, minúſue adiguntur. Ille uerò dum uim patitur, nec reſiſtere omninò ualens mouetur, planè facere non poteſt, quin obſequatur, hoc eſt eum, qui datur, ſequatur motum: ſed ut ſubſtantia eſt ſibi uſq; intentiſſima, & ſtatus ſui ſtudioſiſſima, ut tãgitur, nõ ſic ſinit, & nihil agit: uerùm more ſentiẽtiũ omniũ, cõuertit ſe ad id, quod tangit; amoliturus, ſi ſit alienum, amplexaturus, ſi amicum: tàm citò ipſe, tamq; prõptè, quàm gnauus & impiger eſt. Adhibetq; attentionem ſuam primò quidẽ in ſeſe, quippè qui ipſe recipit; deinde, ſed propè eodem tempore, erga id, à quo eſt motus, uti ad principium motus, quod iam ipſe petat. Dum autem attendit, (attende rogo, quid nunc dicatur) ratione attentionis fit, ut à ſe iam, hoc eſt motu facto à ſe, ſequatur datum motum, prorſus, prout moueatur, hoc eſt, ea ipſa qualitate motus, qua ab externo mouetur. Non eſt enim aliud attendere, quàm aliquatenùs cum ſtudio ſequi id, quod mouet, ſed ità, ut ipſum moueat: eundem ciendo motum ad id, quo ipſum cieat animum, & eundo, ſicut id ducat: aberretur enim, neque attendatur, niſi ſic fiat. Conferens ſe igitur ſpiritus ad attentionem, confert ſequens datum motum, & ciens ſe ipſe rurſus eo motu, quo cietur: & rurſus, ſimulque, cum capit, atque ædit: ſicut nos toti, cùm loco ui rapimur, atque etiam ſimul imus à nobis. Et is eſt modus, quo externis tangẽtibus, æditur ab illo motus affectionis: non quidem uſque ut eam qualitatem faciat propriam ſuam: corrumpatur enim ipſe oportet, ut id fiat, cùm illa ſit aliena: ſed

na:sed quando in ipsum ea accidit, & per eam iam afficitur, utendo ut aliena, tantisper, dum noscat. Atque hoc, quod ego nunc dico, est, quod Aristoteles monitus ab ipsa re olim uolebat exprimere, cùm diceret: sensibile, & id, quod sentit, similia esse ἐνεργείᾳ, cùm tamen nesciret facti rationem. Res uerò difficilis intellectu: quare declarationis caussa conabor, ut potero, referre rationem in aliquibus affectionibus. Durum motum sequitur, æditque cogendo sese, & fortiter obnitendo. Calorem igneum rapido quodam motu, & uis suæ concitatione. Frigus quodam modo tarditatem & torporem sibi inducendo, & quasi contrahendo se. Colorem cogendo quidem se, sed in primis uigorem & lætitiam naturæ suæ, quasi facem, uel extollendo, uel quasi occultando: quod inde cognosci potest, quòd posteà clarè quò magis atras species uult secum repræsentare, eò magis laborat. extolli autem cōtingit uigorem eius, lætitiamque alacri quadam citatione in maius: sed magis quadam auctifica sui condensatione: occultari uerò, quadam tristi naturæ ueluti demersione, & diminuente statum sui conspissatione. Nec dubitare oportet, an fiat, quod dico, & ut ego dico: planè enim oportet concipiantur affectus aliqua actione: & modus agendi & capiendi alius nullus potest esse. Sed quid dubitetur? iam amotis ijs, quæ uerè tangebant, possumus ea meminisse: & impossibile est id fieri aliter, quàm repetendo eos, qui ijs tangentibus rursus à spiritu æditi sunt, motus: si nunc repetit, ergò etiã anteà fecit. Sequens autem spiritus eum, qui datur, motum, affectionemque, prorsus prout mouetur, atque afficitur ab attingente; par est, non modò eodem motus genere, sed eadem intẽsione, eodem numero, eodem tempore sequatur: tum præcipuè ijs ipsis partibus, quibus attingitur: indeque tanta amplitudine sui, figura eadem. Quidquid autem ceperit umquàm eo modo, citaueritque in se, non erit aliud, ac qualitas, & incorporeum omninò aliquid: quî enim citet, & faciat in se corpora? quare etiam dum corpora attigerint, non aliud ceperit in sese eorum, nisi qualitatem. Cum hoc motu sine dubio semper erit coniunctus localis quispiam motus spiritus; sicut rursus per motum localem sæpè manifestè contrahitur hic motus affectionis: sed hic certè alius est.

Quomodo sentiat. CAP. XVII.


Ensus hic, qui iam est notus nobis, tantùm est alterationum, & motuum omninò de statu: sed est tamen sensus affectuũ, qui dantur à similibus, qui nullæ fuerint alterationes; sed longè alterius generis. Vt autem fiat, ità uiuam, uix uideor exponere posse, tàm penita ratio, & interna naturæ est. Dico autem sic: Primùm spiritus est substantia, quæ uiuit: & cùm uiuat; sicut naturæ omnes, quæ uiuunt, est usq; intentus sibi, & tenet, & secum nouit statũ suum. non quidem, sicut nos fortè nunc nosse uidemur, neque omninò ut sentiuntur externa ulla; sed ut secum agendo, & sibi intendendo, intentione quadam tenere & nosse uidetur oportere suum statum naturas. Quam quidem sui ipsius, statusque sui abditam in se intellectionem, esse quoque sensum, atque adeò primum sensum, iure opinor aliquis dicere posset; & ex intentione in sese fieri, atq; constare: sed quia statuimus iam, sensum esse tantùm ad tactum externorum, propterea, nitentes tamen omninò ei, quod nunc relinquimus, sic statuimus: Vt tangitur ab aliquo spiritus, quod quidem, quodcumque sit, semper adfert aliquid, quod non erat; ille qui alioqui semper intentus sibi est, excitatur quasi ad res nouas: & quemadmodum noui aliquid accipit, sic nouo modo, hoc est solicitiùs, intendit in sese. Ibi uerò idem, qui semper tenet & noscit suum statum, teneat, noscatque oportet etiam nouari ceptum; siue augeri & roborari dulciter & uitaliter, quod fiet ab amicis, siue horridè agi in alium, quod fiet ab alienis. Solicita illa excitatione ad intendendum in sese, aio exoriri sensum: tenere illud solicitum, & nosse statum suum eo modo, iam noui aliquid casu habentem, aio esse ipsum sensum. itaque ubi priùs dicebam, sensum esse dignotionem affectus, nunc, re meliùs cognita, dico, esse status affecti. Tantum possum dicere de sensu: si non satisfacio, ignoscas rogo imbecillitati ingenij. Secundum qualitatem autem, qua se moueri, afficique tenuerit, noueritque spiritus, nouerit etiam de ijs, à quibus est motus: & qualis erit qualitas, quam ab ijs ceperit, talem quoque ijs attribuerit; & quot acceperit,

perit, tot attribuerit: & sic formatas, ut formatas acceperit: taliaque nouerit illa, quales ab ijs acceperit qualitates. Vt enim quæ tangunt, non possunt attendi, nisi secundum eum, quem ipsa dant motum: sic nō possunt nosci, nisi qualia peruenerint, seque noscenda præbuerint. Sensus quidem & motus affectionis semper sunt simul: sensus enim est dato, captoque affectu: tamen aliud est capere affectum, aliud nosse & tenere, se sic iam habere, & sic esse affectum. quare meritò etiā ab antiquis sensus & motus duo diuersa posita sunt.

Quo modo spiritus imaginetur, & quo modo recordetur. CAP. XVIII.


CVm imaginatur spiritus, recolit omninò secum formas motuum, quos anteà ipse effecerit, dum ad sensibilia mouentia moueret se, sicut exposuimus, uel omninò illis assimiles. Nihil enim possumus imaginari, quod uerè aliquando nō perceperimus sensibus, aut quod ijs, quæ percepimus sensibus, non fingamus esse simile. Inde enim ea, quæ sensu percipere non est, ferè imaginamur forma eorum, quæ sensibus percepta sunt: ut *DEVM* & Angelos pictores pingunt humana facie: ineptè quidem, & indignè, sed tamen tolerabiliter iudicio uulgi, quando sic quoquo modo captui ipsius consulūt. Sicut autem spiritus erga sensibilia tangentia, dum se ad illa uerteret, à se rursus eodem modo, eademque forma motus est, qua ab illis tangebatur, efficiens quandam ἀντιμόρφωσιν, ut sic loquar: sic cùm secum recolit imagines, eosdem, sic factos, recolit motus, easdem sibi ipse secum figurans, & repræsentans formas: totque generum recolit, quot sensibilium generibus obiectis reddere coactus est. tàm egregius ille est (ut sic dicam) μορφοποιός. In ea operatione illud mihi magnopere uidetur mirum: nempè, quòd imagines, quamuis sint in ipso spiritu, eius ipsius parumper alteratis qualitatibus: tamen apparent non modò alienæ, sed etiam separatæ, & tàm longè positæ, quàm uerè cōspectæ res sunt, aut etiam conspici fingere possimus. Alienæ enim uidentur, planè quia alienæ sunt, hoc est factæ motibus & dispositionibus alienis: sed de longinqui-

tate, qua referuntur, non possum in præsentia aliud, quàm ostẽdere simile. Vides quæ à speculo redduntur imagines, & quæ à conspicilio adeunt oculos nostros cernentium? sunt enim à conspicilio species, quas nos excipimus, non quæ ab ipsis rebus attingunt conspicilium. Tàm longinquæ adhuc forsan apparent, quàm sunt res, à quibus primò manant species. Nec propterea appropinques tibi conspectum specierum, quia speculũ, uel conspicilium tibi appropinques; ne quidem si tangas eorum superficiem superficie oculorum: sed semper tantundem remotæ uideantur. Sic poterit fieri, & fit omninò in ipso spiritu: nempè, ut in eius ipsius superficie eidem offerantur species tàm remotæ, quàm uerè anteà sint uisæ, aut ipse secum ponere possit. Rationis redditio non est huius loci, atque temporis. Ex apparitione autem imaginum, quæ spiritui fit sub ipso, nihil luminis subeunte foris, colligi potest, luminis participem esse illum, & redditurum lumen, si densetur magis. si enim non esset, non fieret illa: nihil enim omninò à cernente ullo, secundum naturam, cerni potest sub tenebras. ille uerò cùm imaginatur, cogitur in sese. aliàs nimiùm exsilis, hoc est nimis diffusa tenuitate est. Est uerò cum euidenti sensu imaginatio; quippè quia spiritus iam capit & tenet alienos motus, alienosque affectus; per quos quidem ille alienis modis redditur attentus.

Recordari, primò est recolere eiusmodi formas: actus recolẽdi eas: tum per eas iterum capere sensum eorum, quorum sunt imagines.

Quo modo intelligat, & quo modo ratiocinetur. CAP. XIX.



INtelligere, quasi intus legere, est, spiritum uel secum quasi in suo recessu, uel quasi ad interna rerum penetrãdo, assequi, & deprehẽdere quid, quod sit: primũq; quidem esse id, tum ut sit, & qua ratione. Tantùm enim esse deprehendere, est quasi coniectare speciem aliquam rei, quæ tamen quid, aut qualis sit, non dum appareat. Ratio, qua res habet, est id, non quod illam, sed quo illa se, tamquàm aliquâ notâ, manifestet: ut ipse per te potes aduertere. Quid-

quid autem est intelligendum, planè oportet obijciatur substantiæ intelligenti, eamque sui aliquo modo moneat. Placuit autem nostris maioribus, ut intellecturi auocaremur ab obiectu rerum uerarum, quales offeruntur sensibus, & specularemur phantasmata: quasi interiùs, aut perfectiùs liceat comprehendere res per imaginis, quàm per ueræ rei obiectum; aut quasi imagines non essent cum sensu. Obiectas autem imagines, atque adeò conceptas habens spiritus, quia ab ijs repræsentantur illa, quæ uerè anteà sunt præsentata, uel omninò illis assimilia; rursus uidere uidetur eadem, aut assimilia illis: contuensque & noscens, uidetur planè deprehendere tùm esse ea, tùm tali ratione. Nam si res ipsa imagine repræsentatur, ratio quoq; rei repræsentatur, quæ nusquàm est ullo modo extra rem, & sine qua nulla res est. Actus autem intelligendi exsistit hoc modo: Intendens usque sibi spiritus, attendit nunc in se, contueturque & dignoscit alterationes & affectus, qui imaginatione citati in se sunt. Dignoscens autem eos, oportet ea quoque forma dignoscat, qua sunt effecti. quia uerò illa iam simulachrum est ueræ rei, sicut exposuimus, aut omninò assimile: fit ut spiritus nunc hanc formam contuens, rursus rem ipsam præsentem habere sibi uideatur, rursusque deuenire in eius notionem. Quia enim naturà (uti dixi) impetu attentionis fertur ille ad capita motuum, quæ sunt ipsæ substantiæ, ut ad ultima, solida, & per se consistentia, ubi tandē sistere aliquo modo motum & quiescere possit: motus enim semper alterius est, & ab altero, & quātùm in se est, semper eum habebit in motu: propterea uel quando uerè tangitur ab externis, uel etiam cùm posteà secum repetit motus, fertur ad ipsas res, & ipsas captat substantias. Noscens autem rem, planè & esse illam, & sic esse noscit. Atque sic etiam amoto uero obiectu rerum, per suos ipsius affectus, eorumque formas, deuenit spiritus ad notiones rerum, & assequitur, comprehenditq; tùm esse eas, tùm esse hac, uel illa ratione, quod est intelligere. Atqui hic idē uidebatur modus noscendi res etiam cùm uera obiecta excipiebamus: non enim uidetur alia differētia, nisi quòd ibi ad res uerè præsentes mouebamur, hîc ueluti ad præsentes: num igitur idem & hîc & ibi modus erit? Dicam liberè quod sentio: nisi uir quispiam maior aliam

O mihi

mihi ostēdat rationē; uel hāc ipsam uulgatā intelligendi, quam ego forsan nō satis assequor, melius declaret; quantū in me est, statuā indubitanter, esse prorsus eundē, consimilemq; modū. Vtrobiq; enim forma alterationis concepta est mediū, & quasi dux, ad rei comprehensionem, ibi uerè præsentis, hîc uerè præsentis uisæ. Quin, si iam uerum discerno, uideo & hîc & ibi, spiritum primò in se alienorum noscere imaginem: formam nimirùm illam à se in se datam, & sic conceptam, secundū eam, qua externū mouens tangit: primò enim ea, quæ in se sunt, tenet & noscit: cætera, & res ipsas, per eam. & forma, hoc est imago, est semper eadem, ut priùs facta ad rem tangentem, sic nunc repetita. Imago uerò est tantùm simulachrum ueræ rei: itaque tantum ab ea referri potest, quātum à uera re offerebatur: tantum igitur assequemur ab ea, aut certè assimile: si quid ampliùs putemus, certè fallamur. Abstractiones formarum à ueteribus fictæ, falsæ sunt: & quo modo esse posse uideātur, æquè fiunt in rebus etiam præsentibus, atque in solis imaginibus. Vniuersalia quoque illa sunt superiore libro exagitata: quid igitur restat aliud? Quòd si res uerè præsentes, earumq; rationem iam uerè oblatam assequi, sentire eas est, per imagines autem intelligere: tantò nobilior, præstantiorque erit sensus intelligentia, quantò solida umbris, aut uera fictis. Sunt, qui obijcere soleant, intelligendo faciliùs posse errare nos, quàm sentiendo. Sed id magis confirmat, quod ego dico: ostendit enim, quantùm sensus intelligentia sit uerior, & dignior. Error autem contingit, quia sæpè uolumus iudicare de ijs, quæ sese nobis referunt, non percepta omni eorum conditione: iudicantesque ex una nota, aut duabus, quæ ostendantur, quæ fortè etiam in alijs possint uideri, tamquàm omnibus undecunque cognitis, possumus falli. Sæpè arrogantiores ad ea penetrare uideri uolumus, quæ nullo modo ostendūtur, aut penitùs sub alia facie rerum; & falsas nobis confingimus imagines, & rationes. Sicque temeritas, & priuatio comprehendendi res, omnémue earum conditionem, ducit nos in errorem. Obijci etiam solet, intelligentiam non uideri corrumpi ab excellenti intelligibili, ut ab immoderato sensibili corrumpitur sensus. Sed id fit, quia cùm intelligimus, sicut uoluere maiores, nullum uerum externum agens contor-

quet

quet suã uim in spiritũ, sed leuiore motu ab eo ipso ex se efficta imagine refertur, quod refertur: Sed alia etiam accedit caussa: scilicet, quia pro sensibili, usque res quæpiam, quæ uim alterandi habeat, accepta est: pro intelligibili autem non umquam, ut uidetur, sed semper accidens quoddam, quod quemadmodum ne exsistere quidem posset uerè ullo modo usquàm, nisi beneficio alterius, & in altero, sic neque referri animo ualeat, nisi beneficio alterius, & in altero, nempè imagine. Sed afficere omninò intelligibilia uocata, quamuis leuiùs, uel propter affectus, qui imaginibus reddendis contrahuntur, uel propter attentionem, indicet labor ea meditandi, & attendendi, & subinde satietas & fastidium: quod sit signum, corrupturã spiritũ tandẽ eius operationis, eorumque obiectorum meditationem, nisi dimittatur. Ea quidem ratione uidebitur differre sensus ab intelligentia, si sensus pro perceptione & dignotione sui ipsius motus, affectionisque accipiatur: intelligentia autem pro notione eorum, quæ per motum, sensumque noscuntur. Quod si dicatur, liceat etiam per me, modò ea, quæ iam medio sensu nos assequi dicimus, intelligere etiam dicamus. Verùm tu hîc memor dictorum forsan obijcias, mihi etiam saxa intellectum ire, quando superioribus disputationibus asseuerabam, omnem substantiam naturalem sensu præditam esse. Sed ego non propterea turbabor: dicam enim, quod dicebã, cùm agebam de sensu naturarum: uidelicet, ut sunt genera, species, ordines, gradus earum, sic alias promptiùs, alias tardiùs, alias exquisitiùs, alias stupidiùs assequi & noscere ea, à quibus moueantur: alias forsan plura, alias pauciora: tum alias non nisi dum iam attinguntur ab externis, alias etiam per se postea recolendo secum motuum & affectum formas: naturam tamen nullam penitùs facultate intelligendi, hoc est deprehendendi atque noscendi ea, quæ tangant, suique moueant, priuari debere. Iam ratiocinari, fuerit, considerando (quod est quasi defigi in actu noscendi) uersari circa res, legereque earum rationes, uel pergere per eas, comprehensas, ut quidem res referre uidentur; coniungendo, disiungendo, & faciendo cætera, quæ cùm ratiocinamur, facere solemus.

Quo modo fiat memoria, & quo modo tamdiu duret. CAP. XX.



Eminiſſe autem, eſt retinere formas, rationesq; perceptas. Sed quo modo eas retineat ſpiritus, ſecreta ratio eſt: puto autem eam eſſe: Memoria manifeſtè eſt eorum, quæ inſigniter mouerint, ſiue nouitate, ſiue ui, ſiue frequentia motionum id ſit factum. Id omninò cùm ſit; putandū eſt, quòd ſpiritus, qui admirabiliter, & tanta prõptitudine ſe conuertere ad alterationes ſolet, licet præterierint ueri motus, tamen poſteà etiam ſecum ueluti quærit ea ſubinde, à quibus inſigniter ſit motus, uel exſpectans ea, uel timens. Eius rei dum ſolicitus eſt, ſemper ſecum habet aliquod initium capiendi ad eorum attentionem motum, repetendique mouẽdo formas: quod dum habet, & facit, rationes motuum, atque formas ſecum ipſe cõſeruat. Mihi eius facti indicium eſt, quòd ſæpè dormientibus nobis, uel nihil de quibuſdam cogitare uolentibus, ſubit memoria eorum, eorumque magis, ob quæ recèns moti ſumus. Nec uerò dubitetur, quia tàm breui copia eſt ſpiritus, ut poſſit uideri, non poſſe eodem tempore initio motionis, motu omninò, tot rationes, formasque motuum conſeruare; & eo minùs, quòd non poteſt una eademque particula plures eodem tempore exercere motus. Nam neque tàm breuis eſt eius copia ſub cellas cerebri, ubi illud facit, quin eodem etiam tempore plures capere poſſit motus: namque etiam minora ſpecula uno poſitu ferè innumeras ſimul capere uidemus imagines: neque tàm ſegnis eſt ille, ut dum unum ædit, alios penitus mittat motus: ſed attentus omnibus, à quibus inſigniter ſit paſſus, iam ad hunc, iam ad illum celeriter conuertitur motum; ut cùm externorum captamus modò illud, modò hoc: leuiter ferè, ità ut non uſquequaque fiat hic manifeſtus ſenſus, ſed tamen tantùm, quãtùm ſit ſatis ad motuum, formarumque conſeruationem. Quamquàm, quia non poteſt omninò unus attendere plurima, plurimosque recolere motus, perit in dies multorum memoria. Ob eamque rem, ſcilicet, quia laborioſum eſt ei eodem tempore, uel ſubinde breuì, plures diſtinctè

ſtinctè exercere motus; ferè expoſcimus capita, ſummasque rerum: pauciores enim, & breuibus ſpatijs comprehenſas, commodiùs tenere, & minore recolere labore ſpiritus poteſt. Solent iuuare conſequutiones rerum, rationumque: namque uno motu repetito, ſpiritus poſteà quaſi uiam legens, addit ſuo impetu alios, quos aliàs ædidit conſequenter. Solent & ſimilia, & contraria: namq; illa conſequutionem, hæc oppoſitionem ſtatim offerunt conſequentem. Vt autem tamdiù durare poſſit memoria, longè ſecretius forſan eſt longeque ignotius. Spiritus enim quamuis craſſis, & denſis integumentis continetur, tamen it omninò continenter, uti diximus, & nouus eſt ferè in dies ſingulos: & quamquam ſimilis uſque eſt, tamen non uſque idem numero eſt: ut, ſi diù manere debet memoria, modus ſit aliquis oporteat, quo uſque præexſiſtens ſubeunti ſuos communicet motus. Sed dubium non eſt, quin ſic fiat: fieri enim aliter non poteſt. Modus autem communicandi unus fuerit: quippè unio. quia nimirùm ſubiens cum præexſiſtente unus fit, ſic, ut ille cum eo, qui iuit, unus erat: non quidē numero, ut pars elapſa ſit hæc ipſa morata; ſed apta ſubſtantiæ continuatione; uis, affectuum, operationum omnimoda communicatione. Quæ enim benè mobiles ſunt ſubſtantiæ, & nō nimis ampla mole continuatæ, & undecumque aptæ ſibi ſunt, admirabiliter ſecum conſpirant: ab omnibusque partibus affectæ ad omnes, omnes omnium omnibus communicant motus: ità ut non magis plures earum partes, quàm unum iam ſint omnes. neque ſolùm ea copia, quæ iam collecta eſt, ſic ſecum eſt: ſed ſi quid ſimilis, cognatæque ſubeat, ueniat pariter in omniū communionem. Sed tamen, niſi ſubinde recolantur motus, pereant breuì formæ: laborioſa enim eſt ea talis, nec ſpiritus naturæ conueniens operatio; atque afflictatur ille mouendo: quare breuì remittit. tùm per communicationem, traditionemq; nouo ſubinde ſpiritui, languеſcunt motus, & in breui obſcurãtur, & confunduntur, & ſic demùm finiunt. Vnde etiam poteſt duci argumentum, conſeruari memoriam, ſpiritu ueluti præ ſolicitudine ſemper retinente initia motuum, ſemperque mouente. Ille quidē inquies eſt: coërcitusque & grauatus hoc corpore, prohibetur ex ingenio exercere motum: itaque impatiens non

solùm immobilitatis, sed etiam motus non sufficientis ad facilem agitationem, præcipuè cùm retrahit se ab externorum attentionibus, recolit hos.

Operationes omnes spiritus esse motum & sensum.
CAP. XXI.


Redditæ sunt rationes operationum omnium: ijsque reddendis, sublatæ etiam iam dubitationes ferè omnes, quæ in ijs, aut de ijs poterant esse: in primis de imaginatione, recordatione, & cæteris, quæ post illas sunt enarratæ. Agnouisse enim potes, ut eæ nō sint aliud, quàm ipse motus, ipseque sensus; uel simul uterque, uel solus alter: ità ut minimè propter illas alia sit nobis quęrenda in homine substantia ab ea, quam nouimus, & cuius omninò sunt motus & sensus. Et uerò ego uehemēter miror ea in re antiquiores, qui à circumstantia, aut accidente omninò aliquo decepti, fecerunt eas operationes alias à motu & sensu, & aliquas etiam dederunt alij substantiæ, quàm quæ quoque per se primò moueat & sentiat. Planè enim ipsemet motus, & ipsemet sensus, sumpta tantùm circumstantia, aut accidente omninò, quod possit in ipsos cadere, referunt eam speciem, qua ueluti personati fefellerunt uiros tantos. Adhibe enim attentionem, si placet adhuc audire summam sermonis, qui de illis est factus, ut magis etiā signatè, magisque certò uideas quod dico, & quod res est: nempè eas, quot numerantur, non esse aliud, quàm motū & sensum. Imago fit, recepto motu tali figurâ, hoc est sic acto: erit itaque imaginatio motus. Recordatio est imaginis repetitio, & reditus ad sensum eorū, quæ referuntur imagine: erit igitur simul motus & sensus. Intelligentia omninò est sensus eorum, quæ offeruntur, quæque monent sui. Ratiocinari est sentiendo omninò ea, prout sunt & habent, cum attētione quasi uolitare circa ea, aut, cùm erūt plura seiuncta, discurrere per ea: iungitur igitur etiam ibi motus cum sensu. Memoria uerò est conseruatio imaginū, hoc est talium motuum, & simul sensus, qui ob imagines obiectorum est. Quam ob rem, nunc re patefacta, si mutationem quoque alienorum uelis referre in motum, poteris enunciare

duobus

duobus uerbis: operationes ſpiritus omnes, quot quot ſunt, non eſſe plures, quàm duas: motum uidelicet et ſenſum.

Cur quædam operationes in altera ſpiritus parte, aliæ in altera ſolùm, magíſue appareant.
CAP. XXII.


Idetur aũt non cõmittendum, ut tacita relinquatur cauſſa, qua fiat, ut aliæ tamẽ operationes in altera ſpiritus parte, aliæ in altera, ſolùm, magíſue appareãt: ne ꝓpter eã res dubia aliquo modo relinquatur. Euenit enim illud nõ propter aliud, quàm propter cõditionẽ, qua poni, & agere in corpore ſpiritũ partibus ſuis contingit: quæ talis eſt: Ea pars, quæ eſt ſub cellas cerebri, eſt caput totius ſpiritus, ut dixi non ſemel. proceſſus poſteà, (ut ſic apellem) eius, qui ab eo extenduntur per ductus nerueos, (intelligo ea uoce omnia, quæ ſunt ex albis, fibris, aut uillis, in quibus, ut index præcipuus, eſt mihi ſenſus manifeſtus) ſunt quaſi artus ſpiritus, aut rami, ſicut arboris. copiæ deindæ, quæ eunt ſub cætera corporis, ſunt extrema eius, ſicut arboris extremi ramuli & ſurculi. Caput autem ità ſe habet: nempè ut ſit collectũ benè ampla copia, nullis interuenientibus alienis. proceſſus quoque, quos dixi, procedunt ipſi etiam nullo alieno intercedente inter ipſos & caput, & quaſi interſecante. ducũtur quidem ſubtiles propter anguſtias ductuum, in quos ſolertiſſimo artificio ſunt ductæ fibræ & uilli neruei. extrema uerò ſpiritus, quæ ramulis & ſurculis aſſimilauimus, quæ ſunt plurima, ex plurima ſpiritus copia, procedunt ipſa quoq; à ramis & ipſo etiã capite, ſed nullam in partẽ expeditè & liberè. tantã enim offendunt paſſim multitudinẽ alienorũ arctè conferctam, cui immiſceri oporteat, ut penè opprimãtur. Inde uerò fit, ut caput inprimis, deinde artus ſint planè expediti per caua, in quibus agunt, & multã ſimul aptè iunctam habeant uim. extremis autem illis non licebit tantundem: nam penè obruta turba diſſimilium, quæ ſunt tàm grauia, ac difficilia, & interrupta paſſim, ubique impediuntur, atque grauantur, & uires collectas ità aptè iungere & conferre nõ poſſunt. Atqui capiti, quà eſt caput, illud debetur: nempè, ut in eo fiat iudicium

ultimum

ultimum & consummatum motuum, affectuumque omniũ, qui fiant ullo modo toto spiritu. Cùm enim id sit positũ ut principiũ, & ut finis, à quo omnis incipiat, & ad quod omnis referatur, & ultimùm statuatur motus: nec modò qui primò cietur & fit ab ipso spiritu, sed etiam qui detur ab externis: & cum motu semper sit attentio spiritus, cognitioq́; ; fiet, ut uel in intendendo motu in partes, decreta attentione cum motu, uel in recipiendo eo à partibus, quasi statuta attentione simul cum motu; fiat ibi statutum & decretum motuum omnium. Sic autẽ quasi iudex erit caput totius spiritus uniuersitatis: & in eo etiã consummabitur & absoluetur, finis ultimi ratione, sensus & notio etiam aliarum partium: breuiterque erit caput quædam summa totius spiritus: ità ut si fortè partis alicuius motus non perueniat ad illud, aut ità languidè perueniat, ut non excitet ad attentionem: talis motus nullus uideatur esse sensus animali: cuius quidem iudicium, & sensus absolutus in capite fit. Ac rem sic esse, & sic cedere, unusquisque in se potest cognoscere. Res cùm ità habeant, rectè sequetur nunc, & secundum rationem latam à conditione rerum, ut caput & artus possint ædere maiores & citatiores motus, & aliæ partes non tales, sed admodùm lentos, & non nisi multò pòst tempore conspicuos. Rectè quoque, ut tacto, affectoque capite & artubus, statim exquisitus excitetur sensus: tactis autem extremis illis, non. Si enim caput est etiam perfector sensus aliarum partium in animali: multò magis, multoque exquisitiùs sentiet sibi ipsi primò datos affectus. ab artubus autem ad illud, ut nusquàm interrupta continuatio est, sic etiã celerrimè transmittentur motus. taceo quòd caput usque attentum in omnes partes, attentionem quoque suam semper habet præstò in ijs, cum quibus expedita est communicatio. A` partibus autem illis alijs ad caput & ad artus tàm difficilis est & impeditus processus: quare difficilè quoque perueniet motus atque affectio: alienis occursantibus, & excipientibus, impedientibusq́; agmen motus: & ubi motus iam peruenerit, tàm languidus peruenerit, ut non excitet principium ad attentionem. quemadmodum certè motus quoque, qui à capite ijs intenditur, aut communicationis ratione transmittitur, cùm deuenit ad impedimenta, tardè per ea procedit & lentè.

quam-

quamquàm non oportebat citiùs peruenire ad eas motus intentos à capite, quando comportatio materiæ atque positio cum mora quoque facienda est. Sed ea caussa erit, ut partes, quæ neruco genere destituuntur, non uideantur sentire, uel si frangantur, uel si urantur: licet pars spiritus, qui sub eas est, & patitur, æquè possit sentire, & sentiat æquè apud se, atque ipsum caput. Porrò uoluntas uix est operatio, sed decretum operandi: id autem (ut dixi suprà) in tota uniuersitate spiritus fit primò à capite: quare iure eius solius est decernere atque intendere etiã eum, qui à uoluntate esse dicitur, motũ: aliæ enim partes in ijs quoq. qui alterius uidẽtur cõditionis, pendent ab eius nutu, & sequuntur decretum eius. Ampli uerò motus, hoc est ampla forma acti, planè multæ simul collectæ copiæ sint oportet, quæ quidem eos capiat; nec non expeditæ: sed spiritus nusquàm sic est, præter quàm in capite: meritò igitur tãtùm in capite fit imaginatio. Deprehenditur tamen, admirabili modo motus efformatos, figuratosque, hoc est ipsas imagines factas à capite, mitti in cæteras partes per angustias & obstantia quæuis: nam sæpè palàm semini etiam datus uidetur à parente motus imaginationis. Intelligere & ratiocinari, si exsistere dicantur tantùm ex imaginibus, palàm est iam caussa, quare cæterarum partium, extra caput, non possint esse: sed si recipiatur, exsistere etiam rebus ipsis tangentibus, erunt quoque cæterarum: & iam nihil est, cur non recipiatur, quãdo intelligere ipsum sentire est, quod est partium omniũ; & sensus nullius rei esse potest, quin noscatur unà ut ea habeat, & ut se se offerat. Erunt tamen, duntaxat dum illæ tangentur: non enim licet ijs posteà repetere imaginibus. Memoria non potest esse, nisi semper expeditæ partis, cui nimirùm uacet usque recolere motus: sed tantùm capitis ipsius propter imagines. Mutatio autem dissimilium, & comportatio, & effictio, extra uasa, magis apparent in extremis illis copijs spiritus, quas superiùs dixeramus uagas: eæ enim ipsæ totæ cõmistæ & cõfusę sunt cũ dissimilibus: quare eas ipsas iacere in illa uim, tum eadem impetu suo (cuius tamẽ intentio semper erit data à capite) secum conuehere, quò statutum est, contingit. Sed copia inclusa per se neutro eo opere faciendo præteritur: nã ipsa quoque agit usque in dissimilia, quæcumque sint contigua: & ipsa

tùm nerueum genus sic produxit, tùm sub cerebro cellas fecit. Sed unus est (ut undique ferè iam probatum est) spiritus, una natura: qui spiritus ut unus est, sic omnibus partibus sui secum continuatus est, toto corpore, per media quæuis. nihil enim corporis est tàm densum, neq. tàm solidum, quod ætheree eius rei, quæ est sub omnia, quæque confluit per omnia, prohibeat penitus continuationem: licet faciat, ut ne tàm aptè cõtinuetur. Ab omnibus ille conspirat in omnes, sicut etiam norunt optimi ueterum: & à capitè præcipuè est attentus alijs omnibus, sed rursus ab alijs omnibus ad caput. Capitis motus, affectusque sunt communes cum alijs omnibus, & rursus aliarum omniũ cum capite, qui quidem sint alicuius momenti: uel negante noto hoc sensu. Neque tàm partes eius hoc aut illud facere dicendum, quàm cum totum omnia, hac quidem parte sui præcipuè intendentem in hoc, illa in illud. Cumque unus est spiritus, totus idem, sibi consimilis: cunctus omnibus sui partibus æquè easdem habebit facultates, & cunctus eadem operabitur: hoc est mouebit & sentiet.

Cur spiritus uidetur quædam sentire, & cognoscere, & uelle facere, quæ facit; quædam non. Additurq́, cur placeat cognitio, & scientia rerum: cur sint grata hæc sensibilia. CAP. XXIII.


Eliquum est, reddam eam caussam, quæ ignorata, vna maximè fecit, ut uiri magni errarẽt in natura hominis, & ex duabus diuersis speciebus componerent animam nostram: nempè, cur spiritus, qui (ut iam est demonstratum) effector est omnium operum uitalium, quiq; hoc corpore inclusus nos sumus, eorum, quæ facit, quædam uidetur sentire & cognoscere facere se, quædã non uidetur: quædam uelle facere, quædã nõ uelle, & tamẽ facere, & uel si contrà conari appareat, nõ posse non facere. Caussa est secretissima, de intimis naturæ eruenda latebris. Omnia ille sentit facere se, omnia uult, quæ facit: quî enim substantia usque sibi attentissima, suique studiosissima, quæ tanta arte, prouidentia, diligentia, studio, ponit & tuetur statum suum in hoc corpore, sub quo

agit

agit & mouet, poteſt iam ſuos vllos non noſſe motus? aut quî poteſt non decreuiſſe conferre uim ad faciendum, ſi iam facit? id enim eſt uelle. Sed illud eſt, quod mihi ut demõſtretur, altiùs paullò incipiendum eſt. Non modò ſpiritus, ſed ſubſtantiæ cuiuſuis, quæ uiuat, duo poſſunt eſſe tempora agitandi, & duæ conditiones: per quas quidem accidunt ijs tàm diuerſa, vt quando forte alterâ tantùm fuerint, nihil prorſus habeant eorum, quæ haberẽt alterâ: & ipſæ ſibi iam aliquo modo videantur aliæ. Aut enim inter ſimiles agunt ſubſtantiæ, aut inter diſſimiles. Inter ſimiles ſequitur illud: ut tanguntur ab ijs, dari ſentiunt uím amiciſſimã, quæ iuuet, quæ roboret, quæ au&et vitã: itaq; ſentientes tàm carũ affectũ, uolunt eas, & appetunt, & amplexãtur, ſi queant: poſſunt autẽ, ac ſtatim, à ſe mobiles omnes: iunguntq; ſe illis quàm aptiſſimè: uimq; ab ijs capiẽtes & uiciſſim dantes, fouẽtes omninò ſe, conſeruantesq; mutuò, unà agitant: & quãdo ſummum bonum, quod iam poſſit accidere (ſi tamen uniuerſæ, quæ ſunt eiuſdem generis, coniunctæ fuerint, nã ſi non uniuerſæ, minus erit bonum) ſunt aſſequutæ, & ſecum habent, nihil quærunt extrà ampliùs, nihilque attendunt: ſed fruentes eo, unà omnes, quin una iàm factæ omnes, unam eandẽq;, quam propriè, & in primis ferat natura ſua, operationẽ ad perpetuitatẽ perſequuntur. (in ſummis generibus hoc demùm fit abſolutè: in medijs adhuc reſtat appetitus ad ſuperiora.) Quid autem inter diſſimiles? ab ijs verò vt tangũtur, ſentiunt uim alienam, noxiam, agentem omninò ad interitum. itaque nolunt eas, & effugiunt, ſi licet, etiam inſolito motu, uel etiam inuiſa operatione: malunt id enim, quàm perdi, aut malè omninò haberi. Sin eædem obſtent, aut alia de cauſſa effugere nõ liceat; conuertunt ſe grauiter ad uim alienam, & ſubeunt illam, & inferunt quoque ipſæ contrà ſuam, atque ineunt pugnam. Intereà autem, etiamſi eueniat ut vincãt, inuitiſſimæ erunt ſub diſſimilibus: neq; illud leue, aut paruum malũ: ſic enim multò minùs erunt ex ingenio, ſed duriore conditione ſeruitutis. itaque ei quoque rei prouidere cogentur: adhibentesque uim, pepulerint, & egerint obſtantem molem, quò incommodum etiam illud, quo premuntur, faciant minus, & tolerabilius, pro præſenti conditione rerũ, quibuſcũq; poſſint modis, ſed la-

boriosis omnibus,& alienis, hoc est non propriè secundum naturam, sed sicut aliena quodã modo præscribunt, factis. Quantam putas esse differentiam sensus, quem capiunt ab his, ab eo, quem capiunt ab illis? quantam studij ad mouendum inter utraque? quantam denique motuum, atque operationum? Sanè, quantùm differunt contraria à contrarijs. Prior sensus est cõseruationis, posterior corruptionis. prior uoluntas, decreuisse iam semel, suo modo, proprio agentium liberè secundum ingenium, pertendere uim ad id faciendum, quo in fructu summi boni perpetuent: posterior, iam suis ingratijs constituisse, insolito, aut alieno, laboriosoque modo id conari, quo præsenti importunitati occurratur: & pluribus modis, si plurib. oporteat: & subinde mutando, si mutare oporteat: qui conatus si longiore tempore uehementior duret, eo ipso corrumpantur. priores operationes conseruatrices, uitales: posteriores corruptrices, perniciosæ. quemadmodũ.n. propria operatione conseruantur naturæ, sic corrũpũtur tandẽ alienâ. Et ex his patet, quæ cõditio sit, apud utrũq; genus substantiarũ: & quæ apud utrũq; caussæ operãdi. cum priore enim mouẽt, ut uitã cõseruẽt eo statu, quo est: cum posteriore, ut ne necẽtur. Quî igitur substãtia in altero genere occupata, quidquam teneat alterius? Nunc igitur spiritus obuolutus corpore hoc penitùs secretò a suis, semper cum alienis inter aliena agere coactus, nihil tenet eorum, quæ teneret inter sua. Nouit tantùm aliena, alienosque motus, quia ferẽ ab ijs tantùm tãgitur: aliena tantùm attendit, quia semper ab ijs afficitur, & tàm grauiter, ut ferè omnẽ cõuertant ad se ipsius attentionẽ: tãtùm alienis modis conatur, atq; operatur, nam alienis usque obsequi, & ut ea quasi præcipiunt, necesse est. Suorũ nihil sentit: quî enim sentiat, nisi tangatur? iam autem ne tangi quidem potest, nisi medio hoc corpore, quæ aliena res est, prohibetque purum, & aptum contactum. Sed ne cognosceret quidem sua & quæ sunt suorum, hoc nunc tantùm sibi noto modo cognoscendi: nihil enim tale daretur à similibus, propter quod ad ea grauiter oporteret conuerteretur, sicut nunc semper ad aliena. Numquam decernit, eo modo adhibere uim ad mouendum, quo cum similium uniuersitate adhiberet: est enim iam seorsum, in consortio alienorum. Numquàm eam,

quam illa in primis, & propriè maximè, operatur operationem: quî enim possit, nisi eat ad illa, soluens se ab alienis? Ne scit quidem eorum quidquam: scientia enim nunc, est possessio imaginũ, formarumq; motuũ, redditorum, dum aliena graues infligerent motus: qui motus omnes ut laboriosè recipiuntur, sic laboriosè, infeliciterq; retinentur. i nunc, & iacta scientiam. Cùm autem sociatus suis, expeditus hinc, agitabit cum illis, si procul erit ab his, quæ mutant, certè nihil senserit umquàm tale: neque enim sentiat, quod non tangat: nihil simile uoluerit, quia non erit necesse consulere malis: nihil tale operabitur, quia nullum erit alienum, quod ui cõuertat ad se eius motum. Ne attendere quidem poterit à se hæc: nam intereà à suo impetu auerti oporteret, quod numquàm faceret à se. nec tenebit quidem modum conuertendi se ad hæc: sociatus enim suis, iam unicæ tantùm cum ijs uacans operationi, cæteros omnes miserit, obliuionique dederit motus. Tum ne cogitare quidem: si enim cogitaret, cogeret sese, afflictaretque, quod abalienatio esset à suis, atque adeò à se, quando intereà mitteret modum agitandi secundum naturam suam. Quin dico: si sensus sit tantùm ad tactum externorum, hoc est, quæ iam sint extrà, nec iuncta & unum facta: perierit ibi omnis sensus. iam enim non ampliùs tangetur à similibus spiritus, ut ab externis, sed unum cum ijs factus erit, non aliter, quàm nunc secum ab omnibus sui partibus unus est. Remanebit tamen sensus ille internus, secretus, quem superiùs nos significauimus. Sed ratio exposita, & dissimilitudo conditionum, atque caussarum, tantùm ualet, ut etiam quæ media inter extremas, quas diximus, conditione degunt substantiæ, ubi ad alteram paullò magis accedant, (sed sẽper oportet accedãt, quãdo, uti dixi per principia huius secundi sermonis, uerè nullum potest esse tàm exquisitè medium, quin uergat ad alterum extremorum, sitque omninò de genere alterius) alterius nihil tenere sibi uideantur. Proptereaq; hercule spiritus, quãquàm quidquid mutat in hoc corpore, quidquid ducit, quidquid conformat, alienum est, facitque aliter, quàm ferret primariò ingenium inter sua: tamen ipsemet nihil sentire, nihil per se nosse uidetur multorum suorum gestorum: ut de negocio, rationeque coctionis, de of-

 ficio,

ficio comportationis, de magisterio conformationis. Scilicet, quia quamquàm ea talia agens & faciens, cùm alienis habet rē, aliena comportat, aliena tractat: tamen in agendo superat omninò potenter, nec quidquam patitur contrà grauius: tum materiā eam si nō suo in primis proprio, hoc est liberi, modo, tamē suo inclusi modo cōportat & format, nec cū nimio adhuc labore: nunc uerò querit sentire & nosse ea modo hoc, qui solus uidetur notus, qui quidem nō modò alterantium, sed nimiùm id facientium, & horrificè ad se conuertentium est. Alius est is modus, quo ea sua facta nouit spiritus, alterius generis. Hoc quidem nouit teneri se inter aliena, & grauari tamen hoc pondere, & contristari tenebris: quippè quia ea statim nimia sunt. Spectabilis verò res: eodem tēpore substantiam aliquo modo posse uideri sibi, esse se, & aliā. Sed ne quidē earum operationū, quarum uidetur esse sensus manifestus, rationes in se ipso nouit spiritus, hoc est, quo modo mouens se ipse eas ædat. Cur obsecro? scilicet, quia ut exsistat cognitio vel hæc, vel etiam alia quæuis, quę sit aliorū, oportet, ea, quæ sunt cognoscenda, sint etiā disiuncta ab eo, quod cogniturum est: nullum enim potest conuerti ad se se, & intueri tāquàm aliud: duo enim esset oporteret, non unum. Nunc igitur, quamquàm alienos motus cieat spiritus, alienisque modis: tamen ipse est, qui mouetur, quique sese mouet. Itaque nouit fieri à se motus, quippè quia alieni sunt: nouit quodam modo rationes eorum, quatenùs uidelicet ijs uel aliena mouentur, uel alienæ repetuntur formæ: tamen ut ipse se adhibeat ad eos ædendos, & quomodo ædat, in se ipso nosse nō potest. Rursus res pulchra cognitu: quid aliquā operari operationem, quā sciat aliquo modo ex dimidio: hoc est, quantùm per eam alienum aliquid efficiat, alienisque modis: cætera, quæ in se sunt, nesciat. Sic nouit spiritus imaginari se, memorari mouere corpus: modum autem, quo ea faciat, in se non nouit. Ne quidem quî cognoscat nunc uidetut scire, quando interna sua, & in ipso ea est ratio. Volens autē fortè nosse alterum gen⁹ rerū modo, quo nouit alterū, quod quidē fit dū nos studemus nosse ea, quæ se non offerunt his sensibus; nisi fingat ad similitudinem rerum notarum, sicque transferat ad gen⁹ cognitum, non assequatur aliud, ac priuationem cognitionis. tàm alia co-

gnitio rerum alterius generis est. Atque hæc est caussa, qua alias operationum suarum sentire & cognoscere, alias non uidetur spiritus: quam qui nesciat, & aliã quærat, toto erret cælo. *DEVS* meliora, inquies: si enim uera essent, quæ disputas, non essent tàm grata sensibilia, ut sine captatione eorum uiuere nolimus; neque tantopere recrearent, quantùm manifestè recreant: tum cognitio & scientia (ne de ijs sic mittatur) si non essent bonæ, & corrumperent potiùs, uti ais, non tantopere placeremus nobis in illis. Cui ego quid respondeam, nisi exponam caussas eorum, quæ quæris, quando sicut exposui, se habet ueritas? Atque ut incipiam à posteriori: propterea cognitio, scientiaque rerũ multarum, uidentur placere, quia noster spiritus seorsum iã est à similium, cognatorũque uniuersitate, priuatusque est potestate unà cum ea exercendi eam operationem, quæ perfectissima est omnium, quippè quæ motus comprehendit omnes. Dũ igitur multos, & uarios, & exquisitos exercet motus, accedit quodam modo ad perpetuam illam, omnes complectentem, motus continuationem: nauiterque & aptè mouens, utcumque moueat, uidetur sibi dignus cælo, ut est: superansque alios consortes, dignus nobiliore adhuc, quàm illi, consortio. tenens uerò quàm plurimas imagines rerũ, sic saltẽ imaginario cõplexu, quo licet, refert uniuersitatis suæ cõplexũ. Sed labor cõparãdæ, colẽdæq; cognitionis & scientiæ exquisitarũ rerũ, quãtus sit, sit indicio, ꝙ pauci sunt, qui eũ suscipere & ferre uelint; & nisi subinde cessetur, ferre nemo queat homo. In caussa autẽ delectationis istorũ sensibiliũ, afferã id respõsũ, ꝙ miseriorẽ adhuc ostẽdere nostrã hanc conditionem possit. Propterea enim ea placent, non quia uerè, & naturâ spiritui sint bona: si enim alterant, atque mutãt, quî possunt esse amica? sed quia ueniunt ad leuamen maiorum malorum. Ab hoc enim, quo ille coërcetur, & obuoluitur, graui, stupido, obscuro, non modò prohibetur à motu suo naturali & libero, sed etiam premitur omninò, & sensim hebetatur, & stupesit, & contristatur tenebris. Quare ad leuamen malorum suorum, ut se leuet, uegetet, & exhilaret, uel cum labore ciet, captatque, quoscũq; potest, motus, modò ne iniustè afficiant; & captat species rerũ. Sic agitat subinde artus, & ciet sonos, captatq;, & à mitibus qualitatibus ciborũ tagi amat. Lux certè aurea res ei est,

& qua etiam cùm hinc emigrârit, naturaliter quidem, nihil ipsi accidere possit præstantius: sed nunc eius quoque rei respectus miseriorem ostendere hanc suam inclusi conditionem potest: cùm quidem eam serenam, quæ sit tàm amica, tamq; adamata, non modò foedatam ferè excipit alienis speciebus, sed etiam extrinsecùs ad se quasi in obscuram cauernam uenire conspicere solet: & quia alioqui ea priuatur, cum molesta attentione, & ferè cum laborioso sensu, ea fruatur necesse est. Cum molestia enim coniuctum esse eum fructum, sit argumento, quòd etiam à lucis aspectu subinde retrahamus nos oportet. Solares autem radios statim rectà ferientes non possumus ferre oculis, quia nõ dum tantus gradu est spiritus, qui perfectione nobilissimas naturas adæquet. Vbi uerò magis adhuc perfectus de hoc corpore euolârit, seque etiam nobilioribus cognatis sociârit, si eo loci erit, quo contraria sint procul; ibi uerò immutatus, incorruptus, suoque statu fruens, usque à similibus fotus & uegetatus, & lumine æternùm exhilaratus; integer, æquus, clarus, hilaris, conuenientissimam, iucundissimamq; exercens operationem, summis omnibus fruens bonis, nihil extrà quærens ampliùs, nunc incomprehensibili uoluptate, perpetuùm agitabit.

PERORATIO.


HAEc habui, *REX* Serenissime, quæ naturali philosophia magistra scriberem tibi de natura hominis, déque humano spiritu. Qui quidem spiritus si est ea ipsa anima, cui à *DEO* (modò custodiat eius legem) fruitio coelestium bonorum promissa est: & pro cuius salute *CHRISTVS IESVS DEVS, REX ET DOMINVS NOSTER*, mortuus est: statuendum nobis christianis, eum, *DEO* sic prouidente, potentia naturam superante, sub hoc corpore ab omni ui impetentium seruari omninò incorruptum: & post discessum à corpore habiturum eam sortem, quam ipse

dederit

dederit DEVS. Sin ea non est, sed alia illa est, quæ spiritui præsit, atque imperet, quibuscumque tandem id fiat modis: fatendum, illam alteram incognitam esse naturæ, neque ullis naturalibus rationibus posse haberi, uel qualis sit eius substantia, uel quo modo utatur hoc spiritu. At tamen nos in hoc spiritu, ut fortè substantia ei subdita, & ut famulo optimè obsecundante, (instrumentū.n.hunc tantùm esse eius, ut plerique dicunt, recipi nullo modo debet) illius incognitæ functionum, quas imperando, & præsidendo obeat in hoc corpore, rationes cognouimus: ut spes sit, nulla in parte ab re sumptū, aut ullo modo inanē meum laborē uisum iri. Quidquid autē præstiterim, si te, REX regum optime, & humanissime, non illibenter legisse cognouero, fuerit dignissima caussa, qua alacriter pergam ad cætera, quibus rem physicam & medicam, plerisque in locis adhuc tectas obscura caligine, pro uiribus illustrare paro: etiamque incitamentum, (id, quod maximè cupio) properem uenire Cracouiam, ut quæ de te feruntur egregia, quęque nunc uideo animo, præsens uideam: & si tibi accipere libeat, tradam me in regiam istam manum uirtute & fide præstantem. Intereà absens precor tibi eam fortunam, quam uirtus meretur tua: ut quemadmodum præclarè cœpisti, & usque ad hoc tempus processisti, sic in posterum semper felicissimè persequare: & (quæ iam spes est in te uno) nostram rempublicam à ferarum gentium immanitate reddas tutam, ac securam. Aue, & uale, & rem benè gere.

FINIS.

Errata quædam.

pag. 7. uerſu 11. quibuſque. *lege*, quibuſque.

pag. 8. loca citata linea altiùs, quàm par erat, aſcenderunt.

pag. 12. *uerſu* 31. Hec. Hæc.

pag. 13. *uerſu* 21. molitiem. mollitiem.

pag. 15. *uerſu* 31. uon. non.

pag. 16. *uerſu* 18. qnoquo. quoquo.

pag. 23. *uerſu* 3. à ſe enim qui mutent genus? *reſtituo*: ſed à ſe qui illud faciant?

pag. quæ habet numerum (eſt enim erratum ab operis etiam in apponendis numeris) 46. *uerſu* 31. At motus actio eſt. *reſtituo*: At motus actio tantùm tibi eſt.

pag. 69. (*ſed per errorem eſt*, 96.) *uerſu* 1. ipſæ. ipſa.

eadem pag. uerſu 37. neque licentiæ. *lege*; neque iuris, neque licentiæ.

pag. 118. *uerſu.* 24. Nouit tantûm. *lege*: Nouit ferè.

& uerſu 29. nihil ſentit. *lege*: nihil umquàm ſentit.

& adde: uidelicet, quod purè & ſyncerè ſit eorum.

pag. 119. *uerſu* 27. ut etiam quæ media. *lege*: ut etiam ubi media.

& uerſu ſequenti: ubi ad alteram. *lege*: atque ad alteram.

pag. 120. *uerſu* 36. rerum notarum. *lege*: rerum eo altero modo notarum. *deinde*: ſicque transferat ad genus cognitum. *lege*: ſicque transferat ad genus illud.

Cætera leuiora erunt.

AD CRITICAM DISSERTATIONEM *DE ABUSU* CHINÆ CHINÆ

Mutinensibus Medicis perperam objecto

A CLARISSIMO QUONDAM VIRO

BERNARDINO RAMAZZINO

In Patavinâ Universitate Practicæ Medicinæ Professore Primario

RESPONSIONES JATRO-APOLOGETICÆ

FRANCISCI TORTI

Medici Mutinensis.



MUTINÆ MDCCXV.

Typis Bartholomæi Soliani Impressoris Ducalis.

Superiorum Permissu.

ALMO, INCLYTOQUE
CLARISSIMORUM, ET DOCTISSIMORUM
MUTINENSIUM

MEDICORUM
COLLEGIO

FRANCISCUS TORTUS
S. P.



Uas ad Criticam Viri Clarissimi Ramazzini *quondam nostri Dissertationem*, De Abusu Chinæ Chinæ, *intuemini Responsiones meas*, Collegæ Doctissimi, *hæsi aliquandiu anceps an scriberem: hæsi diutiùs, postquam conscripseram, magis anceps an promulgarem. Re tandem apud memetipsum seriò perpensa, ad tria potissimè illas me adornasse novi; ad tutelam nempe meam, ad decus Vestrum, ad bonum Reipublicæ. Ex his quod meum est, Viri defuncti Manibus litandum facilè credidi: non ita facilè, quod Vestrum, quod Publicum. Equidem quic-*

quid in Scriptis legitur extincti Professoris, quod Dignitati Vestræ minùs conveniat, communive officiat utilitati; id omne ex infelici quodam mei calami Fato, velut ex malo fonte, tum Vobis, tum quibuscunque illud detrimento fuerit, dimanasse, persuasum est mihi: mea etenim si quondam de hac materia siluisset Minerva rudis, & citra venustatem veridica; nullus dubito, quin & Clarissimi Opponentis siluisset affabrè compta, & Censoria simul Majestate gravis: nec alio fortasse nomine Vos, imò Nos conjunctim omnes, immeritò quidem, criminatus est, nisi ut me unum, quasi cæteros seducentem, perstringeret, qui me unum seorsum perstringere quodammodo veritus est, Criticus Auctor. Idem propterea, qui, prima spectata mali scaturigine, Vobis æquè, ac publicæ Rei quadantenus obfuit, dum prodesse credidit, calamus meus; damna præter intentionem illata æquum est ut rependat: siquidem judicio Vestro acri, & limato id congruum censeatur. His de causis Scripta hæc mea, qualiacunque ea sint, in manibus tandem Vestris posita volui, Vestro subjecta examini, Vestroque planè arbitrio relicta; ut sortem quamcunque illis destinarint Fata, nanciscantur a Vobis; lucem quoquè publicam Vestris primùm ex placitis receptura, si Literatorum, Ingenuorumque conspectu haud prorsus indigna reputaveritis; sin minùs, nativis in tenebris latere contenta, nec vitam habitura, nec nomen. Quòd si ea, faustis fortè sideribus obstetricantibus orta, Vestro humaniter probentur calculo;

culo; nil postbac illis metuendum credam ab Aristarchis, aut Momis, postquam inter res Vestras Profanis intemerandas fuerint cooptata, nec ad me ampliùs, sed ad Vos tantùm, qui auctoritate non minùs præpolletis, quàm robore, ipsorum defensio pertineat. Si verò ex adverso tenues hi conatus mei, sive ut oneri suscepto impares, sive ut Opusculum levidense nimis, sint Vobis despectui; accepta saltem sit, precor, hæc ipsa mea grati animi erga Vos, erga Patriam studiosa propensio. Valete ad annos Nestoreos, VIRI DOCTISSIMI, *per quos jugiter bene valet Civitas nostra.*

Dabam ex Museolo meo Idibus Octobris MDCCXV.

APPRO-

APPROBATIO
ALMI COLLEGII D.D. MEDICORUM
Civitatis Mutinæ.

RESponſiones Jatro-apologeticas a Viro Clariſſimo D. Franciſco de Tortis, SERENISSIMI DUCIS Medico, & Almi Collegii D. D. Medicorum Mutinæ Priore, cùm ad Patriæ decus, tum ad publicam utilitatem conſcriptas, atque ob id etiam univerſo eorumdem D. D. Medicorum Collegio, cui eas humaniter obtulit, quàm maximè acceptas, luce ſtatim publicâ (cæteris, ad quos id pertinet, annuentibus) ipſius Collegii expenſis eſſe donandas, omnes ejuſdem Almi Collegii Doctores unanimiter decreverunt

Hac die 18. Octobris 1715.

Joannes Maninus Inclyti Collegii D. D. Medicorum Mutinæ Cancellarius de Mandato.

Cum

CUm Librum, cui Titulus -- *Ad Criticam Dissertationem De Abusu Chinæ Chinæ, Mutinensibus Medicis perperam objecto a Clarissimo quondam Viro Bernardino Ramazzino, in Patavinâ Universitate Praticæ Medicinæ Professore Primario, Responsiones Jatro-apologeticæ Francisci Torti Medici Mutinensis*, -- ex Mandato Reverendissimi Patris Inquisitoris Generalis Mutinæ attentè legerim; cumque omnia consona Catholicæ Fidei, bonisque moribus in eo, multâ doctrinâ, modestiâ, veritate, ac eruditione referto, observaverim; idcirco posse ad publicam utilitatem imprimi, si iis, ad quos spectat, videbitur, censeo.

Datum in Monasterio S. Petri Mutinæ die 27. Octobris 1715.

D. Maurus Alexander Lazarelli Monacus Casinensis Sanctiss. Inquisitionis Consultor.

Imprimatur.

Ego Fr. Joannes Philippus Monti Sacr. Theolog. Magister, & Inquisitor Generalis Mutinæ.

Vidit

Carolus Barberius.

IN hujus Divini Remedii laudes non effundar, cùm ſe ipſum ſatis commendet.

Ramazzin. de Chinâ Chinâ verba faciens Orat. 3. Jatr. argum. pag. 103. Edit. Patav. 1708.

IDem hæc non acriùs accuſavit in Senectute, quàm antea defenſitaverat. Quamvis igitur fuerit acutus, ut fuit: tamen inconſtantiâ levatur auctoritas.

Cicero de Antiocho Philoſopho ſermonem habens in Lib. Acad. Quæſt., qui inſcribitur, Lucullus.

PROLUSIO AD DISCEPTATIONEM UNIVERSAM, *ET* Scribendi Occaſio.



Ix ſub extremos Octobris dies anni proximè elapſi 1714. ad captanda bidui ſpatio , ne completi quidem , ruris otia ſeceſſeram , cùm mihi fortè ab Amico favente communicatæ, in manus incidêre Conſtitutiones Epidemicæ Mutinenſes Clariſſimi quondam Viri D. Bernardini Ramazzini , menſe Julio ipſiuſmet anni Patavii recuſæ, additâ ad calcem novâ Diſſertatione Epiſtolari ejuſdem Auctoris *De Abuſu Chinæ Chinæ Ad D. Bartholomæum Ramazzini Nepotem ſuum Mutinæ Medicinam facientem*. Conſtitutiones ipſas ſicco, ut fatear, pede prætergreſſus , ut qui primam earum editionem aliàs luſtraveram , in Diſſertationem tantùm adjectam curioſos oculos ſtatim conjeci eâ ſpe , ut argumentum nec parvi ponderis , nec modicæ utilitatis , quod pridem & ipſe in Therapeutice meâ Speciali enucleandum aſſumpſeram , rurſus a Viro Cl. majori ſaltem venuſtate , majoriq; eruditione abſolutum intuerer. Sed meam profectò non parum fefellit expectationem eventus ; non enim Chinæ Chinæ abuſum tantummodo jure , ac meritò reprehenſibilem, in eâ Lucubratione damnatum legi (cujuſmodi vitium , nedum obiter pluribus in locis Operis mei, ſed ex profeſſo per integra Libri Capita, indicatis ſingillatim cunctis erroribus & ipſe perſtrinxi) verùm etiam inviſo abuſus nomine uſum ipſum rationalem , atque methodicum, non ſinè plurimâ quidem admiratione , haud raró notatum vidi , vaniſque potiùs, ſi fas eſt dicere, terriculamentis , quàm rationibus , ſinceriſve experimentis, a Viro cæteroqui doctiſſimo tentatum ubique, acriterque perſæpe etiam rejectum.

Præconceptam adhuc admirationem id magis adauxit , quòd Vir Clariſſimus iſtiuſmodi abuſus crimen, de quo potiori forſitan jure plurimas alias Regiones culpare poterat, Mutinenſi duntaxat Urbi, quam diu coluit loco Patriæ, fidenter objecerit ; & quidem fide nixus unius tantùm præoccupati Relatoris, huic Remedio tunc temporis plus quàm par fuiſſet infenſi , dolens uſque adeò ſcandalum hoc , atque perinde ingemiſcens, ac ſi de immani Civium omnium ageretur excidio. Hac

idcirco, utinam non affectatâ, solicitudine percitus, totum ferè Mutinensium Medicorum cœtum vehementer impetens, ac de enormi Chinæ Chinæ abusu usque ad quotidianam Ægrorum internecionem Paragrapho 48. suæ Dissertationis insimulans, spretâ quasi ut pusillâ, vel ut imbelli hac multitudine, minimè veritus est *in cavernam*, ut ajunt, *formicarum inspuere*: cum alioqui *multos caveat sit necesse, qui singulos non metuit*. Nihil tamen ex his, fateor, tanti penès me valuit, ut proinde præcipitem illico manum calamo admoverem: neque enim mea tunc interesse credidi, Medicos omnes conterraneos ab opposito crimine vindicare, multòque minùs refellere quemlibet de Peruviano Febrifugo malè sentientem, quantumvis immeritò. Præterquam enim quòd nimis operosum hoc foret, tanta insuper mei ipsius me non tenet fiducia, ut alios, qui sui planè sunt juris, placitis meis acquiescentes audacter velim, aut a propriis dimovere arroganter contendam.

Id unum præ cæteris nequivi aut satis mirari, aut tacitus præterire, Cl. nempe Virum, quem paulò ante in Therapeutice meâ non ampliùs, ut olim in Constitutionibus suis Epidemicis, Chinæ Chinæ parum propitium, sed mutatâ sententiâ maximum hujusce Remedii Patronum, imò & argumenti mei Fautorem asserui pag. 637. ad pag. usque 641, ab hoc ipso asserto, palàm, & publicè a me ibidem promulgato, adeò discrepasse in hac nuperâ Dissertatione, ut non modò quicquid Peruviano Cortici adversum in iisdem Constitutionibus protulit, in hac Dissertatione confirmarit, verùm etiam hanc, illis recèns recusis velut quid planè cohærens annexam, ulteriori contra hoc Remedium, meamque Praxim sinistrè detortam asperserit acrimoniâ. Quæ sanè omnia apud Lectores Operis mei, quibus fortè minimè visæ sint Viri Cl. Lucubrationes, liberalem Chinæ Chinæ usum adusque sidera efferentes, me jam vel inconsultæ levitatis incusant, si mentem illius haud satis attigisse dicar, vel aperti mendacii, si de industriâ credar contemerasse.

Turpes hasce notas haud leviter perhorrescenti cum se mihi obtulisset illud Boetii *De Consol. Phil.*, eos nempe, *qui crimen aliquod affixum ferunt*, *videri meruisse*, *quæ perferunt*, ne silentio meo propriæ simul existimationi viderer deesse, & publicæ, quæ magis cordi esse debet, utilitati, rem totam in propatulo ponere evestigio decreveram, quippe de Cl. Viri scriptis æquè ac de meis, nec non de quocumque controversæ praxeos usu intimè conscius, ut versatilem, sed malè tornatam illius, *modò Palliati*, *modò Togati* opinionem, incudi quoquè meæ paulisper redderem. Qui itaque gregarium quemlibet, Sciolumque contra scribentem, vel sibimet adversantem nequaquam fuissem moratus, nec unquam morabor, a censurâ nihilominus Famigerati Scriptoris, sua simul & mea in detrimentum Reipublicæ infirmare molientis, haud modicè, ut par erat, timendum duxi; ne scilicet ii saltem terrerentur, quibus Causæ integræ momenta minimè perspecta essent, neve beneficium, quod Praxi Medicæ deferre fueram conatus, in suspicionem intentati maleficii veniret. In id autem tria potissimùm assumpseram demonstranda: *Primò* nempe, Virum Clarissimum,

sicuti

ſicuti in enunciatis Conſtitutionibus ſuis parum amicè ſenſit de Cortice Peruviano, ut videre eſt in Conſtitutione anni 1690. num. 15. & num. 47., & in Conſtitutione unicâ trium annorum 1692. 93. 94. num. 32., & num. 56. (ſiquidem in Conſtitutione anni 1691. illum commendaverat num. 34. & num. 37.) ita poſtmodum conſtanter per annos tredecim ſubſequentes, nempe ab anno 1700. uſque ad 1712. incluſivè, quo tempore meum Tractatum edidi, mirificè non ſolùm, ſed & magnificè ſenſiſſe de eodem Febrifugo, ſolemniterque pluries, ac pluries ſcripſiſſe oppoſitum, ac ſcripſerit tam in illis Conſtitutionibus, quàm in nuperâ Diſſertatione; ipſum videlicet Corticem, ejus uſum, & repetitum, & liberalem, ejuſque vim ſuper omnia, quæ hactenus innotuerint, Febrifuga eximiam, miris laudibus abſque ullâ limitatione deprædicando, & connumerando inter potiora, humanoque generi magis proficua divinæ munificentiæ dona: *Secundò*, Virum eundem in hac ſuâ Diſſertatione, ubi iterum labitur in priorem, imò & pejorem ſententiam, in hoc probabiliter aberrare, quòd nonnullis in rebus verè rationabilibus, & bonæ praxi conſonis, in quibus non ſinè lepore quodam affectat oſtentare ſemetipſum a me non modicè diſcrepantem, tantum abeſt ut verè diſcrepet, quin potiùs illa eadem volens nolens repetat, confusè licèt, quæ ipſe ordinatim, ac per extenſum in Opere meo priùs exaraveram: quod ſanè a me non parvi faciendum, ob ſpectabilem cæteroqui Viri Famigeratiſſimi auctoritatem, ubi ea mecum vel invita coincidat: *Tertiò* tandem, eundem Scriptorem, ubi revera diſſentit a me, non modò hallucinari perplurimum, & a meliore praxi deflectere, ſed & æquè diſſentire a ſe ipſo, ſuiſque publicis aſſertionibus, imò (tribuat id quivis ætati, impeditæque valetudini, libenter annuam) ab ipsâ ſæpius Facti veritate. Id elucеſcit quàm maximè, ubi adductis in medium peculiaribus caſibus Denatorum, qui Viro Cl. mihi ſocio, quandiu ægrotaverunt, curæ meæ fuere commiſſi, Chinam Chinam, quam ne per ſomnium quidem iiſdem præſcripſi, ſi non apertè obitus illorum Ream, enervem ſaltem, atque fruſtraneam conatur oſtendere ad ſanandas Pernicioſas eorum Febres, quas olim pro præcipuo meæ Therapeutices argumento ſelegi, & pro objecto activitatis Chinæ Chinæ, adversùs eas in ſummis etiam anguſtiis, lethalibuſque circumſtantiis eximiæ.

Jamque manum Operi cœperam admovere, crebriſque memoratæ Lucubrationis marginem univerſum conſperſeram notis, ut iiſdem poſtmodum ordinatè digeſtis uterer ad concinnandam longiuſculam Diſſertationem: cum ecce nil tale expectanti delatum eſt mihi nuncium infauſtum de Obitu Viri Cl., repentino (quod verè dolendum) fato ſublati Nonis Novembris ejuſdem anni 1714., dum octogeſimum primum ageret, felici etiamnum pollens mentis acumine, ætatis annum. Caſus profectò iſte planè inopinatus ab incœpto opere calamum ſtatim retraxit, ne ſcilicet Viri Celebris, mihique aliàs amiciſſimi Manibus, cineribuſve adhuc tepentibus infenſus viderer, quaſi cum Protogene mortuo bella gerere ſatagerem, aut Leoni exanimi barbam vellere: cum ea præſertim in hujuſcemodi contentionibus, ubi nonnihil aſperè

lacessitus quis fuerit, difficillima sit temperantia, quæ omnem excludat acerbitatem; *quid enim est*, ajebat Tullius, *quod contra vim, sinè vi fieri possit?* Seposito itaque consilio Dissertationem animo jam conceptam condendi, & cuncta, quæ sparsim annotaveram, ita contexendi, ut Auctorem salibus, dicteriisque ditissimum, ubicunque me confricasset, vicissim refricando, servatâ semper utriusque dignitate, pro ingenii viribus retaliarem (si namque illi Machæra aderat, nec mihi deerat Veruina domi) decentius, ac laudabilius duxi, ipsas tantummodo Animadversiones, seu Responsiones meas, non quidem nudas, quales a primordio mihi excidêre, sed eousque tantùm adauctas, quoad fert mera, & inculpabilis defensio mea, insimul consarcinare, eodem planè retento contrariæ Dissertationis ordine, quæ me certè præ aliis Urbis hujus Medicis, etiam (si fas est dicere) nonnihil intemperanter, vellicat.

Hanc quoquè nihilominus operam, extincto Antagonistâ, multò magis ac antea facilè dimisissem, si de unâ meâ ipsius tutelâ actum fuisset, præsertim ne viderer partæ in re medicâ, & in cultiori Philologiâ Viri Cl. gloriæ invidere. At (quæ & ab initio potissimè ad scribendum me impulit causa) cum de totius agatur negotio Reipublicæ, cujus vitæ, aut incolumitati necesse est modò, ut alterutrius nostrum noceat sententia, hanc idcirco Provinciam minimè deserendam censui; imò potiùs eidem aperiendum esse Reipublicæ, quanam ex parte lateat error, & quanam veritas: id quod, omni semoto vilis ultionis, aut turpis cujuslibet æmulationis affectu, mihi planè licere crediderim. Et sanè quidni liceat, cum idipsum religiosissimi doceant morum Censores? quos tamen hìc immiscere minùs opportunum putassem, nisi priùs Cl. Auctori longè leviore de causâ (ut scilicet vanum quemdam Seculi morem piè sugillaret) placuisset uti auctoritate Sanctorum Patrum §. 49. suæ Dissertationis. Unam igitur inter tot, quæ prostarent, huc libet transferre D. Basilii sententiam, nedum permittentis, sed & expresè monentis, ad criminationes hujusmodi (sunt hæc illius verba) *tacendum non esse, non ut contradicendo nos ulciscamur, sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus*: quod quidem hìc maximè videtur cavendum, ubi fallacia dogmatis, auctoritates vel nullius ponderis, vel mutilæ, minùsve sinceræ, & apocryphæ tandem narrationes (omnia namque singillatim ostendentur talia) damnosam facilè praxim valerent in Artem inducere. Quæ cum ita se habeant, ut in progressu poterit sensim dignoscere quilibet etiam in re medicâ nequaquam versatus, ipsius potiùs indigentiam rei, quàm vota mea me expleturum dicam, si positis in mutuum conspectum rationibus a nostrum quolibet hinc indè deductis, Opus tandem meum defendere mihi haud difficulter obtingat, nebulasque omnes perfectè discutere, quas eidem Operi, sive directè, sive indirectè, offundere visus est Cl. Auctor. Vindicato autem a velitationibus, imò & cavillationibus Viri Celebris Tractatu meo, minutiori postmodum obstrepentium, aut objurgantium plebeculæ, de quâ sanè minùs laboro, quàm de Ranis palustribus, videbor mihi quodammodo fauces præclusisse.

Sic &

Sic & publicam utilitatem, & rem meam, & Collegarum tandem meorum, imò Patriæ totius dignitatem unà tuebor. Nec proinde mihi tam justâ causâ compulso, neque lædere quemquam, sed respondere meditanti, severior quispiam Judex audeat obtrudere,

Nullum cum victis certamen, & æthere cassis

unquam probari. Occurram namque verbis Erasmi, & potiori quidem jure, ac pro suâ Causâ occurrerit olim, aut decertarit Erasmus ipse Apologiâ ad Libros prædefuncti Alberti Pii quondam Carpensium Principis, quæ sic habent, *Vehementer invidiosum habetur scribere in mortuos, & ut ajunt, cum Larvis luctari. Sed quid facias, si in te scribant mortui, & impingant apud totius Orbis Tribunal, ad quæ connivere* non decet? *Valeat proverbium, Non esse luctandum cum Larvis, nisi contra proverbium mordent mortui. Fugit Apis; sed in vulnere reliquit aculeum. Non est, quem referiam; sed est, cui medear.* Est, cui medear, inquam: patriæ quippe Academiæ dignitas læsa (ut singula recolligam) vulnerata commentitiis saltem in historiis veritas, & periclitans ob panicum terrorem incussum tot Ægrotantium salus, medelam profectò nullis dissimulandam officiis expostulant.

Priusquam tamen pensum hocce peragere aggrediar, Febrifugique insontis æquè ac benefici partes suscipiam, a proposito minimè alienum putarim, generalem quandam æquivocationem, in scriptis Viri Cl. passim obviam, de medio tollere; quâ nimirum detentus ille, conatus suos vel minimè ad rem, vel prorsus inaniter exerit, Securim, ut est in adagiis, adhibens ad reserandas fores, & Clavem ad findenda ligna. Ejusmodi autem fallacia nullo statim negotio submovebitur, ubi quis animadvertat, Remedia medica duplici respectu posse pro noxiis, aut saltem pro suspectis haberi, nempe, vel ratione sui, vel ratione inopportunæ administrationis, sive deinde hæc referatur ad morbum, sive ad tempus, quorum alterutri remedium non congruat, sive ad utrumque. Priori modo suspectus, aut noxius esse poterit usus exempli gratiâ Medicamentorum Purgantium, præsertim validiorum, ob solam videlicet acriorem, & irritantem eorum substantiam ex se nocendi capacem. Altero autem modo, scilicet ratione intempestivæ administrationis, non solùm Purgantia, Narcotica, aliaque plura, quæ utramque certè exceptionem patiuntur, sed præterea quotquot sunt in Medicinâ remedia, quotque in Mundo alimenta, possunt obesse. Atque hoc nomine minimè negaverim, ut pluries fassus sum in Opere meo, suspectum nonnunquam dici posse usum Peruviani Corticis, quantumvis ille cæteroqui sit revera Remedium supra omnia Pharmaca, tum mitissimum, & suapte naturâ prorsus innoxium (quippe quod sinè humorum perturbatione, spirituumve irritamento, aut dissipatione, suum munus absolvit) tum etiam efficacissimum in eo præstando effectu, cui illud præordinavit, cùm condidit, Divina Bonitas, scilicet in sistendis, atque delendis Febribus illis, ad quas extenditur ejus activitas. Adeòque si vis huic Febrifugo ingenita, efficax, & ex se nunquam inanis, transferatur ob nimiam Medici confidentiam, aut imperitiam, ad alios usus extra illius ditionem sitos, vel

etiam ad ordinarios quidem, ſed quorum non ſit rationabilis opportunitas, eo certè caſu, vel inutile illud evadet, vel fortè noxium; non quidem ratione ſui, ſed ratione adminiſtrationis minùs caſtigatæ: ſi videlicet, vel in Febre, quæ ſuapte naturâ ipſius Corticis medelam reſpuat, uſurpetur, vel in eâ, quam fortè ſupprimere ſit nefas, utpote *depuratricem* Fluidorum, & *cujuſdam quaſi lixivii loco* (ut in eodem Opere meo locutus ſum pag. 143., & alibi) *ſordes ſanguinis verè abluentem*, vel denique in eâ, quæ ex unâ parte nondum debitam maturitatem acquiſivit, & ex aliâ nullum adhuc portendit periculum, vi cujus ad ſuppreſſionem, aut extinctionem illius ſtatim, ac præmaturè ſit deveniendum. Hæc profectò Medicis incautis nonnunquam haud ſatis perſpecta, nonnunquam etiam ante præcipitem Corticis oblationem neglecta, vertuntur poſtmodum ab iis ipſis poſt oblationem, vel irritam, vel minùs felicem, in crimen, & contumeliam illius, quantumvis inſontis, eoſque ſerò *pœnitet hujuſmodi remedio uſos fuiſſe*, cum potiùs deberet pœnitere, ſe illo perperam fuiſſe uſos.

Contra nonnullis, æquâ licèt hallucinatione detentis, ſors identidem favet oppoſita. Hi namque Febres, nedum Intermittentes, ſed & Continuarum naturam non parum redolentes, imò & quadantenus verè præſeferentes, quovis etiam earum tempore, fortuitâ Corticis oblatione nonnunquam feliciter curant (quod non rarò quidem, ſed non perpetuò contingere debere ſum conſcius) abſque ullo etiam ſubſequente Ægrotantium detrimento: quo fit perſæpe, ut ab iis nimiùm glorioſa, adeòque vana Indo huic Antipyretico texantur elogia; illud videlicet indiſcriminatim poſſe ad Febres omnes, tam Continuas, quàm Intermittentes, quocumque etiam earum tempore ſupprimendas, & cum eventus certitudine, & impunè penitùs uſurpari. Has ob cauſas Scriptores quamplurimi, haud ſatis, ut reor, remedium experti, in Claſſes abeunt oppoſitas, quarum una uni vitio adhæret, & altera alteri; pauci etenim verè ſunt, qui medium teneant iter tutiſſimum, paucis videlicet prælucente, quod Regiam præmonſtret viam, claro lumine veritatis, aut conſtantis experimenti. Nimirum & in hac Gymnade cæteroqui ſatis frequenti,

Plures Thyrſigeros, paucos eſt cernere Bacchos.

Cum verò in praxi frequentiſſima occurrat, vel ſaltem videatur occurrere, adminiſtrandi hujuſce Febrifugi occaſio, frequenter quoquè contingat facillimum eſt, vel quòd uſus in abuſum tranſeat penès audaciores, vel quòd abuſus metu, a recto etiam uſu quis meticuloſus abſtineat, ut de Phlebotomiâ, aliiſque præſidiis in peculiaribus quotidie caſibus videmus accidere.

Abſit ideo, ut auſim quemquam refellere, qui huic farinæ ſuum ineſſe furfurem aſſeveret, ut in vaſtiſſimâ materiâ medicâ cuique farinæ ſuus ineſt, ſive de Remediis Pharmaceuticis, ſive de Chirurgicis ſit ſermo; quibus equidem omnibus uſus rationalis pretium comparat, irrationalis adimit. Hac ego potiſſimùm de causâ hanc eandem farinam, repetitis non ſemel laboribus pluries, ac pluries excuſſam, in Therapeutice meâ jamdudum trajeci. Secrevi quippe, qualis Piſtorum

mos eſt

mos est (siquidem per similia hujuscemodi liceat prolixiùs rem declarare) pluribus veluti distinctis, sæpiusque pertentatis Incerniculis, tum crassiorem, tum tenviorem furfurem, quoadusque purissimum, & planè impermistum illum collegerim pollinem, unde non rubidus, aut secundarius panis,

Sed tener, & niveus, mollique siligine factus

in escam venire potis est quammaximè vitalem, quæ nempe vel prope morituris auxilio sit præsentaneo. Hæc quidem omnia membràtim, ac per gradus me præstitisse reor, materiam universam partitis vicibus minutissimè perscrutatus, cùm primo statim loco Febres *Continentes* omnes, quotquot sunt, tam *Solitarias*, quàm *Comitatas*, tam *Essentiales*, quàm *Symptomaticas*, turmatim a ditione Corticis ablegavi, remanente, pro suscipiendâ illius actione, confertissimo agmine *Vulgarium omnium*, seu *Benigniorum Intermittentium*, quibus tamen nulla fomentum præbeat Viscerum, aut Solidi cujusquam labes. Id ipsum diligentiùs adhuc peragere mihi sum visus, cùm nonnullas iterum Febres, tum Periodicas, tum Periodicis similes, sed suapte naturâ verè *Continuas*, videlicet vel *simpliciter Remittentes*, vel etiam *Proportionatas*, sæpe a proficuâ hujusce remedii administratione sejunxi, retentis iis Periodicis simul, & Continuis Febribus, quæ contra suopte genio verè *Intermittentes*, sed fortuitam quandam continuitatem nactæ, cujusmodi sunt *Subintrantes* omnes, usu pariter Peruviani Corticis prudenter adhibiti haud difficulter fugantur, non ampliùs rediturae. Ultimam denique manum materiæ Incernendæ, Cribro quodam peculiari, & Medicis hactenus ferme omnibus intentato, me imposuisse persuasum habeo, cùm Febrium earundem *Intermittentium* quidem, saltem *ab ortu*, sed nihilominus quammaximè *Perniciosarum*, curationem indigitavi, eodem Febrifugo, certâ quadam, & speciali regulâ ministrato feliciter absolvendam, non modò tunc cùm Febres illæ, moris cæteroqui maximè subdoli, atque maligni, tempestivè possunt dignosci, verùm etiam non raro postquam curantes Medicos decepere, Ægrumque ad id redegere, ut jam totus algens, pulsuque præditus ferme nullo, ac non ampliùs perceptibili, Nyctemerino tantùm spatio distet a morte, nempe a futuro Paroxysmo, citra dubitationis aleam lethali.

Hic sanè hujusce Farinæ purus putus Flos est. Portionibus cæteris, utut summè utilibus, nonnihil tamen tenuissimi saltem Furfuris inesse nequaquam negaverim, idest, ut apertè loquar, non negaverim, locum fortè quempiam Superstitiosis quibusdam etiamnum in illis relinqui ad scrupulositates, ineptias, atque sophismata pertinaciter obtrudenda, ut mercem hanc utilissimam reddant in dies abjectiorem. Atque his, palato meliora etiam nauseante instructis, liberum sit expuere quod non arridet, meque habebunt minimè repugnantem, qualem in Opere meo apertis notis memetipsum spopondi. Minimè verò me talem polliceor, ubi agitur de purissimo, mundissimoque hoc polline, quem postremâ diligentiâ excussum secrevi, & cui ædepol nihil est, quod vel a dicacioribus queat opponi. Cum itaque intentum unicum, vel saltem primarium hoc sit Tractatus mei, docere scilicet recensita-

censitarum Febrium *Perniciosarum* medelam, Peruviano Cortice peculiariter usurpato instituendam, cætera verò reliquas Febres respicientia, sint mera additamenta, cujusvis arbitrio vel ibidem relicta, idipsum est, quod oppositâ, sed verâ, & solidâ adminiculante experientiâ, turpem falsitatis, aut vanitatis notam præseferre deberet evinci. Quòd si quis in Opus meum animadvertens, hoc, quod potissimum dixi, contendat evertere, evincat quoquè simul necesse est, crimen esse in Medicinâ, certò servare hominem cæteroqui certò pereuntem, si per Remedium id fiat quotidie obvium, de quo tamen quis ambigat, an Empyricum illud sit, an Methodicum, & an perpetui, an temporanei tantùm quandoque levaminis.

Materiam hanc universam Farinæ nomine hactenus vocitatam, & recensitâ hucusque sedulitate particulatim secretam. (patere Lector coactum assumptæ semel allegoriæ satis apposité rem explicantis progressum) totam denuo recèns incernere aggressus est Cl. Ramazzinus. Et quidem quicquid ipse partité, nec siné labore segregaveram, ille primò commiscuit iterum, atque turbulenter confudit; dein uno tantùm exilissimo, ac pené imperfosso ad opus suscepto pollinario Cribro, materiâque, quanta illa extitit, nonnisi leviter excusâ, vix tenuissimum collegit Pollinem; non illum tamen, qui meliore pollens substantiâ, in egregium panem solet evadere, sed volatilem illum, qui parietibus, ubi pinsitur, adhærere consuevit, ex quo nonnisi infirmissimus panis confici potest. Præposteram hanc cribrandi, aut incernendi normam visus est ille procul dubio tenuisse, cùm usum omnem Peruviani Corticis *ad unam tantùm, vel alteram Drachmam* contraxit *semel oblatam, & quidem in diuturnis duntaxat Intermittentibus, ad impetrandas aliquot dierum inducias*. Reliquum Materiæ universæ utilissimâ adhuc abundè refertum Farinâ, nomine Furfuris, & recrementi, nedum inutilis, sed & noxii, planè rejecit, imò & projecit. Uno verbo (ut a Pistoriâ tandem ad Medicam Artem rem contraham) in id potissimè nervos intendit, ut quas deleveram difficultates, iterum suscitaret, ne minimùm quidem easdem promovens, crambemque jam coctam recoctioni planè fastidiendæ rursus exponeret. Demum in eo totus fuit, ut peculiaris, distinctæque probationis defectum, quo persæpe laborat, oscitaturque jejuna illius Dissertatio, Rhetoricâ identidem suppleret industriâ, clamans undequaque, declamansque, Americanum istud Febrifugum *non tam facilè, nec tantâ copiâ, ad uncias videlicet integras in Vino infusum, pluries in die, largâque Dosi, ut Mutinæ fieri solet, indiscriminatim esse exhibendum, sed modo adhibito: quandoquidem remedium istud empyricum prorsus, & amethodicum noxas plurimas solet progignere, & ob improprium illius usum, & ob occultam ejusdem malitiam*. Quibus omnibus generaliter, & indefinité hîc illic prolatis, quin plurima insit veritatis species, forsan ambiget nemo; sed facto, ut decet, scrutinio, proh quantum vacuitatis subest, deceptionis, & falsitatis! Si quispiam igitur rumoribus hisce Viri Cl. fortasse præventus, calculum præcocem opinioni illius statim apponendum censuerit (quod consuevit factitare nonnemo

nemo) ſuffragium tantiſper ſuum æquum eſt ut ſuſpendat: *Sceleſtum* ſiquidem, *& crudele judicium eſt, ſi quid ſtatuatur antea quàm cum accuſatione comparata ſit defenſio*, clamat Lucianus *De non temerè credendo calumniæ*, ſubdens inſuper illud Phocylidis,

Ne Judex fueris, partes ni audiveris ambas.

Ad hæc ego reſpiciens, e re fore cenſui, priuſquam ad criticam Cl. Auctoris *Diſſertationem* meas *Reſponſiones* apponam, Propoſitum Lucubrationis illius, æquè ac Therapeutices meæ, ſummatim præmittere, ut ex juxta poſito utriuſque noſtrum germano ſenſu, clariùs indè eluceſcat conſenſus, ac diſſenſus noſter: mox erutis ab eâdem Diſſertatione potioribus textibus Peruviano Cortici infenſis; aliis verò e directo conſitis eidem Cortici apprimè faventibus, quos ex variis Cl. Auctoris Operibus, ante meæ Therapeutices evulgationem editis, placuit excerpere, atque tranſcribere ad literam, quid ab utriſque ſimul collatis reſultet, haud fruſtraneum credidi nudis terminis, & citra fucum exponere; ultimoque tandem loco ipſam Viri Clariſſimi Diſſertationem in Paragraphos conciſam (quam percurrenti ſi fortè alicubi hæreat aqua, ſciat is, primi Exemplaris, non ſecundi, prout jacet illud hîc adamuſſim recuſi, id eſſe vitium) cum Notis meis membratim reſpondentibus, pro pleniori, nedum Profeſſorum Artis, ſed & aliorum quoquè Eruditorum notitiâ ſubnectere. An verò per hæc omnia neverim quod Colo aptavi, ſcilicet an ſatis oſtenderim, cæſim licèt, ac interruptè, Virum Cl. *malo ſuo* (quod ajebat Seneca *De Vitâ beatâ*) *vim ſuam exercuiſſe*, ipſumve clarè demonſtrarim vel præter intentionem nonnunquam conſentientem mihi; cæterum præter rationem prorſus, & a me, & a ſe, & ab ipsâ re diſſentientem, *Judicet*, ut verbis illius utar, *Judicet*, inquam, *cui cor ſapit*.

DISCRE-

DISCREPANTIA

INTER

Clariſſimum Ramazzinum, & Me,

SIVE

SUMMARIUM

Propoſiti Cl. Ramazzini, ex illius Diſſertatione fideliter excerptum.

OPinatur ille in hac Diſſertatione (quidquid aliàs ſenſerit) Chinam Chinam poſſe obeſſe Febricitantibus, tum ratione intempeſtivæ ſuppreſſionis Febrium, tum etiam ratione *malitiæ* cujuſdam *occultæ* illi inſitæ, quam pluribus in locis innuit, ſed nuſquam probat. Ex eo pariter quòd *occulta* ſit *virtus febrifuga* illius, arcanuſque modus, quo ipſa operatur in nobis, cum nullam ſenſibilem pariat evacuationem; imò ex eo quòd in Europâ quicquam ei analogum non reperiatur in Vegetabilium familiâ, concludit ille, rationalem eſſe non poſſe

Propoſiti mei ſaltem præcipui, ex Therapeutice meâ Speciali fideliter excerptum.

OPinor ego in Opere meo, Chinam Chinam nonnunquam obeſſe poſſe, ut poſſunt omnia Remedia ſelectiora, omneſque etiam cibi, quantumvis optimi, ſi *intempeſtivè* illa uſurpetur, hoc eſt ſi per eam aliquando ſiſtantur Febres, quas expediat omnino ſinere progredi, vel ſi ſiſtantur præmaturè, quæ ſeriùs tantùm eſſent ſupprimendæ. Poſſe verò ipſam obeſſe ob *malitiam occultam*, quam habeat, vel ex eo quòd *arcana* ſit illius *virtus febrifuga*, nedum non conſentio, ſed oppoſitum rationibus, auctoritatibus, & experimentis ſatis abundè conor ibidem oſtendere.

Illam in Intermittentibus omnibus admittò quidem, cùm adeſt indicans; ſed ut ab aliis vel invitè admittatur inſudare detrecto: neque enim hic eſt Therapeutices meæ ſcopus præcipuus. Hanc unam tamen limitationem adjunctam volo, ut ſcilicet Febres hujuſmodi tunc ſolùm curentur Peruvia-

posse hujusce Corticis usum, sed merè *empyricum*, & *amethodicum*. Experimenta enim, ad explorandam ejus virtutem antifebrilem hactenus instituta, etsi planè non improbet; plurimis tamen hallucinationibus putat obnoxia, ut indè nil utilitatis quis valeat eruere.

Illam æquo animo nusquam admittit, nisi in *diuturnis* tandem *Intermittentibus*, salvis etiam limitationibus infra recensendis: & quidem semel tantùm exhibitam *ad Drachmam unam, vel duas*, ad impetrandas aliquot dierum inducias, ut nonnihil reparentur vires, quemadmodum fieri solet oblatione Opii ad sedandos dolores. Cæterum usum repetitum, aut diuturnum improbat, ne illo scilicet impediatur recursus Febrium, quas iterum expectandas, exoptandas, imò & excitandas dicit remedii loco; nisi enim redeant, malè consultum putat rebus Ægrotantium: ignem nanque febrilem penès prudentes Medicos suum usum habere, novum

ruviano Cortice, quando naturam *Corruptivam* habeant, vel sensim adipiscantur; secùs si *Depurativæ* sint, vel tales probabiliter sint evasuræ: tunc enim Febres sui ipsius, suæque causæ Remedium esse sum falsus. Adeòque ferme ridicula Quæstio est penès me disputare, an Febris aliqua curanda sit ope Chinæ Chinæ, an *alterius* cujusvis *Specifici Febrifugi*; si etenim ea verè sistenda sit, nec meliùs, nec certiùs id assequi licet, quàm usu Peruviani Corticis. Sed prudentis Medici est potiùs quærere, ac seriò perpendere, num verè eam Febrem sistere expediat, & an eo tempore, an alio; quod ex dignotione Depurativi, aut Corruptivi Febrium generis planè dependet. Quomodo autem dignoscantur ab invicem hujusmodi *Depuratoriæ*, aut *Corruptivæ* Intermittentes, ibi per extensum docentur Tyrones.

Et quia ego relapsum Sanatorum in pristinas Febres, quas Corruptrices censui, cùm Chinam Chinam præscripsi, prohibere conor pro viribus; idcirco Remedium semel oblatum, pluries cum moderamine repeto. Dosis tamen mea minimè transcendit in hujusmodi Febribus dosim *vulgarem*, imò pluribus etiam vulgaribus *parcior* est. Primus siquidem haustus non excedit unquam *Drachmas duas*, quod summum est. Alias *sex Drachmas* ad summum pariter impendo *trium hebdomadarum spatio* ad præcautionem. Atque ita quantitas universa *unciæ unius* pondere continetur. Nonnunquam etiam, ubi lentiorem curationem citiori præferendam putem (ut si præ tolâ Febrium diuturnitate Chinam Chinam

novum non esse commemorat.

Liberaliorem illius usum in quibusvis casibus apertè damnat. Et licèt de hoc generaliter tantùm, & nonnihil etiam hyperbolicè loqui videatur, quasi pro certo habeat, exuberantem admodum Chinæ Chinæ profusionem fieri *Mutinæ* (Urbem quippe hanc inter tot reprehendendam seligit) quia tamen nulla alia uspiam reperitur taxatio licitæ dosis, quàm supra recensita unius, vel duarum ad summum Drachmarum, quamlibet idcirco dosim, quæ hanc excedat, ab eodem damnari censendum est.

Quamvis autem, ut dictum superiùs, in Febribus Intermittentibus, tunc solùm cùm illæ nimis protractæ Ægros fatigant, Drachmam unam, vel duas Peruviani Corticis admittat, præscribatque juxta Methodum sanioris, ut ait, ætatis suæ; nihilominus eundem Corticem locum opportunum minimè habere autumat in Regionibus, Anni temporibus, Aeris-

nam præscribam) per *semidrachmas* tantùm, ad *quindecim* circiter dies exhibitas, negotium absolvo.

Ingenuè tamen ibidem fateor, me *raro* in *vulgaribus* Intermittentibus Corticem præscribere consuevisse, quippe quas sæpissime, ac quibusdam potissimùm tempestatibus, pro *Depurativis* habeo, melioremque eo casu, cæteris paribus, reputo curationem sponte Naturæ absolutam, ubi liceat eam sperare, quàm Specificorum, sive *Chinæ Chinæ* adjumento quæsitam]. Imò si quando ob supressam, vel *ad preces* Ægrotantium *importunas*, vel ob *metum* fortè *præcocem*, qui me corripuerit, Febrim, aliqua mihi suspicio incidat de Febrifugo nonnihil præmaturè administrato; Febris autem ipsa non multò post redeat: diuturniorem eo casu illi cursum denuò permitto, priusquam remedium repetam: illudque etiam sæpe non repeto, quoties Febre rationabiliter quoquè depulsâ, sed nihilominùs redeunte, *levior* est, & ad spontaneam solutionem facilè vergens illius recursus.

De sexuum, ætatum, temperamentorum, institutorum vitæ, & similium diversitate *accidentali*, & quò ad Chinam Chinam, exhibendam, vel non exhibendam planè *superstitiosâ*, non minùs quàm ad tot alia, quæ sinè hisce cautionibus quotidie offeruntur Remedia, sum parum solicitus; atque ad ea omnia tantùm respicio quò ad dosim plus minùs *liberalem* usurpandam, ut in aliis quoquè Pharmacis præscribendis mos est, & quò ad vehiculum illius plus minùs activum, aut energeticum seligendum. Cæterum indicationem offeren-

Aerisve Constitutionibus humidis; in siccis verò feliciùs, sive, ut castigatiùs loquatur, minori damno inquit exhiberi. In temperamentis pariter Pituitosis Febrifugum hoc suspectum putat: adeòque Corpulentos, & præpingues homines in Cachexiam sensim delabi, ac tandem longum post tempus obire, se observasse refert. In temperamentis verò Melancholicis graviores adhuc noxas Chinam Chinam parere, nervosè asserit, de humoris atrabilaris ferociâ ibidem nonnulla commentus.

Sed & insuper sexus, ætas, & vitæ conditio parum proficuum reddere solet, ipso Judice, Peruviani Corticis usum. Talem reputat, ut summatim dicam, in Pueris, Adolescentibus, & Mulieribus, exceptis gravidis, & operosis, cujusmodi sunt Textrices, Lotrices, & servilibus operibus addictæ. Item ablegat a Monialibus, ab ædibus Nobilium, & Potentium virorum, & tandem (quod fortassis erat illi intentum primarium) a Prin-

rendi, vel non offerendi, sumo a *naturâ*, & *causâ* Febris, nec non etiam ab *accidentibus* ejusdem, si *graviora* sint præter ordinem. In hunc finem ipsam Febrium omnium Periodicarum naturam diligenti indagine pluribus in locis Operis mei ex instituto persequor, & Causas illarum productrices inquiro, placita Scholarum, tam Veterum, quàm Recentiorum perpendens: atq; indè ad quævis medendi Systemata, & ad quasvis Scriptorum Hypotheses accommodatum esse Peruviani Corticis usum, pro curandis in quovis Subjecto iisdem Periodicis Febribus, luce meridianâ clariùs ostendo.

Vim nullam fluida nostra *figentem* Chinæ Chinæ inesse, & rationibus, & practicis experimentis perspicuè demonstro, admittoque solùm in eâ Fermenti febrilis *absorptionem*, meliori quo possim mechanemate explicatam. *In quo sensu* si quis contendat, a Peruviano Cortice *figi* nudum ipsum *febrile Fermentum*, dum ab illo *absorbetur*, me nequaquam dissentientem habet; dummodo hoc idem dicat de *cæteris absorbentibus*, citra dissidium apud omnes innocuis habitis, si ritè usurpentur. Neq; enim absorptio materiæ adeò exiguæ, cujusmodi est Fermentum febrile, ullam subinde necessariò exigit sensibilem evacuationem: quod pariter quarumlibet Scholarum Thesibus cohærere, facto prolixiori celebriorum examine, indigito. Et quotiescunque etiam sensibilis evacuatio quæratur, illam satis superque patefacit, quæ Chinæ Chinæ actionem perpetuò subsequitur, urinæ copia; etiamsi sub solis naturalibus excretionibus minimè ad-

auctis

Principibus; tutioremque usum habere antifebrile istud in Populari gente, quæ ex manuariis operibus victitat, quàm in cæteris quibuscumque, tandem concludit.

Neque verò illud prætereundum, quòd quamvis hujusmodi remedium admittat semel tantùm in diuturnis Febribus, ad impetrandas aliquot dierum inducias; nihilominus neque id planè tutum censet, omnibus licèt expletis conditionibus supra recensitis, ob suspicionem, ne Febris, quæ ad tempus sisti creditur, Medicum eludat, & sistatur omnino, quod pessimum reputat: quam ob causam non semel illum pœnituit, eo Febrifugo se usum fuisse.

Remedio huic inesse facultatem *figentem fluida quæque* humani corporis, ut *Sanguinem*, *Spiritus &c.* pro re certâ supponit, ne lites agat; atque ob id fortasse Nepotem suum seriò admonet, ut diligenter animadvertat, Febres Intermittentes post epotam Chinam Chinam *nunquam* ad veram, & per-auctis facilè tota possit delitescere Fermenti febrilis absorpti materia, & hac demum viâ integrè excerni.

In Febribus porrò *Intermittentibus Malignis*, non solùm admitto Peruvianum Corticem, sed ita admitto, ut nullo pacto patiar omissionem illius; unicum enim hoc est, verum, germanumq; Propositum Therapeutices meæ. Harum Febrium multiplex *differentia*, imò & tempestiva *diagnosis* hactenus parum nota, dilucidata est ex professo pro viribus a me, exemplo etiam Mercati, & Mortoni. In his casibus, ubi dignotio sit *tempestiva*, non plus, aut paulò plus Chinæ Chinæ præscribendum dico, ac in *vulgaribus* Intermittentibus: & hac proportione, imò etiam parciùs procedendum assero, si *maligna* Intermittens sit de earum specie, quæ nil aliud perniciosi præseferunt, quàm dispositionem quandam proximam ad acquirendam continuitatem, quam *Febrim* idcirco *Subcontinuam* appellavi.

Quòd si vel ob Medici incuriam, vel ob Ægri calamitatem, *seriùs* dignoscatur *Perniciosæ* Intermittentis *malignitas*, sitque *repentè* constitutus homo in angustiâ ferè *extremâ*, dummodo victurus sit per horas 24., quatenus per totidem distet a futuro lethali accessu, etsi *frigidus*, *& arteriæ micatione destitutus*; in eo statu constanter statuo, inculco, & doceo, saltem Tyrones (neque hoc unum, quod mordicùs sustineo in Therapeutice meâ, ab ullo Viro culto in circumstantiis hujuscemodi refutari posse censuerim) assero, inquam, maximâ, ne dicam certâ spe felicis exitus, offerendum esse Peru-

& perfectam apyrexiam pertingere; non enim, inquit ille, Febres verè fugantur, sed potiùs concentrantur: ideoque non recurrunt quidem Paroxysmi; veruntamen Febris ipsa, quæ creditur recessisse, tacitè cubat, ut ignis sub cinere doloso, & tacitè Corpus depascitur: adeòque optandum est, ut in apertam flammam erumpat, sitque reditus illius remedii loco.

Utiliorem *forsan* diceret Corticem Peruvianum in Febribus Intermittentibus *malignis* a Mercato descriptis, si tales ab initio dignoscerentur; sed illas quoquè a Medicis Mutinensibus, tumultuariè, ut inquit, ad sacram Anchoram Chinæ Chinæ, ad uncias in Vino infusæ, incassum confugientibus, minimè curatas vidit; perpaucos enim ab hujusmodi Febribus correptos evasisse, sibi observatum testatur. Et si exemplum aliquod oppositum afferatur, hujusmodi portenta, inquit ille, visebantur quoquè antequam Chinæ Chinæ Peruvianum Corticem, sed auctâ dosi: itaut primus haustus, de quo mihi summa anxietas (secùs eventu frustrarer) constet Drachmis, modò *tribus*, modò *quatuor*, modò *quinque*, modò etiam *sex*, si opus sit, pro diversâ casus plùs, vel minùs *præcipitis* exigentia; dummodo tamen in progressu, transactâque unius, aut alterius diei procellâ, admodum *temperanter* agatur in oblatione Remedii, suapte licèt naturâ prorsus innoxii.

Uno verbo eâ regulâ, mensurâque procedendum volo in his casibus, ut non plus quàm *unciæ duæ* Chinæ Chinæ, pro *curatione* simul, & *præservatione* impendantur; *una* scilicet, vel etiam quid minùs pro *subitâ* extinctione Febris, & spatio *trium hebdomadarum* ad præcautionem *altera*. Et hanc Methodum, quam *meam*, ac *peculiarem* voco, possumque *novam* jure vocare, saltem in regione meâ, imò & alibi, non abnuo, quin pro libito quisque appellet, vel *suam*, vel *alienam*, dummodo in commune beneficium eâdem utatur.

Pro assertorum quorumcunque meorum veritate confirmandâ, non modò *auctoritates* affero Scriptorum *expertorum* (inexpertos enim, vel sinè methodo expertos fidenter appello quot quot oppositum sentiant, quamvis expertos se jactitent) verùm etiam *historias* quamplurimas *insignes* æquè ac *fideles*, de quarum certitudine ipse Cl. Ramazzinus expresè, uti socius in curatione, ita & testis a me non semel adducitur; neque tamen earum ullam pro eâ, quâ pollebat honestate, in Dissertatione suâ vel minimùm inficiari aggressus est.

Uti-

Chinæ nomen innotesceret.

In hujus, aliorumque etiam assertorum suorum confirmationem auctoritates nonnullas, quodque magis refert, casus etiam nonnullos adducit; quibus tamen omnibus quænam vis insit, & quænam facti veritas, nonnisi invitè quidem, suo loco patefiet.

Denique in Febribus nullis, quibus obtigerit *continuitas*, qualiscunque ea sit, ne in iis quidem, quæ de Intermittentium naturâ quodammodo participare creduntur, aut sunt de earum *prosapiâ*, quamvis etiam *quid malignum portendant*, Peruvianum Corticem (quem adversùs eas nimis liberaliter, ut dictum supra, *Mutinæ* usurpari putat) exhibendum censet; plurimas enim deceptiones hac in re ait contingere, cum Febres ipsæ Continentes, & ab essentiâ Continuæ, quæ Cortici certè non auscultant, quosdam præseferant nonnunquam parvos motus, quales sunt ii, qui Febribus Intermittentibus competunt: quâ demum

Utinam verò liceret mihi quas ipse adducit ex adverso, me sontem, seque testem criminis faciens, meo licèt suppresso nemine, pari silentio dissimulare; sed justa dignitatis meæ tutela, & multò magis communis causa, quæ defendi debet, inofficiosam hujusmodi moderationem non patitur.

Ad *Continuas* denique *Continentes* omnes, sive *minimè* Remittentes Febres Chinam Chinam & ipse inutilem censeo, ut & ad plures alias diversorum generum nullâ interstitione notabiles. Ad *Continuas Proportionales* sic dictas in Scholis, sive *Periodicas*, minimè proficuam pariter dico, si illæ ex radice *Continuarum ab essentiâ* prodeant; secùs si sint de Stirpe *Intermittentium ab ortu*, vel *Subintrantium*, dummodo nondum continuitatem *essentialem* sint assecutæ: quousque enim illùc non pervenere, eas etiamnum dico curabiles Cortice modicè exhibito.

Ne tamen ulla hinc oriatur in praxi confusio, Febris *simpliciter Remittentis*, a me sic appellatæ, naturam, & signa diagnostica minutè sum prosecutus, eamque, licèt obscurè, confusè, aut inordinatè periodica videatur, Cortice inexpugnabilem profero; non sic merè *Subintrantem*, quam quoquè describo, suisque signis a *simpliciter Remittente* distinguo. Atque hac positâ duplicis generis Febre, *Continuæ* quoquè *Proportionalis*, ex hisce duabus quodammodo mistis, seu potiùs ex diversi Febris utriusque Fermenti commistione conflatæ, naturam ancipitem, Chinâ Chinâ quandoque curabilem, & quandoque nequaquam curabilem, sub utrâque hac conditione considero, pro-

demum vanâ ſpe ſeducti Mutinenſes Medici, Chinam Chinam ad uncias integras in Vino infuſam pluries in die propinant; ſed perperam, etſi illis curationes nonnullæ Ægrorum pro conclamatis habitorum *fortuitò* feliciter ceſſerint.

Interim hanc Methodum, neque *novam* eſſe contendit, neque inclytæ *Scholæ Bononienſis* uſui conſonam: miraturque ideo, Peruvianam hanc Plantam altas adeò radices egiſſe *inter Scultennam, & Gabellum*; non ita verò in Solo Bononienſi finitimo, cum cæteroqui apud Medicos temporibus Viri Cl. *Mutinæ* florentes, valde raro, & valde cautè præſcribi conſueviſſet Peruvianus Cortex, utpote *infidus*, atque *ſuſpectus*. Hæc Ille. Diſpiciendum poſthac particulatim, quo ſingula conſiſtant robore.

propriiſque claré, quantùm fieri poteſt, ſignis indigito.

Ac tandem ne quis error poſſit obrepere, diſtinctas omnium planè Febrium ſpecies, juxta ſeriem practicæ earundem Geneſeos (quarum plurimæ Peruviani Corticis conatus eludunt, aliæ plurimæ eidem cedunt, aliæ denique modò cedunt, & modò non, pro variâ ipſarum naturâ, ortu, & ſucceſſivâ nonnunquam Metamorphoſi) in Icone peculiari ob oculos legentium, præſertim Juniorum, pono: ut ideo laborem fruſtraneum aſſumpſiſſe videatur Cl. Ramazzinus, Opus meum eatenus tantùm convellens, ut perſpicuè viſitur, quatenus quæ ipſe clarè diſpoſui, & ſecrevi ab invicem, ille denuo ſimul confundit, mox ſuſque deque declamatoriè perturbat.

An verò ſingula, quæ huc tranſtuli, in ipsâ Therapeutice meâ ſatis digeſſerim, ac ad umbilicum perduxerim, perduxerimve ratione duce, & comite experimento, qui diſtinctè cupit dignoſcere; prolixam autem nimiùm, quippe in gratiam Tyronum conſcriptam, eandem Therapeuticen detrectat percurrere, adeat ſolummodo Cap. 1. 3. 7. & 8. Libri primi, Cap. 3. & 4. Libri tertii, Cap. 5. Libri quarti, & Cap. 2. & 3. Libri quinti, cunctaque ibidem comminuta, forſan & ſupra modum, reperiet.

DISCREPANTIA
Clarissimi Ramazzini a semetipso,
SIVE
COLLATIO

Potiorum Textuum summatim huc translatorum, quos in novissimâ Dissertatione suâ De Abusu Chinæ Chinæ, *Anno* 1714. *evulgatâ, edidit Clarissimus Ramazzinus in contumeliam Chinæ Chinæ*, præsertim ne posthac Juvenes relinquantur dubii *(ut eos antea reliquerant Auctores ab invicem discrepantes)* in quam partem se dedere debeant, *quemadmodum infra deducitur ex eâdem Dissertatione, Paragrapho septimo.*

Plurium Textuum hìc ad literam transcriptorum, quos in diversis Operibus suis, non juvenili, aut consistente ætate, sed in medio, ac ultimo Senio; ab Anno scilicet 67. *ad* 79. *ætatis suæ, sive a* 1700. *ad* 1712. *Æræ Christianæ, idem* Cl. Ramaz*zinus edidit in laudem Chinæ Chinæ, non Oratorem agens, sed* Documenta Theorica, & Practica studiosæ suggerens Juventuti, *ut in Orat. Jatr. argum. ipse ad Lectorem præfatur.*

A

NOn est tam insons, ut vulgo creditur, Americanum istud Febrifugum. *Ramazz. Dissertat. de Abusu Chinæ Chinæ Epist. nuncupat. lit. c.*

Reme-

A

PEruvianum Febrifugum, non arte quidem, aut industriâ repertum est; sed nobis *divinitùs* concessum. *Ramazz. Orat. Jatrici Arg. pag.* 104 *Orat.* 3. *Edition. Patav.* 1708.

Peru-

B

Remedium iſtud naturâ ſuâ *doloſum* eſt. *Diſſertat. eâd.* §. 50. *circa finem.*

B

Peruvianus Cortex Antipyreticorum omnium, quotquot excogitavit Antiquitas, & Chymicorum ſolertia conflavit, eſt facilè Princeps. *Idem ibidem pag.* 101.

C

Noxa hujus Febrifugi tantò *perniciosior* eſt, quantò occultior. *Diſſert. eâd.* §. 15. *lit. b.*

C

Utinam favore Numinum, & commiſeratione, quâ ſolent in res humanas, aliud Febrifugum reperire daretur, quod *eâdem ſecuritate*, quâ Peruvianus Cortex Periodicas ſanat, reliquas Febres, quas Synochas, & Continentes vocant, ſanandi facultate polleret. *Ibidem pag.* 103. & 104.

D

Hoc Febrifugi genus apud me tanti non eſt pro Febribus Intermittentibus curandis, ut Medicina æquè benè hoc præſidii genere carere non poſſet, & Veterum Febrifugis, quæ ſi non tam citò, tutiùs tamen operantur, non poſſet eſſe contenta. *Ibid.* §. 18. *lit. b.*

D

Quot ſeculis deſudarunt Artis Primores, ut Febrifugum aliquod reperirent, aut arte conflarent? Modò e Peruvianâ Regione Cortex ad nos defertur, *divinum planè* remedium ad malè natam Febrium ſobolem *exterminandam. Ibid. pag.* 34. *Orat. Secular.*

E

Certè conſtat, longè tutiora fuiſſe Veterum Febrifuga, quæ olim uſui erant, quàm Indum iſtud. *Epiſt. nuncupat. ejuſd. Diſſert. lit. e.*

F

In quacunque Febre Intermittente, in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, ſexu, temperamento &c. Chinam Chinam indiſcriminatim exhibere velle, magnum abuſum eſſe judico. *Diſſertat. eâd. §. 8. lit. c.*

G

Chinæ Chinæ Fautores in eâ laudandâ modum neſciunt, ſed ſummis laudibus ad Aſtra efferunt, *Arborem Vitæ* illam appellantes. *Ibid. §. 7. lit. a. b.*

E. F. G.

Quàm diu a peritioribus Artis Magiſtris inſudatum eſt ad Febrifugum aliquod conflandum, ex triplici Regno materiâ petitâ? At omnes hactenus illorum labores fruſtrante diligentiâ in irritum ceſſere; & ſi aliquod Antipyreticum in illorum monumentis extat, nonniſi ſub Grypho deſcriptum legitur, ut Delio Natatore opus ſit, ſi mens Auctoris ſincera habenda ſit. *Solus* Peruvianus Cortex, nobis a Divinâ beneficentiâ munus conceſſum, ſinè alterius rei mixturâ, in qualibet regione, quocunq; anni tempore, ætate, ſexu, temperamento, Febres ſaltem recurrentes, atque intervallatas fugat, & *exterminat;* quamquam non defuerint qui *hieron* hoc *picron* ex *Arbore Vitæ* decerptum temerare pertentarint Opio, aliiſque rebus adjectis, ut ſolitis mangoniis vulgo imponerent. *Ibid. pag. 212., & 213. Orat. ſept.*

H

In Febribus Tertianis Intermittentibus Malignis Medici Mutinenſes ad ſacram Anchoram Chinæ Chinæ incaſſum confugiebant; perpaucos enim ab hujuſmodi Febribus correptos, evaſiſſe vidi. *Ibid.* §. 30. & 32. *lit. a.*

H

Equidem hoc præſidii genus in Febribus Periodicis miranda præſtat, & præſertim in Tertianis Intermittentibus Malignis, quæ in ipſo impetu acceſſionis Ægros interdum necant &c. hoc enim Febrifugum fermentum illud malignum ſive penitùs reſtinguit, ſive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne Æger in ipſo Febris acceſſu intereat. *Idem Diſſert. De Contagioſâ Epidemiâ, quæ in Boves irrepſit pag.*37. *Edit. Patav.*1712.

I

Cum poſt tot conatus Magnorum Virorum, & facta tentamina, adhuc *ignotus* ſit operandi modus hujus celebris Antipyretici, aſſerere neceſſe eſt, *rationalem non eſſe* illius uſum, ſed merè *empyricum*, & *amethodicum*. *Ibid.* §. 6.

I

Licèt autem in Peruviano Febrifugo &c nondum teneamus quid verè ſit Febris, nec ſatis conſtet quid in noſtris corporibus præſtet hoc remedium &c.; magnum tamen mortalitati noſtræ ſolamen foret, ſi conſimile præſidium haberemus, quo contra Febres verè continuas, quæ nobis exitium interminantur, *cæco licèt modo*, & Andabatarum more pugnaremus, quando idem penè

de omnibus Remediis, quotquot habet Ars medica, proferre liceat, posse nos quidem pro lubitu fingere quid agant, quove modo operentur, ubi nostri corporis penetralia subierint; *modum* autem, & *ingenium*, quo morbum, & causas morbificas oppugnent, verè, ac scienter nequaquam posse pertingere. *Idem Orat. Jatr. argum. pag.* 104. *&* 105. *Orat.* 3.

K

In Periodicis Febribus *continuatus* hujus Febrifugi usus Obstructiones, & Cachexias invehit, Hydropem, & mortem. *Ibid.* §. 21.

L

Sicuti Opium, pro sedandis doloribus semel oblatum, rursus ad prophylaxim repetendum non est: ita *nec repetendus* ad prophylaxim Peruvianus Cortex, pro sedandâ febri semel præscriptus. *Ibid.* §. 48. *lit. a.*

M

Ab hoc remedio Febres Intermittentes fugari videntur; sed

K. L. M.

Profectò postquam hujus remedii usus innotuit, & præmissis justis purgationibus, *non semel tantùm*, ut olim, *sed plures ad dies* exhiberi cœptus (*ita habet Auctoris Codex*) donec febrile Miasma fuerit *penitùs exantlatum*, talem circa Febrium doctrinam, ac illam curandi methodum factam fuisse fateri oportet (*hîc quoquè ita habet Auctoris exemplar*) qualem in re militari post inventum pulverem pyrium omnes norunt. Quemadmodum autem abjectis Catapultis, & Arietibus, solo tormentario pulvere terræ cuniculis incluso

tur; ſed Medicis nimis credulis imponunt: non enim verè fugantur, ſed potiùs *concentrantur*, *tacitè cubantes*, ut ignis ſub cinere doloſo, & corpus tacitè depaſcentes. *Ibid.* §. 24. *lit. b.* §. 25. *lit. a. &* §. 27. *lit. b.*

cluſo, & accenſo alta propugnacula temporis momento ſolo æquantur, & Arces obſeſſæ ad deditionem coguntur; ſic valere juſſis tot pharmaceuticis pręſidiis, modico Quinquinæ pulvere exhibito *contumaciores* Febres *vinctas* dant manus. *Ibid. pag.* 102. *&* 103.

N

Aliquando Medico, qui Americanum iſtud Febrifugum exhibuit, in votis eſt Febrem repetere, ſed fortiorem, ut tollantur ea mala, quæ China China ob Febris extinctionem invexit. *Epiſt. nuncupat. lit. c. & d.*

O

Optandum eſſet, ut in apertam flammam erumperet Febris, poſtquam Æger ad aliquot dies, eâ ſilente, roboris aliquantum reportaſſet; nam reditus Febris remedii loco eſſet. *Diſſertat. eâd.* §. 25. *lit. b.*

Ægri

N. O. P.

Cum in universâ morborum claſſe nullus extet nobis hoſtis infenſior, & cui minùs fidere oporteat, veluti Febris; attamen eò audaciæ ventum eſt, ut inter Quæſtiones Medicas ſit, num ad alios morbos curandos Febrem excitare liceat, eò quòd interdum in quibuſdam affectibus, veluti convulſione, & hypochondriorum dolore, ſuperveniens Febris remedii loco fuerit, quaſi in noſtrâ poteſtate ſit ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipſum reſtinguere. Quàm libenter ſcirem, quodnam corpus, ſive de genere ſimplicium, ſive

compo-

P

Ægri Febris obſtinationem faſtidientes, inſcio nonnunquam Medico Quinquinam capiunt; ſed magno ſui damno pœnas luunt, Hypochondriacis poſtmodum affectibus, Cachexiis, ac lentis Febribus correpti; ut poſtea cogantur Medicos accerſere, qui multis remediis Febres *excitando* morbum vincant, & remedia quærant ad ſepultum ignem ſuſcitandum: in quem finem Spiritus Salis Armoniaci commendatur, & *Ficus Pharaonis*, qui Tertianas Febres *excitare* creduntur. Novum enim non eſt, ignem Febrilem penès prudentes Medicos ſuum uſum habere. Sic Celſus ſcripſit, *licere Febres parvas augere; fortaſſe enim curationi opportuniores fient. Ibid.* §. 38. *lit. a. b. c. d.*

compoſitorum proſtet, quo quis Tertianam Febrem, Quartanam, Synocham, vel quamcunque aliam *excitare* poſſit. Pro fabulâ enim accipitur, quod quidam de *Pharaonis Ficu* referunt, quam ajunt, Tertianam Febrem *excitandi* vim habere. Non abſimilis priori eſt alia Quæſtio, non adeò tamen audax, quam habet Celſus, num *Febrem lentam augere liceat, ut curationi opportunior fiat:* verùm quàm ſuſpecta, & quàm infauſti ominis ſint beneficia, & dona, quæ ab hoſte proveniunt, ſatis compertum eſt, ut vetus proverbium admonet, *Hoſtium munera non munera*. O quàm egregiè in hanc rem Seneca. *Graviſſima infamia eſt Medici opus quærere; multi quos auxerant morbos, & incitaverant, ut majori gloriâ ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magnâ miſerorum vexatione vicerunt. Ibid. pag.* 94. 95., & 96.

AN-

ANTITHESES RAMAZZINIANÆ

Ex unius nempe Viri Cl. Textibus hucuſque citatis, atque regeſtis excerptæ,

SEU

VERSICOLOR PAVONIS CAUDA.

Caudaque Pavonis largâ cum luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obverſa colores. Lucr. lib. 1.

***

China China eſt Remedium

I.

NOn tam inſons, ut vulgo creditur, ſed naturâ ſuâ doloſum, noxium, & pernicioſum.

2.

Arboris vitæ nomine perperam appellatum.

3.

Veterum Febrifugis eo longè tutioribus poſthabendum.

4.

Quo nempe pro Febribus Intermittentibus curandis æquè benè carere poſſet Medicina, & iis

I.

PLanè divinum, a beneficentiâ divinâ nobis conceſſum, & Antipyreticorum omnium facilè Princeps.

2.

Hieron picron ex Arbore vitæ decerptum.

3.

Veterum Febrifugis eo longè infirmioribus anteponendum.

4.

Quo nempe contra Febres Intermittentes reperto, magnum mortalitati noſtræ ſolamen

iis tantummodo, quæ antea habuit, esse contenta.

5.

In quacunque Febre Intermittente, quacunque Regione, anni tempore, ætate, sexu, temperamento indiscriminatim non usurpandum.

6.

Semel oblatum, non ampliùs ad Prophylaxim repetendum.

7.

Non continuandum, ne Obstructiones invehat, Cachexias, & Hydropem.

8.

In Tertianis Intermittentibus Malignis, e quibus perpaucos evasisse observatum est, incassum adhibitum.

9.

Quippe Febres Intermittentes verè non fugans, sed potiùs concentrans:

Ejus

lamen foret, si Medicina consimile aliud haberet contra Continuas.

5.

In quacunque Febre saltem Intermittente, quacunque Regione, anni tempore, ætate, sexu, temperamento indiscriminatim usurpandum.

6.

Non semel tantùm, ut olim, sed ad plures dies exhibendum.

7.

Continuandum, donec penitùs exantlatum sit febrile miasma.

8.

In Tertianis Intermittentibus, præsertim Malignis, miranda præstans; adeòque ne Æger in accessu intereat fidenter adhibendum.

9.

Quippe Febres Intermittentes omnes fugans, & exterminans.

Ejus

10.

Ejus enim operandi modus ignotus cum ſit, uſum quoquè ejuſdem irrationalem eſſe, empyricum, & amethodicum aſſerere neceſſe eſt.

11.

Ad tollenda ergo mala, quæ ob Febris extinctionem illud invexit, excitare Febrem debent Medici, & ad ſepultum ignem ſuſcitandum, remedia, quæ huic uſui proſtant, exhibere.

12.

In hunc finem commendantur Spiritus Salis Armoniaci, & Ficus Pharaonis, qui Tertianas Febres excitare creduntur.

13.

Neque enim novum eſt in Arte noſtrâ, ignem febrilem penès prudentes Medicos ſuum uſum habere. Sic nos docuit Celſus, cùm ſcripſit, licere Febres parvas augere; fortaſſe

10.

Ejus enim operandi modus ignotus ſit licèt, nil officit, quando idem penè de omnibus Medicinæ remediis aſſerere neceſſe eſt.

11.

Et tamen eò audaciæ ventum eſt, ut ad alios morbos curandos contendantur, num liceat Febrem, quâ nil nobis infenſius, excitare, quaſi in poteſtate noſtrâ ſit ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipſum reſtinguere.

12.

Nullum tamen, aut ſimplex, aut compoſitum corpus proſtat, Tertianam, aut Quartanam excitare potis: pro Fabula enim accipitur, quod Ficus Pharaonis Tertianam Febrem excitandi vim habeant.

13.

Cum ergo inter morbos nullus extet nobis hoſtis infenſior, & cui minùs fidere oporteat, quàm Febris, ſuſpectum eſt, & infauſti ominis, quod habet Celſus; licere nempe Fe-

tasse enim curationi opportuniores fient.	Febrem lentam augere, ut curationi opportunior fiat.

Præter hactenus recensitas, aliæ superessent pugnantes invicem Propositiones, ex unâ tantùm Viri Cl. novissimâ Dissertatione facilè depromendæ; quas tamen hìc juxta ponere supersedeo, quoniam mutua illarum repugnantia in Responsionum mearum decursu satis patefiet. Interim superiùs exaratas, neque ab hac unâ Cl. Auctoris Lucubratione, sed & ab eâ, & ab aliis simul ejusdem Operibus excerptas, placuit uno intuitu ob oculos ponere, ut me illico quisque cernat eâ ineluctabili necessitate compulsum, ut quicquid scribam in hac gravi, atque inter nos controversâ materiâ, velim, nolim, cogar dissentire a Viro Cl., vel septuagenario, vel octogenario; ita tamen, ut quacunque ex parte illi adverser, ex aliâ semper adhæream: quapropter, si ex iis partibus meliorem fortè selegerim, eidem Auctori æquiùs adhærere dicar, quàm adversari; idque eò magis, si ab illo quoquè ipsa dignoscendæ melioris, aut deterioris partis documenta depromam. Cum itaque ille §. 7. suæ nuperæ Dissertationis Nepotem doceat, fidem potiùs adhibendam esse iis Scriptoribus, *qui de Chinâ Chinâ judicium suum tulerunt datâ tantùm occasione tractandi de Febribus*, *utpote qui de hoc Febrifugo sanâ mente, ac ingenuè disquisiverunt*, *quàm iis*, *qui ex professo de eâdem Chinâ Chinâ scripsere, ac edidere Tractatus*: ipse autem Scriptorum utriusque Classis personam diverso tempore indutus, steterit pro Cortice Peruviano per annos 13., tunc scilicet cùm de *Febribus tractavit*, *earumque remediis*, ut in Orat. 3. Patavinâ, & in Dissertatione De Contagiosâ Boum Epidemiâ; & quidem non *juvenili*, *aut virili*, *sed provectiori*, atque, ut ipse alibi vocat, *saniori ætate* (quam unam *inter varias*, *quas percurrit*, attendendam esse præcipit. §. 3. & 8. ejusdem Dissertationis) steterit verò adversùs Peruvianum Corticem vix ante paucos menses, sive ultimâ provectissimæ ætatis periodo, cùm videlicet *de ipso Cortice ex professo* acriter *scripsit*, *ac Tractatum edidit*: idcirco meliorem partem me selecturum, nec illi verè me adversaturum putarim, si eum potiùs sequar pro Chinâ Chinâ, quàm adversùs Chinam Chinam scribentem. His præmissis, evestigio rem ipsam aggredior.

ANI-

ANIMADVERSIONES
IN TITULUM
A Cl. Ramazzino Constitutionibus suis Epidemicis, annexæque Dissertationi De Abusu Chinæ Chinæ conjunctim præpositum, qui sic habet.

(*a*) *COnstitutionum Epidemicarum Mutinensium Annorum quinque Editio secunda* BERNARDINI RAMAZZINI *in Patavino Gymnasio Practicæ Medicinæ Professoris Primarii.*

(*b*) *Accedit Dissertatio Epistolaris De Abusu Chinæ Chinæ Ad D. Bartolomæum Ramazzini Mutinæ Medicinam facientem. Patavii* 1714.

(*a*) (*Constitutionum &c.*) PRior hæc Tituli portio nihil ad me; quemadmodum nihil ad me Constitutiones ipsæ, quas non alio certè consilio recudere studuit artificiosus Auctor, nisi ut ab his colorem mutuatus, annexæ Dissertationi viam sterneret; quandoquidem in illis quoquè parum amicè identidem senserat de Peruviano Cortice. Scripsit ille quidem (atque hoc referre non erit inutile) hujusmodi Constitutiones ab anno ætatis suæ 56. usque ad 61.: & cùm *Juvenili ætate, ac in virili etiam statu Chinam Chinam in magno pretio habuisset; procedente tamen ætate* (cùm videlicet easdem Constitutiones conscripsit) *a priori sententiâ recessit non parum*, ut de his omnibus in subsequenti Dissertatione §. 3. nos monet. Adeòque in Constitutione primâ, scilicet anni 1690., usum Chinæ Chinæ *improsperè cessisse* sibi observatum refert; in secundâ verò anni 1691., ejusdem Febrifugi administrationem *saluberrimam fuisse* testatur pag. 126. nuperæ Patavinæ Editionis, confirmatque pag. 131.: subdens insuper pag. 132. ex vi oppositarum invicem observationum, in oppositis hisce Constitutionibus a se habitarum, *securiorem probabiliter esse Chinæ Chinæ usum, quando humores fræno potiùs egent, quàm stimulo;* quod in Constitutionibus calidis, & siccis evenit; secus in frigidis, & humidis. Atque idipsum tandem *ulteriori*, ut ait, *factâ observatione* incunctanter statuit sub finem ultimæ Constitutionis trium subse-

ſubſequentium annorum 1692. 93. & 94., ubi Chinæ Chinæ uſum pro curandâ lentâ Febre, Peticulari malè judicatæ identidem tunc ſuccedente, *parum ſalutarem* fuiſſe adnotat. Omnibus porrò hiſce obſervationibus haud ſemper uniformibus inter ſe collatis, pro coronide demum concludit pag. 192. earundem Conſtitutionum - *In frigidis, & humidis Conſtitutionibus, quæ corpora noſtra craſſis humoribus infarciunt, parum ſalutarem eſſe Corticis Peruviani uſum; in calidis verò, & ſiccis Conſtitutionibus, in quibus humores aliquo egent ſufflamine, Remedium iſtud egregiam operam præſtitiſſe*. Hæc ille tunc. Ejus verò ſenſa, qualiacunque ea fuerint, huc compendiosè retuliſſe ſufficiat, omiſsâ earundem Conſtitutionum recuſione, quippe fruſtraneâ, ut earum connexionem cum ſubſequenti Diſſertatione minimè videar de induſtriâ diſſimulaſſe. Quid verò, & quantâ quidem diverſitate, poſt annum 61. ætatis ſuæ, nempe poſt annum 1694., ſenſerit de eodem Cortice, poſtquam ſcilicet memetipſum vidit, ſociumque non ſemel habuit, eo Febrifugo feliciſſimè ſemper utentem, in arduis præſertim circumſtantiis, tam Intermittentium, quàm Subcontinuarum Febrium lethaliter malignantium, quidve in illius commendationem palàm ſcripſerit ab anno 67. uſque ad 79. ejuſdem ætatis ſuæ, ſcilicet ab anno Chriſti 1700. uſque ad annum 1712., ſatis conſtat ex ipſius Auctoris Textibus ſuperiùs tranſcriptis; ut ideo tam inſignis mutatio ſententiæ, relapſuſve in priorem, cæteroqui ab eodem repudiatam, contigerit ultimo biennio vitæ illius: quo tempore, & Exedræ addictus, & Ægros inviſendi vix capax, quantùm potuerit in praxi proficere, ut experientiâ ulteriore edoctum ſe nobis oſtentet, nemo non novit.

(*b*) (*Accedit &c.*) Altera hæc Tituli pars magis ad me. Hîc autem nonniſi de *Abuſu Chinæ Chinæ* conſtituit agere Cl. Auctor; egi ego in Opere meo de *Uſu, & Abuſu*. Ille univerſim, ac indefinitè; ego definitè, ac particulatim. Vide ergo Titulum meæ Therapeutices, Præfationem ad Lectorem pag. 19., & 22., totumque fermè, ſi lubet, Librum quintum; nec non Cap. 8. Libri primi, Cap. 5. Libri quarti &c.; & me æquè inimicum abuſui, ac recto uſui amicum ubique deprehendes. In eandem ergo metam tendimus: diſquirendum ſupereſt, an eodem itinere; dum quinam ſit rectus uſus, & quinam abuſus intimiùs examinabitur. Vereor tamen, ne hujuſmodi examine minùs caſtigatè inſtituto, ſibique propterea nimiùm fidens, & nimiùm placens, *Ollam auxerit ante Lentem* Cl. Auctor.

ANI-

ANIMADVERSIONES IN EPISTOLAM NUNCUPATORIAM,

Quæ ſic inſcribitur.

ILluſtriſſimis, atque Excellentiſſimis D. D. Equitibus, D. Marci Procuratoribus, & Patavini Gymnaſii Moderatoribus, D. CAROLO RUZINO, D. FRANCISCO LAUREDANO, D. ALOYSIO PISANO, *Bernardinus Ramazzini Felicitatem.*

(*a*) COnſtitutiones *meas Epidemicas, quas olim circa finem prægreſſi Seculi evulgavi, & Mutinenſes dixi, quia modo Agros, modo Civitatem afflixerint, denuo in publicum prodire volui, ſed nonniſi ſub Nominum Veſtrorum auſpiciis, Patavini Lycei MODERATORES AMPLISSIMI, neque ab hoc propoſito quidquam me dimovit, quòd novum aliquod Opus non ſint; ſcio enim Autoritatem Veſtram eam eſſe*, ut Antiquis gratiam, Obſcuris lucem *conciliare valeat.*

Hiſce tamen novum aliquid accedit, Diſſertatio nempe de Chinæ Chinæ abuſu, quem (*b*) ubique *tam grandem, ac familiarem factum video, ut caſtigatione aliqua, & animadverſione indigeat.* (*c*) Non eſt enim tam inſons, *ut vulgò creditur, Americanum iſtud Febrifugum, ut aliquando Medico, qui illud exhibuerit,*

bibuerit, in votis non sit febrem repetere, sed fortiorem, ut tollantur ea mala, (d) quæ China China *ob febris extinctionem invexerit.* (e) Certè constat *longe tutiora fuisse Veterum febrifuga, quæ olim usui erant ad febris causam sensim eliminandam, quàm Indum istud, cujus operandi modum in nostris Corporibus, admirari potiùs licet, quàm intelligere.* (f) Vos autem *CLARISSIMI VIRI, quorum Incolumitas ad publicum bonum tanti interest, ita valere volo, ut Medicorum nullus Peruvianum Corticem, aut quidquam aliud pharmaceuticum Vobis unquam præscribat.*

DABAM PATAVII
Die 20. Julii 1714.

(a) (*Constitutiones &c.*) QUemadmodum prima pars Tituli nihil rei habuit cum Animadversionibus meis, ita nec quicquam habet prima pars Epistolæ Nuncupatoriæ, quippe quæ Constitutiones a me sepositas æquè connotat. Sat igitur sit & hanc ordinis gratiâ integram recusisse, ne mutila in publicum conspectum veniret. Cæterum cum alterâ tantùm illius parte nonnulla mihi res est.

(b) (*Ubique &c.*) Animadvertant Geographi, hoc *Ubique* sumi a Cl. Auctore per strictam quamdam Synecdochen pro eo tantùm terrarum spatio, quod *inter Scultennam, & Gabellum* intercipitur. Quòd si illud idem *Ubique* semel saltem in totâ Dissertatione occurreret, neque is, qui satis immeritò insonti Mutinæ affigitur, illi uni imputaretur Chinæ Chinæ abusus, ferenda utique, dum amplior, etsi adhuc animosa plurimùm, Censoria hujusmodi castigatio.

(c) (*Non est enim tam insons &c.*) Non esse insons istud Febrifugum, facilè est asserere; difficillimum nervosè probare. Naturam illius innoxiam ex opposito satis, superque me ostendisse puto Cap. 1. & 2. Libri 1. meæ Therapeutices Specialis, & signatè a pag. 7. usque ad 30. inclusivè. Id nihilominus ex abundanti ultro confirmabitur in progressu ex ipsis Responsionibus meis ad peculiares Paragraphos Ramazzinianæ Dissertationis, & præsertim ad §. 47., ubi fusiùs de indubitabili, & patente hujusce remedii innocentiâ. Et sanè quidni sit insons

Febri-

Febrifugum, quod Cl. Ramazzinus *in saniori ætate* appellavit (ut vidimus in *Collatione* Textuum illius) *Remedium planè divinum*, *ex Arbore vitæ decerptum*, *Antipyreticorum omnium facilè Princeps* &c.?

(*d*) (*Quæ China China &c.*) Satiùs fuisset dicere, *quæ Medicus*, non *quæ China China*, ob Febris extinctionem intempestivam *invexit*. Si enim præcisè ob Febris extinctionem quidquam mali contigit, idem, ut patet, contigisset effectus, si per aliud quodvis Febrifugum specificum, puta Gentianam, Centaurium &c. *eo tempore* Febris extincta fuisset. Medicus ergo rationem reddat præscripti *eo tempore* Febrifugi Corticis, non ipse tunc forsitan malè præscriptus Febrifugus Cortex. Num fortè culpabitur ut pravus cibus optimus, quem malè tulit Æger, quia illum Medicus sumendum præscripsit invadente accessione, cum debuisset ingerendum præscribere eâdem solutâ? Ad evitandos hujusmodi scopulos in Chinæ Chinæ oblatione, circumstantias omnes examinavi, in quibus liceat, vel non liceat Febres supprimere. Hoc est, quod methodicum reddit illius usum, quodque talem reddit usum cujuscumque remedii, nempe ut illud *tempestivè* administretur: posito enim quòd supprimendæ verè sint Febres, & cognito opportuno tempore suppressionis earum, quod ex Medici peritiâ dependet, non aliud quærendum Febrifugum, quàm China China, quâ certius, aut tutius nullum. Vide propterea totum nuper citatum Caput octavum, ni te pigeat, Libri primi Therapeutices meæ, ut & decimum, si exempla tempestivæ, & intempestivæ oblationis nosse velis in Intermittentibus benignis; si verò in Subcontinuis malignantibus, ac præsertim in earum principio, ne graveris inspicere a fronte ad calcem citatum pariter Caput quintum Libri quarti; & si exempla desideres, etiam Caput sextum ejusdem Libri, ubi in historiâ primâ occurret tibi curatio Ægrotantis a Cl. Ramazzino pro conclamato habiti, subinde tamen Peruviani Corticis administratione restituti. Sanè eo casu perspecto, miraberis cur idem Auctor, nullâ etiam ratione habitâ aliorum plurium, arctis adeò limitibus rectum Chinæ Chinæ usum restrinxerit.

(*e*) (*Certè constat &c.*) Veterum Febrifugis quales olim laudes, sive, ut apertè loquar, quas criminationes in concursu Peruviani Corticis attexuerit Cl. Ramazzinus in suis Orationibus Patavinis, vidimus supra in *Collatione* Textuum illius lit. E. F. G., ubi *frustrantem Priscorum Medicinæ Patrum diligentiam*, *laboremque in iis*, *tam reperiendis*, *quàm arte conflandis planè irritum*, parum abest quin ore pleno derideat: ut proinde & hìc subeat mirari, quo pacto iisdem Amplissimis Patavini Lycæi Moderatoribus hæc tam facilè obtrudat in Veterum Febrifugorum commendationem, coram quibus ante paucos annos tam effusè effatus erat oppositum. Sed nec id inglorium prorsus dixerim Viro Cl., Carneadem in hoc imitato, qui coram Catone prisco, Galbâ, aliisque principibus Viris elegantem, & acutam habuit Orationem *pro Injustitiâ*, cum oppositam haud minùs elegantem *pro Justitiâ* pridie habuisset *eisdem audientibus*. Quid de Veterum Febrifugis, partim noxiis, partim inertibus sentiam ipse, legi potest in meâ Therapeutice a pag. 20. finem versùs, usque ad totam pag. 23.

C (*f*) (*Vos*

(*f*) *(Vos autem &c.)* Non erat, ut in Epistolæ fine officioso incolumitatis omine averti ab Amplissimis, prosperâque longævitate dignissimis Viris Peruvianum Corticem deprecaretur, qui severo Interdicto Medicis omnibus observando, *ab Ædibus Nobilium, & Potentium Virorum*, ut infra §. 10., vulgare istud Antipyreticum *proscripsit*, Exedræ Practicæ Patavinæ Professor Primarius. Quemadmodum tamen ille Nobilium, & Potentium Virorum genus egregium jam bene valens, sinè Peruviano Cortice jugiter *valere voluit*: ita ego, ut revalescat non raró malè valens ex Periodicis Febribus quodcunque genus hominum, universam Viri Cl. Dissertationem, ut in sequentibus, valere jugiter volo.

RE-

RESPONSIONES JATRO-APOLOGETICÆ

AD IPSAM

DISSERTATIONEM

In Paragraphos divisam, cujus tota series hæc est.

DE ABUSU CHINÆ CHINÆ

Dissertatio Epistolaris.

§. 1.



Uæsisti à me per literas, nec semel (*a*) *Nepos* carissime, quidnam ego sentiam de celebri Febrifugo Peruviano, cujus usum (*b*) *istic* tam frequentem, tam magnum sensim factum ais, ut qui sine hoc præsidii genere ad febrem oppugnandam velit accedere, tanquam inermis accedat, ac si forte æger intereat (*c*) *pro magno piaculo* habeatur remedium istud non fuisse pertentatum. Quosdam tamen adhuc esse, ut scribis, ingenuos Medicos, qui sui juris sint, & hujusce remedii usum quidem non abhorreant, sed (*d*) *modum adhibendum* velint, ut nec tam facile, nec in tanta copia sit exhibendum, sed potius hac in re rationem, & experientiam consulendam, longe tamen vincere illorum numerum, qui sibi plaudunt ex hoc solo remedio curatas febres, quas Natura si non tam cito, tutius tamen curasset non ita facile redituras.

 (*a*) (*Ne-*

(*a*) (*Quæsisti &c.*) P*Iscis primùm a Capite fœtere incipit*. Nepoti pluries sciscitanti, usumque Chinæ Chinæ verè immodicum describenti (siquidem tam latè, ut in hoc Paragrapho asseritur, ille scripserit) æquum erat certè, ut hujuscemodi excessum minimè probans rescriberet Patruus: neque enim is sinè stomacho aliquo audire poterat, Mutinensibus Medicis fere omnibus pravum hunc esse morem (quod tamen longè abest) ut Febrim quamlibet armatâ semper Peruviano Cortice manu indiscriminatim aggrediantur, imò apud eos hodie piaculum reputari, hoc intentato præsidii genere Febricitantem quempiam interire. At minimè æquum, ut a se ipso paucos ante annos scribente, novis nullis emergentibus causis, dissentiret, ac in percunctantis opinionem planè oppositam, inexploratâ rerum narratarum veritate, mediis typis publicis, præceps descenderet. Sanè si minùs frigidè Urbis hujus Medicos, magis verò sobriè Nepotem suum dilexisset Cl. Auctor, æquius, ut opinor, hac de re judicium tulisset: *Oportet* siquidem solùm *diligere cum judicaveris*, *non cum dilexeris judicare*, inquit Cic. de Amicitiâ. Cæterum Relatori ad præscribendam Chinam Chinam tunc temporis parum propenso, mirum non est, si fortè usus laudabilis, a scrupulosiore tamen ipsius methodo nonnihil recedens, imposuerit nomine abusus; multòque minùs mirum, quòd accedentibus partium studiis, isthæc tandem Nepotem non modò, sed & Patruum ipsum transversum egerint. Quòd inter nimis austeros in oblatione Corticis collocandus tum fuerit Nepos Cl. Auctoris, satis superque nunc potest eruere quilibet pluribus ex locis Therapeutices meæ, ut pag. 444. historiâ 9. pag. 368. hist. 2. pag. 416. hist. 11., nec non etiam pag. 476. hist. 2. Idem namque ille est, cujus nomen locis citatis semper officiosè subticui; modò verò scriptæ Dissertationis occasione cum indicetur a Patruo, totius quoquè Causæ cognitioni admodum conducit haud ampliùs occulere; quemadmodum nec grave est mihi, eum in hac materiâ opinabili, & liberâ palàm ferre discrepantem a me, qui discrepat, aut discrepabat saltem, ut legitur in contextu, a *longè majore Medicorum Mutinæ degentium numero*. Occasione scribendi, quam captare sibi complacuit Cl. Ramazzinus, quantum sufficit explicatâ, minùs forsan posthac habebit unde obstupescat quisquam, Cl. Auctorem ab iis, quæ pro Cortice nuper scripserat adeò insigniter descivisse in hac Dissertatione, ubi Causam instantis Nepotis jam facit suam. Etsi enim profiteatur §. 49. *ad publicum beneficium isthæc se conscripsisse*, nihilominus & in Rempublicam (ut puto) inofficiosus, & sibimet ipsi, quæ antea docuerat refellens, quodammodo injurius, solis *Nepotis* sibi *carissimi* votis, Censuram in *longè majorem Mutinensium Medicorum numerum* præstolantis, obsecundavit. Sed satius forsan fuisset respondere sciscitanti: *Ipse Testudines comede*, *qui cepisti*.

(*b*) (*Istic &c.*) Vastissimum illud *UBIQUE* Epistolæ Nuncupatoriæ statim ad breve *ISTIC* Mutinensis Pomerii contrahit Cl. Auctor. Liceat ergo & mihi hoc idem *ISTIC*, quatenus solas connotat Mutinensium Medicorum domos, restringere sensim in pulcherrimum, & æquali extensione præditum *NUSQUAM*.

(*c*) (*Pro*

(*c*) (*Pro Magno piaculo &c.*) Piaculum certè foret ſinere, ut hoc remedio minimè pertentato Æger occumberet, ſi ex *Febre Intermittente Pernicioſâ* interiret, aut aliâ ſimili, ejuſdem *tantummodo*, non alterius cujuſvis remedii viribus ceſſurâ, unique *Naturæ* palàm ſuccumbenti linqueretur jam deſperanda curatio, ne fortè aliquando rediret febris per Chinam Chinam fugata. Si verò obiret ex Febre, remedium hocce reſpuere, aut eludere ſolitâ, cujuſmodi ſunt omnes Synochi, aliæque ab eſſentiâ continuæ, tunc potiùs illiud pertentaſſe, ridiculum. Neque verò, ut quis *ingenuus* dicatur, & *ſui juris Medicus*, neceſſe eſt illi, uſum proficuum hujuſce Febrifugi ab aliis præmonſtratum, ſibique cognitum ut talem, reiicere, alienamve Methodum, ne ſervus videatur, etſi res exigat, minimè amplecti.

(*d*) (*Modum adhibendum &c.*) Modum adhibendum eſſe, ne nimis *facilè*, aut nimiâ *copiâ* exhibeatur Remedium iſtud, *rationemque*, *& experientiam hac in re conſulendam*, ipſe quoquè in Opere meo pluries inculcavi (quis enim tam ferreus, ut aliter ſentiat?) quodque magis refert, perpetuò etiam utramque conſului. Quamobrem ſi fortè me collocet Cl. Auctor in Claſſe illâ numeroſiore Mutinenſium Medicorum, qui, ut inquit, in hujuſce Febrifugi uſu modum non ſervant, ſciat ſe hallucinari quamplurimùm, cum debeat me potiùs reponere in eorum Claſſe, qui modum adhibent. Et primò quò ad nimiam in Peruviani Corticis adminiſtratione facilitatem, an ego vacem hujuſmodi culpâ, manifeſtè viſitur ubicunque de abuſu illius, vel de tot cautionibus, pro caſuum varietate hìc, & nunc in eo præſcribendo adhibendis, locutus ſum. Atque ut rem minutiùs perſequar, ſi ſermo ſit de hac facilitate in Febribus *Intermittentibus vulgaribus*, ſeu non malignis, videndum Caput octavum Libri primi, præcipuè a pag. 146. uſque ad finem Capitis, & duæ priores paginæ Libri ſecundi, videlicet pag. 189. & 190., quibus in locis me nedum cautum, ſed & ſcrupuloſum prodidi. Si verò ſit ſermo de *Subcontinuis malignantibus* (in *Intermittentibus enim malignis*, ac præſertim in præcipiti earum periculo me facilem non ſolùm fateor, ſed & profiteor) videndum Caput quintum Libri quarti; imò, & Caput ſextum ejuſdem Libri a pag. 573. uſque ad finem ipſiuſmet Capitis. Si denique ſermo ſit de *Continuis* abſolutè cujuſcunque ſpeciei, legendum Caput ſecundum, tertium, & quartum, præcipuè verò tertium Libri quinti, tandemque luſtranda Icon Febrium Chinâ Chinâ curandarum, vel non curandarum, quæ proſtat Cap. quinto ejuſdem Libri. Ex quibus omnibus clarè eluceſcet, me hujuſcè Febrifugi uſum a quamplurimarum Febrium curatione planè proſcribere, ad alias planè admittere, ad alias verò; imò etiam ad eandem in diverſis illius ſtadiis modò admittere, modò rejicere, ſummâ in hoc adhibitâ circumſpectione, tantâque interdum, ut remedium iſtud, quantumvis naturâ ſuâ prorſus innoxium, alias tamen ob cauſas ſæpius contra Graviſſimorum Scriptorum placita minimè verear excludere, vel alicubi nonniſi cunctanter admittere, aut potiùs permittere, ut latiùs de his omnibus in Reſponſionum proceſſu.

Quò verò ad exuberantem illius profuſionem, ſi quis me ab hoc

quoquè crimine immunem velit dignoſcere, legere ne gravetur Caput ſeptimum Libri primi, quod eſt ad quantitatem in *diuturnioribus Intermittentibus* præſcribendam, ubi me non tranſcendere intra hebdomadas tres, pro earum curatione ſimul, & præcautione, pondus unciæ unius Chinæ Chinæ clarè deprehendet. Quòd ſi loquamur de *Intermittentibus malignis*, aut etiam de *Subcontinuis*, ut vocitavi, pariter *malignantibus*, & in *acutas* ſenſim migrantibus, diſpiciendum eſt Cap. 3. Lib. 3. præſertim a pag. 323. uſque ad finem, & Cap. 4. ejuſdem Libri a pag. 352. uſque ad 354. incluſivè. Atque ibi me pro harum validiſſimâ curatione in occaſione præcipiti non plus Corticis impendere, trium pariter hebdomadarum ſpatio, quàm ſeſquiunciam, aut ad ſummum uncias duas, peculiariter tantùm diſtributas, cuique obvium eſt cernere. Aſt hæc quantitas, imò & longè minor, quæ in *Benignis* impenditur, quo jure poterit improbari a Cl. Auctore, qui, ut vidimus in *Collatione* Textuum illius Cortici favorabilium, Textu literis K. L. M ſignato, admittit uſum Corticis hodiernum *ad plures dies, donec ſcilicet febrile miaſma ſit penitus exantlatum?* Ad quod equidem opus abſolvendum, eam requiri ad minimum, quam taxavimus quantitatem, nemo non videt; quotidiana ſiquidem idipſum experientia confirmat. Denique ſi de omnibus antedictis variâ identidem, attentâque determinatione a me ſtatutis, præter ſcrutinium rationis, quis etiam *experientiam* deſideret, quam quoquè *conſulendam* eſſe monet egregiè Cl. Auctor, præter hiſtorias omnes tribus primis Capitibus Libri 4. comprehenſas, quæ Mtehodum meam, & proficuam, & rationalem oſtendunt, præter illas inquam, ut meam inſuper cautionem quoquè; imò, & nonnunquam hæſitantiam in præſcribendo Cortice, in experimentis ipſis, & obſervationibus plurium, ac plurium annorum fundatam queat diſpicere, adeat Cap. 10. Libri primi, Cap. 6. Libri quarti, & Cap. 4. Libri quinti, ni velit inſuper expiſcari caſus alios innumeros per totum Tractatum meum diſperſos. Quæ omnia in ipſo Diſſertationis limine per extenſum indigitaſſe ſufficiat, in reliquo clariùs adhuc exponenda ejuſdem Diſſertationis, ac Reſponſionum mearum progreſſu. An verò his omnibus ſatis pateſiat, non ſolùm *modum* ubique *adhibitum* fuiſſe a me in Chinâ Chinâ præſcribendâ; verùm etiam fuiſſe definitè indicatum, quinam eſſe debeat, & quâ religione ſervandus ſit hujuſmodi modus, a Cl. Auctore generaliter tantùm deprædicatus: item an ipſe *nimis facilè*, aut *nimiâ copiâ* in Therapeutice meâ illam præſcribam, aut præſcribendam doceam, ut fortaſſe viſum eſt Nepoti, & Patruo, penès Practicos judicium ſit. Quòd ſi fortè quiſpiam ex Noſtratibus Medicus, me inſcio, revera ſit, vel videatur nimius in uſu Chinæ Chinæ, illum, illoſve, quotcunque ſint, ſicuti ſi regulis, & cautionibus a me poſitis eâdem utantur, rectè utentes dicam; ita ſi secùs, forſitan abutentes. Sitne verò Mutinæ major Medicorum ſibi ex hoc plaudentium, vel non plaudentium numerus, ego ſanè, qui greſſus alienos non dinumero, calculum hunc nequaquam ſubduxi.

Quæris

§. 2.

QUæris ulterius an ſalutare conſilium eſſet uſum Chinæ Chinæ pertentare ad ſolam prophylaxim, num ſcilicet antequam ingruat ſolita febrium periodicarum tempeſtas per æſtatem, ſive autumnum, bonum eſſet Chinam Chinam adhibere ad præcautionem, ne generetur fermentum illud, quod hujuſmodi febres excitare ſolet.

(*Quæris ulteriùs &c.*) FUcatum hoc Quæſitum abnuo ſcalpere, ne color Diſſertationi obductus repentè concidat. Cum verò jam præ craſſitie ſuâ incipiat ille concidere, quamvis non ſcalptus, *alium* idcirco

——————— *Dic Quintiliane colorem.*

§. 3.

UT honeſtis petitionibus tuis ſatisfaciam, ad primum Quæſitum reſpondeo, juxta varias ætates, quas Divina Beneficentia percurrere mihi indulſit, (*a*) *varie ac diverſimode* de Peruviano Cortice me ſenſiſſe; juvenili ætate, ac in virili etiam ſtatu, fateor mihi in magno pretio habitam Chinam Chinam, & illa familiariter uſum, non ita tamen ab illius veſano effectu me fuiſſe infatuatum, ut illam tanquam Panaceam omnibus remediis præferrem, procedente vero ætate, (*b*) *experientia edoctum* à priori ſententia receſſiſſe me non parum, & non niſi cum ſumma cautione remedium hujuſmodi præſcripſiſſe. Sic frequenter evenit non ſolum in re Medica, ſed in aliis quoque facultatibus, quod ajebat Demea ille Terentianus.

Nunquam ita quiſquam benè ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

(*a*) (*Variè, ac diverſimodè &c.*) VAriè, ac diverſimodè ſenſiſſe, aut ſaltem ſcripſiſſe Cl. Auctorem de Peruviano Cortice diverſis temporibus, verum eſt nimis. *Juvenili ætate, ac in virili etiam ſtatu eam magno in pretio illi habitam quidem fuiſſe; ſed procedente ætate a priori ſententiâ ipſum receſſiſſe non parum*, bonâ ejus veniâ, diſtinctione indiget; enormis enim hic latet æquivocatio. Ante annum ætatis ſuæ 57., ac ideo tum in juvenili, tum in virili etiam ſtatu fuiſſe Cl. Virum uſui Corticis ſatis addictum eâ vulgari, quæ tunc vigebat methodo, minimè inficias iverim; id enim & me non prorſus latet. Ab anno 57. uſque ad annum 61. ejuſdem ætatis ſuæ, nempe ab anno 1690. uſque ad annum 1694. (quo tempore Conſtitutiones Epidemicas Mutinenſes conſcripſit) receſſiſſe ipſum nonnihil a priore ſententiâ, itaut nonniſi cunctanter, & cum recenſitis paulò ante limitationibus, quas modò ferme ad proſcriptionem uſque remedii coarctat, illius uſum admiſerit, ultro patet ex iiſdem Conſtitutionibus. Aſt progrediente adhuc ætate, & praxi, æquè patet, illum incomparabili huic Febrifugo ſtrictiore longè fœdere, quàm in ipsâ juvenili ætate ſe devinxiſſe. Id ſtatim patefecit, ac Patavinam Exedram cœpit conſcendere, fretus, ut reor, ulteriore experientiâ ab anno 1694. ad annum 1700. acquiſitâ: quo anno primam habuit in eodem Patavino Athenæo Orationem, quam *Secularem* dixit; in cujus decurſu non vulgaribus Peruvianum Corticem laudibus extulit. Multò magis extulit in *Tertiâ* anno 1702. ibidem habitâ, ut & in *Septimâ* habitâ anno 1706. Tandemque anno 1712. in Diſſertatione *De Contagioſâ Epidemiâ, quæ in Boves irrepſit*, eouſque devênit, ut ſphæram activitatis hujuſce remedii propagare conatus fuerit, quouſque illam tunc me propagaturum ſpoponderam in Synopſi Tractatus mei antea editâ. Quamobrem quaſi iis, quæ ipſe promulgaturus eram, prævium calculum vellet apponere, ad *Tertianas Pernicioſas* curandas mirabile remedium eſſe Chinam Chinam pronunciavit. Quorum omnium veritas, abſque eo quòd hanc crambem ad nauſeam uſque recoquam, ſatis liquet ex *Collatione* Textuum illius ſupra prolatorum, ad quos Lectorem iterum remitto. Conſtat itaque evidenter, illum in provectiori, gravique ætate nempe ab anno 67. circiter ejuſdem ætatis uſque ad 79. eam mutaſſe ſtrictiorem ſententiam, quam ab anno tantùm 57. ad 61. profeſſus erat, ut in meâ Therapeutice aſſerui pag. 640. Adeòque toto vitæ ſuæ curſu quater ſaltem diverſimodè, ſententiis videlicet alternatim oppoſitis, opinatus eſt de Peruviano Cortice Cl. Auctor. Juvenili ſiquidem ætate, ac in virili ſtatu illam in magno pretio habuit, ut hìc fatetur. In primâ ſenectâ habuit in minori, ut patet ex Conſtitutionibus Epidemicis. In ſecundâ ſenectâ uſque ad decrepitam ætatem (ſiquidem menti tam vegetæ ulla unquam obtigit ætas decrepita) habuit in maximo, ut Opera illius palàm commonſtrant. Ultimâ tandem Vitæ periodo, ab anno ſcilicet 79. uſque ad 81., quo fatis ceſſit, habuit in minimo, ut nupera hæc Diſſertatio rurſus teſtatur.

(*b*) (*Experientiâ edoctum &c.*) Hanc ergo, quâ edoctum ſe profitetur Cl. Auctor ulteriorem experientiam, ab editione tantummodo

Tracta-

Tractatus mei, Fungorum more, citra cultum repentè prognatam, ſterile biennium octogenariæ ætatis produxit. Aſt reclamat ille §. 18. hujuſce Diſſertationis. *Obſervationes iſtæ*, ſcilicet uſui Corticis infenſæ, *multorum annorum ſunt fructus* (rectiùs dixiſſet *duorum*, quos retuli) *& longævitatis a divinâ beneficentiâ mihi conceſſæ*. Quid ergo? Inſequarne ampliùs Virum, qui vel in dolo aliquo deprehenſus, *unum* pro re natâ *pedem habet in calceo*, *& unum in pelvi?*

§. 4.

A*Bſit tamen*, ut febrifugi hujus vim arcanam contemptui habeam, etenim ingenue fateor Peruvianum Corticem unum eſſe ex iis quæ facilius admirari poſſumus, quàm intelligere. Sicuti enim divinum illud Hippocratis aliquando in morbis reperitur, ideſt quiddam abditum, quod humanum captum excedat, ita etiam in aliquibus remediis obſervatur non raro, *τὸ θεῖον* & potiſſimum in Peruviano Cortice. Admirandum eſt profecto quomodo ad exiguum pulviſculum quomodocunque exhibitum febris periodicæ furor conquieſcat, interdum etiam extinguatur, quod de quocunque alio remedio pharmaceutico non tam facile obſervatur, quod ſciam. Opium equidem, ex quo Nobile illud Nepenthes dolorum ſedativum, paucarum horarum ſpatio dynamin ſuam oſtendit, ſpiritus animales conſopiendo, ſed hujuſmodi virtus ephemera eſt, nam altera die dolor redit, aſt Chinæ Chinæ beneficium non tam paucis diebus clauditur.

(*Abſit tamen &c.*) M*Alo nodo malus Cuneus*, dici ſolet: aſt hìc duro nodo mollis, & iners Cuneus a Cl. Auctore adhibetur: artificioſa quippe iſthæc laudum pondere carentium congeries encomiaſticis Textibus, aliàs a Cl. Ramazzino editis, nequit ſupplere Commentarii vicem, ut ille fortaſſis autumat; niſi Commentarii nomine veniat hìc explicatio germano textui planè contraria. Aliud namque eſt aſſerere, ut hìc aſſeritur, ineſſe Chinæ Chinæ neſcio quid arcani, quid abditi, quid tandem divini, uti quid divinum, aut potiùs quid divinandum latet in morbis, & aſſerere in eum præcisè finem, ut in progreſſu poſtmodum oſtendatur, illud idem *Arcanum*, *illudque mirabile*, *quod humanum captum excedit*, & Chinæ Chinæ ineſt, illud in-

quam

quam, ob hoc ipsum quòd *arcanum* est, esse in praxi *amethodicum*, *irrationale*, *merè empyricum*, *naturâ suâ dolosum*, *ac noxium*, *malitiamque habens occultam*, *& noxam inferens tantò perniciosorem*, *quantò occultiorem*, ut infra §. 6. 8. 15. 47 50. &c. : aliud est scripsisse, & sinè ullâ limitatione pluries promulgasse, eam esse *Remedium*, non habens tantummodo quid divini (id nempe divini, quod etiam in morbis malignis, & in venenis exitialibus delitescit) sed *divinum planè*, *tanquam munus a divinâ beneficentiâ nobis concessum*, *ad malè natam Febrium sobolem*, non consopiendam tantùm, ac interdum etiam extinguendam, sed absolutè *exterminandam*, *& ad exantlandum penitùs febrile miasma*, *dummodo ad plures dies exhibeatur: cui remedio simile aliud optandum est favore Numinum*, *& commiseratione*, *quâ solent in res humanas*, *ad Febres verè Continuas*, *& Continentes pari securitate sanandas*, *ac sanantur ab eo Periodicæ &c.*, quemadmodum latiùs legitur in *Collatione* pluries indicatâ. Certè Glossa recens minimè cohæret veteri Codici, digna tantùm quæ *apud Mulieres*, *& imperitam plebeculam* (si Cl. Auctoris verbis uti licet) *locum habeat*, *non apud eos*, *qui sapiunt*.

§. 5.

(*a*) C*Ætera remedia*, uti omnia emetica, catartica, hydrotica in morbis quibusdam promptam opem quam spondent, re ipsa præstant, sed cum ratione, dum è corpore peccantes humores eductos adspicimus, ast exhibito Cortice, sive in mediocri, sive in larga dosi, saltem ut plurimum nihil sensibile propelli videmus, fortuitum enim est si aliquid per vomitum rejiciatur, sive propinata China China contingat alui dejectio, (*b*) *virtute ergo secreta*, & adhuc incomperta Febrifugum istud agit id, quod agit.

(*a*) (*Cætera Remedia &c.*) QUod perfunctoriè, ut sic dicam, habet hìc Cl. Auctor de carentiâ, saltem utplurimum, sensibilis evacuationis ab epotâ Chinâ Chinâ, non videtur prolatum per modum objectionis; sed etsi eo etiam nomine intelligatur, vulgarem hujusmodi oppositionem ad ultimas usque ineptias solutam vide Cap. 3. 4. 5., & 6. Libri primi Therapeutices meæ. Quòd si te pigeat hujusce generis *Pandectas* evolvere, & nihilominus Catharticorum, Emeticorum, aliorumque similium remediorum inutilitatem, ac noxam, in concursu Febrifugi Corticis nil sensibile propellentis, paucis expressam nosse desideres; adi tantummodo Cl. Auctorem Orat. 3. Jatrici Argum. pag. 101., ubi hæc reperies. *E singulari*

hujus

hujus remedii præstantiâ (loquitur de Peruviano Cortice) *quòd in Periodicas Febres vim suam potissimùm exerat, id beneficii fuimus assecuti, ut verum discrimen inter Febres Intermittentes, ac eas, quæ verè sunt Continuæ, nec non inter illarum focum teneamus; neque ampliùs unicâ methodo Febres omnes curentur, tam Gastricæ, quam Venosæ, continuato scilicet refrigerantium, & humectantium usu, tot repetitis venæ sectionibus, tot iteratis purgationibus, quæ humani corporis machinam potiùs infirment, quam confirment* (en ergo quid præstent in curandis hujusmodi febribus remedia, quæ *humores è corpore educunt*, quæque in hoc Paragrapho tam fidenter dicuntur *re ipsâ præstare promptam opem, quam spondent*) *sed illæ tantùm Febres, quæ de Intermittentium familiâ sunt, pulveris exigui haustu in vino soluti, aut compressæ quiescant, aut etiam penitùs aboleantur.* Aboleri possunt igitur secundùm ipsum Cl. Auctorem Febres, *quæ de Intermittentium familiâ sunt, haustu pulveris exigui nihil sensibile propellentis.* Quomodo autem tutò, & rationabiliter id fiat, videre est per extensum locis nuper citatis Therapeutices meæ.

(*b*) (*Virtute ergo secretâ &c.*) Hocce effatum per modum Consequentiæ hìc loci prolatum, sinè ullo etiam antecedente, nemo, quòd sciam, unquam negavit. Ratio tamen potissima (si velimus ingenuè fateri) cur tam *secreta* sit virtus hujusce Febrifugi, est quia *secreta* est *Causa* Febrem Intermittentem gignens; hac enim cognitâ, facile forsan esset dignoscere quidquid habet in se China China, quod hujusmodi Causæ opponatur. Ita quoquè si Chinæ Chinæ in febres agentis ratio intima innotesceret, ad incompertam febrium ipsarum notitiam via facilis sterneretur. Ob hanc rationem Villis, Borellus, & alii ominati sunt, fore, ut ex hujusce Corticis virtute, quamvis adhuc occultâ, lumen sufficiens aliquando trahatur ad detegendam *occultam* pariter Febrium Intermittentium naturam. Sed hi fortasse Viri, inquiet Cl. Auctor, ut in §. septimo, haud satis *sanâ mente disquisiverunt de hoc Peruviano Febrifugo.* Audiamus potiùs illum nullâ præoccupatione detentum, *neque* (quod maximè cavendum præcipit eodem § septimo) *de Chinâ Chinâ Tractatus edentem, sed ingenuè datâ occasione tractandi de Febribus suum judicium ferentem. Hariolari licet*, inquit ille Orat. 3. Jatr. argum. pag. 103. *hariolari licet, ex admirandâ hujus Corticis virtute Febris naturam medullitus aliquando erutam iri; passim enim hujus celeberrimi Febrifugi Chymica Analysis instituitur &c.* Consequentia igitur, quæ ex hisce omnibus debet inferri de *virtute abditâ* Chinæ Chinæ, respectu habito ad virtutem patentem aliorum remediorum, mediis evacuationibus sensibilibus morbos nonnullos curantium, ea non est, quam illaturus est Paragrapho sequenti Vir Cl., quòd nempe *amethodicus* idcircò sit illius usus; sed est ea, quam infert, ab ipso Cl. Auctore sæpissimè laudatus Sydenham, in Præfat. ad Lectorem lib. de *Observationibus Acutorum*; videlicet Peruvianum Corticem hac unâ de causâ, quòd *virtute ignotâ sinè evacuatione sensibili* determinatam morbi speciem delet, ac destruit, jure merito *Remedium Specificum* appellari; imò *unicum* esse in Medicinâ, cui verè competat

Speci-

Specifici denominatio: remedia verò, quæ mediantibus evacuationibus ad varios morbos curandos adhibentur, æquè impropriè appellari *Specifica*, ac quis *Scalpellum Phlebotomum* Remedium Pleuritidis *Specificum* vocitaret.

§. 6.

DIu *equidem*, ſed fruſtrante diligentia à ſagacioribus Medicis allaboratum eſt circa hunc Corticem, ut aliquid proferrent quod animum veritatis avidum expleret, *ſed vincit adhuc natura latendi*, ut olim de Nili origine cecinit Lucanus. Cum ergo poſt tot conatus magnorum Virorum, & facta tentamina per varia experimenta, num ſaltem pro ſolamine laborum in Vegetabilium familia in Europa aliquid analogum Peruviano Febrifugo reperiri poſſet, adhuc ignotus ſit operandi modus hujus celebris Antipyretici, aſſerere neceſſe eſt rationalem non eſſe illius uſum, ſed mere empiricum, & amethodicum.

(*Diu equidem &c.*) EX eo quòd Febrifugum iſtud agat virtute *adhuc incompertâ*, ut ſupra adnotavit Cl. Auctor, *ſitque adhuc ignotus*, ut modò repetit, *illius operandi modus*, haud ſatis percipio, cur *neceſſe ſit aſſerere*, ut aſſerit, *rationalem non eſſe illius uſum*, *ſed merè empyricum*, *& amethodicum*. Hoc jacto fundamento, nunquam Chinâ Chinâ licebit uti; ſemper enim obſtabit, qui ſemper *occultus*, & *ignotus* eſt, illius operandi modus: cum tamen aliquando utendum eſſe, & quomodo utendum ſit, per varia ratiocinia, variaſque regulas, quæcunque illæ ſint, doceat idem Cl. Auctor in proceſſu Diſſertationis, & ſignatè §. 48., remediumque iſtud, quod modò *amethodicum* dicit, tandem *methodicum*, & *rationale* affectet reddere, etſi modo illi etiamnum incomperto vim ſuam exerat antipyreticam. Sic egomet illud idem, in primâ licèt inventione ſuâ, ut alia remedia ferè omnia, prorſus empyricum, ad rationales demum, & inſolitos uſus extendere pro viribus conatus ſum, præeuntibus mihi aliis non paucis, egregii hujuſce Febrifugi fortuitò quondam detecti utilitatem eximiam legibus Artis promovere, & ampliare ſtudentibus. Scilicet non pudet Medicos culti hujuſce Seculi (inquit doctiſſi nè ſuo more Eruditiſſimus D. Antonius Franciſcus Bertini in præclariſſimo Opere ſuo, cui Titulus -- *La Medicina difeſa* pag. 171.) non pudet, inquam, Medicos hujuſce Seculi; imò referunt ii in decus ſuum, Chinam Chinam, quâ primò a Barbaris uti didicere ad Quartanas tantùm expugnandas, ad meliores uſus quotidie transferre, nedum ratione, & obſervationibus

tuiti;

fulti; verùm & auctoritate ipsius Hippocratis, sic, illo notante, docentis. *Neque verò pigeat ex plebejis sciscitari, si quid ad curandi opportunitatem conferre videatur*. En igitur quo pacto ex mente Divini Senis remedia empyrica parum nota, & a plebejis ipsis petita, accedente demum Medicorum observatione, studio, & industriâ, ad rationales Canones redigi possint. Verùm quid multis? Nonne ignota nobis est virtus cujuscumque Specifici, quorum tam creber est usus, & copia tam ferax in Medicinâ, ut series eorum, si cuncta vellem persequi, facilè volumen impleret? Nemo certè virtutem novit, seu modum actionis, quâ Lapis Aetites abortum dicitur præcavere, Judaicus mederi Nephritidi, Hæmatites Hæmophthysi, tot Amuleta Quartanæ, aut Tertianæ Febri, tot alia Ictero, Epilepsiæ, Hystericæ affectioni &c. An igitur horum virtus, & actio, quantumvis *occulta*, *methodica* vocabitur, & *rationalis*, quia utplurimùm futilis, aut nulla est? Si hac ratione methodicus est rerum hujusmodi occultè agere creditarum usus inanis, verè ex Contrariorum regulâ erit amethodicus, nedum usus Peruviani Corticis apud Medicos, sed & apud Nautas usus Acus nauticæ, quia *ignota*, & adhuc incomperta est virtus utique certa, quâ verè Magnes constanter respicit Polum. Extraordinarium magis est id, quod additur a Viro Cl., nempe amethodicum esse Chinæ Chinæ usum, eò quia *in Vegetabilium Familiâ nihil illi analogum adhuc reperiri potuerit in Europâ*. Anne quidquid ab Indis ad nos defertur, cui simile non sit in Europâ, vocabitur amethodicum in Medicinâ? Exulent igitur a Pharmacopoliis quævis Aromata. Si verò Cortex Peruviano Cortici analogus in Europâ reperiretur, numquid propterea methodicus unà evaderet Americanus, & Europæus Cortex? Sed hæc frustra obtruduntur a me Cl. Auctori, qui decreto irrevocabili jam sancivit, ex eo quòd *ignotus sit adhuc operandi modus hujus celebris Antipyretici, necesse esse asserere, rationalem non esse illius usum, sed merè empyricum, & amethodicum*. Appello itaque a D. Ramazzino Cortici irato ad D. Ramazzinum Cortici benigniorem, & ante paucos annos ingenuè fassum, æquè *ignotum* esse operandi modum *omnium* fermè, quot quot habet Ars Medica, *remediorum:* ideoque optandum esse simile aliud Febrifugum pari *securitate* Febres verè Continuas sanans, ac istud sanat Periodicas; neque referre quicquam, etiamsi *ignoto* illius operandi modo, *cæco nos modo Andabatarum more* contra easdem Febres pugnaremus. Vide propterea, tum Textum notatum lit. C.; tum maximè alium notatum lit. I. in *Textibus Ramazzinianis* Cortici favorabilibus, &, ni obstupescas, obstupescam.

§. 7.

SUppono Te clariores Scriptores legisse, non eos solum qui ex professo de China China scripsere, qua de re tot in dies prodeunt novitates, ut de hoc remedio jam habea-

habeamus Pandectas, ſed etiam eos, qui data occaſione tractandi de febribus, ac illorum remediis, de hoc Peruviano Febrifugo *(a) ſana mente*, ac ingenue diſquiſiverunt, facile enim Tibi fuiſſe exiſtimo obſervare quàm parum conveniant qui ex profeſſo de China China tractatus edidere, & illi qui data occaſione de hoc remedio judicium ſuum tulere, priores enim (qualis mos eſt eorum, qui de aliquo novo medicamento tractatus integros edunt, in eo quod laudandum aſſumpſere modum neſciunt, ac ut ait Juvenalis *de magnis majora loquuntur*) ſummis laudibus remedium iſtud ad Aſtra efferunt, *(b) Arborem Vitæ* illud appellantes, alii vero ſuſpenſo pede de China China procedunt, *(c) bona & mala* quæ non raro inferat ingenue exponentes, ſic *(d) laudatur ab his* culpatur ab illis, ut legentes, ac præſertim Juvenes dubios relinquant in quam partem ſe dedere debeant.

(*a*) (*Sanâ mente &c.*) QUaſi ſanâ mente non diſquiſierint, *qui ex profeſſo de Chinâ Chinâ ſcripſere, ac edidere Tractatus*. Sed hoc in obſequium defuncti miſſum faciamus. Sanâ certè mente de hoc Febrifugo diſquiſivit Cl. Auctor in ſuis Orationibus Jatrici Argumenti. ubi tot, quas partim recenſuimus, partim etiam non recenſuimus laudes effudit; & quidem majores, ac unquam effuderint ii, qui, ut inquit ille, *in eâ laudandâ modum neſciunt, ac de magnis majora loquuntur*. Sanâ inquam mente tunc diſquiſivit de Chinâ Chinâ Cl. Auctor; tum quia non aliter potis erat quicquam ſcribere; tum quia, non ad augendas de hoc Remedio *Pandectas* ullo ſcripſit perculſus affectu, *ſed datâ tantùm occaſione tractandi de Febribus*, & ſignatè in tertiâ ex iiſdem Orationibus (quæ circa Febres verſatur tota) ut fusè jam vidimus. Quâ poſtmodum, & quàm ſanâ Minervâ ſcripſerit ille in hac Diſſertatione, ubi *ex profeſſo de Chinâ Chinâ agens*, ſentit oppoſitum, decernere meum non eſt.

(*b*) (*Arborem vitæ &c.*) Ego certè, qui de hoc Remedio *Tractatum integrum edidi*, Arborem Vitæ illud me appellaſſe non memini. Memini tantùm, pag. 7. ejuſdem Tractatus dixiſſe hæc obiter; cùm videlicet facilem relapſum in Febres, aſſumptâ ſemel, ac unicâ tantùm doſi Chinâ Chinâ, citra contentionem conceſſi -- *Niſi hoc unum obſtaret, Arborem Vitæ in Chinâ Chinâ ſuperſtitem divinâ clementiâ crediderim* -- Sed hìc Vir Cl. incidit ſolus in foveam, quam fecit. Mihi enim obſtitit aliquid, ne Chinam Chinam appellarim *Arborem vitæ*. At illi, *nullum de eâdem Tractatum edenti*, nil obſtitit, quò minùs aſſeruerit

ruerit, ut in præmissâ Collatione Textuum, *Hieron hoc Picron ex Arbore Vitæ fuisse decerptum*. Sic dum Vineta mea cædere satagit Cl. Auctor, cædit sua.

(*c*) (*Bona, & mala &c.*) Satis memetipsum citavi, ut ostenderem, quàm *suspenso pede processerim* in Opere meo, usum Chinæ Chinæ methodicum omni adhibitâ cautelâ ibidem indigitans. *Malos* verò æquè ac *bonos* eventus an ingenuè *exposuerim*; quos ab illius administratione, vel præposterâ, vel præproperâ, vel minùs castigatâ, vel minùs circumspectâ procedere observavi, facile est cernere a pag. 557., usque ad 559., & a pag. 627., usque ad 635., ut & pag. 659. & 663. ejusdem Operis. Imò si quis ultroneam quoquè ingenuitatem meam velit adhuc clariùs dignoscere, lustret historias defunctorum, quibus, vel planè desperatis, vel constitutis in aliis quibusdam difficillimis circumstantiis inutiliter solùm (neque enim noxiè) propinatus est Cortex: eas verò reperiet a pag. 375. usque ad 381. Tractatus ejusdem. Ut proinde, si fortè modò me petat, me certè nequaquam attingat Cl. Auctoris Censura.

(*d*) (*Laudatur ab his &c.*) Laudari ab uno, & culpari ab alio, est Fatum pluribus aliis Remediis commune; at laudari ab uno, & ab eodem culpari, unius est Chinæ Chinæ in Scriptis Cl. Ramazzini. Inde puto & ego, fore posthac, ut non ampliùs ambigant Juvenes, *in quam partem se dedere debeant*. Viro enim Cl. in *Collatione* superiùs allatâ viam utramque præmonstrante, tam *dextrorsum* vergere impunè poterunt, quàm *sinistrorsum*. Nisi forsan illis in eo bivio, cui simile raró visitur, constitutis contingat, quod sibimetipsi, Veterum, & Recentiorum volumina, ut naturam Febrium exploraret, evolventi, contigisse refert idem Cl. Auctor pag. 89. Orat. Jatrici Argumenti, recolens illud Terentiani Senis -- *Incertior multò sum, quàm dudum*.

§. 8.

(*a*) IN *provectiori* ergo ætate experientia edoctus, & observatis noxis ab illa prognatis, cautius in illius usu processi, & mediocri solum dosi præscripsi (*b*) *ad dracmam unam* vel duas in febribus intermittentibus, quando nimis protractæ ægros fatigarent; in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis æger recrearetur, & vires resumeret, (*c*) *non sine spe*, imo cum certitudine febrem redituram, quæ una cum natura roborata, morbi causam expelleret, seu mutata aeris temperies, quæ in morbis diuturnis magnam vim habet, febris historiam absolveret; hæc mea est methodus, qua in æ-

tate

tate ſaniori ſum uſus. *(d) Cœterum* in quacumque febre intermittente, quacumque ætate, ſexu, regione, tempore, temperamento, corporis habitu, conſtitutione, Chinam Chinam indiſcriminatim exhibere velle, magnum abuſum eſſe judico.

(*a*) (*In provectiori &c.*) PRæter id, quod diximus §. 3., & dicturi ſumus §. 18. de *experientiâ* per Cl. Auctorem acquiſitâ *in provectiori*, ut inquit, *ætate* pravorum effectuum Peruviani Corticis, hìc quoquè loci animadvertat Lector, Virum Cl. ab anno 67. ad 79. ætatis ſuæ (quæ quidem ætas videtur nonnihil provecta) tot, tantaque ſcripſiſſe, ut vidimus, & poſthac videbimus, in commendationem Chinæ Chinæ, ut minimè veriſimile ſit, noxas ullas ab eâ prognatas illi tunc obſervatas fuiſſe. Univerſam ergo experientiam noxarum hujuſmodi eo ipſo anno ætatis 80., quo Diſſertationem hanc conſcribebat, praxique Medicæ exercendæ vitio corporis impar evaſerat, ipſum acquiſiviſſe neceſſe eſt, & tunc tantùm Chinam Chinam cautiùs præſcribere didiciſſe. Hæccine ergo longa illa multorum annorum experientia tam inconcuſſa, quam Jactitat?

(*b*) (*Ad Drachmam unam &c.*) Præſcribere tamen ad Drachmam *unam*, & *ſemel* tantùm, idem eſt ferè ac non præſcribere. Ad Drachmas autem duas in iſtiuſmodi diuturnis, benigniſque Intermittentibus Febribus, verè ſat eſt, ad impetrandas aliquot dierum inducias; quandoque etiam ad extinguendam Febrim: neque ego hiſce caſibus hanc doſim vulgarem tranſcendo, ut aliàs ſum effatus; nec rarò quoquè unam tantùm Drachmam primâ vice præſcribo. Sed ſive unam præſcribam, ſive duas, ſequentibus ſemper diebus nonnullas iterum Drachmas, vel ſaltem ſemidrachmas ſumendas præcipio, ne, ſi fieri poſſit, Febris, ut verè nocens depulſa, iterum redeat. Idipſum commendavit aliàs Cl. Ramazzinus, tum in Diſſertatione *De Contagioſâ Boum Epidemiâ*, faſſus ibi pag. 38., taciteque approbans, ut ex contextu, quòd noſtris temporibus *hujus remedii doſis largior eſſe cœpit, quàm olim*, tum in Orationibus Jatrici Argumenti pag. 102. his verbis. *Poſtquam hujus Remedii uſus innotuit, & non ſemel tantùm, ut olim, ſed plures ad dies exhiberi cœptus, donec Febrile miaſma fuerit penitùs exantlatum, talem Febres curandi Methodum factam fuiſſe fateri oportet, qualem in re Militari poſt inventum pulverem pyrium omnes norunt &c.*, ut fuſiùs in Collatione Textuum illius lit. K. L. M. Immeritò ergo nunc ad unam, vel alteram Drachmam reſtringit rectum uſum Corticis idem Cl. Auctor. Alia profectò menſura, & quidem pro Febrium varietate varia, ſtatuenda eſt. Verùm de congruente ſingulis Febrium generibus Chinæ Chinæ doſi, pleniorem in ſequentibus ſuo loco ſermonem habebimus.

(*c*) (*Non ſinè ſpe &c.*) Plura hoc loco ſunt perpendenda. Inquit

quit Cl. Auctor, se Chinam Chinam præscripsisse *non sinè spe, imò cum certitudine Febrem redituram*. Quoad *spem redituræ Febris*, alicui forsan lusui locus esset, si viveret Vir Cl., cui placuit olim in suis Constitut. Epidem. pag. 125. annotare, quinam *fuerit Medicis annus quæstuosior*: modò cum cineribus jocari non decet; atque ob id etiam, quòd Viro, non quæstus, sed famæ cupido, minimè congruunt hujusmodi ludicra. Relinquamus ergo hanc *spem* cuipiam Agyrtæ, aut Circulatori, corium humanum, cùm se præbet occasio, lubenter negotianti. Quò ad *certitudinem* verò reditus Febris, quam habuit idem Vir. Cl., cùm Chinam Chinam præscripsit *ad impetrandas tantùm aliquot dierum inducias*, quispiam me doceret velim, quomodo conciliandus sit Textus iste cum alio Textu Paragraphi 27., qui sic habet. *Hic nimirum Medicorum est error, ut si Chinam Chinam in hunc solum finem præscribant, ut paucos a paroxysmis dies liberos obtineant, interdum eludantur, Febre ampliùs non redeunte, sed tacitè corpus depascente*. Anne igitur unus ille potuit cum Febre pacisci, ut ea rediret? atque ita quidem ex privilegio speciali, ut quod ei licuit, cæteris Medicis nequaquam liceat? Ad hæc si satis cautè se Chinâ Chinâ usum putat *in ætate saniori*, quia usus est *in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis Æger recrearetur, & vires resumeret, quando Febres nimis protractæ Ægros fatigarent*; cur æquè cautè se, vel alios non putaret uti, si Febribus modicè tantùm protractis, eâ uterentur ad tollenda *gravia Symptomata* quandoque supervenientia, quæ vires etiam constantes non rarò opprimunt, Ægrumque tandem in vitæ discrimen adducunt? Hunc sanè titulum pro præscribendâ rationabiliter Chinâ Chinâ; Viro Cl. cæteroqui suspectâ, potiorem crediderim, quàm ut Æger a *diuturnitate* morbi *recreetur*, & vires resumat.

(*d*) (*Cæterum &c.*) Huic Textui ante annos octo hunc alium Textum præmisit, & post biennium sponte recusit Cl. Ramazzinus: feratque Lector coactam hanc repetitionem *provocante materiâ*. *Solus Peruvianus Cortex, nobis a Divinâ beneficentiâ munus concessum, sinè alterius rei mixturâ* (sunt illius præcisa verba, quæ in septimâ Oratione Patavinâ leguntur pag. 212. secundæ Edit., & pag. 19. primæ Edit.) *in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, sexu, temperamento, Febres saltem recurrentes, atque intervallatas fugat, & exterminat*. Si adversari sibimetipsi in eâdem provectiori ætate non est hoc; quodnam erit? Certè quisquis non ultra conscius hæc legeret, facilè Cl. Ramazzinum diceret anno 73. ætatis suæ, quo hæc primò conscripsit, & 75., quo ea recusit, *infatuatum eo vesano affectu* erga Corticem Peruvianum, quo nec fuisse inquit *juvenili ætate, cùm Chinam Chinam habuit in magno pretio*. Sed tantam rerum discrepantiam in tantâ verborum similitudine miretur nemo: sic namque *iisdem literis Comœdia, & Tragœdia componitur*.

Si qua tamen limitatio extra tot frustraneas a Viro Cl. recensitas constituenda videatur, ea una potiùs est, quam ego indicavi pluries in Opere meo, locis antea citatis, & alibi; scilicet, ne quocunque

morbi tempore (non quocunque tempore anni) imò nec in quacunque Febre Intermittente, nisi videlicet ea *Corruptiva* sit, Cortex adhibeatur; ne vel præmaturè sistatur Febris, quæ seriùs sisti debuisset, vel ea sistatur, quæ absolutè non erat sistenda. Quamobrem si arrideret Scholarum distinctio, dicendum esset, Chinam Chinam convenire in quacunque Febre Intermittente *specificè*, puta, tam in Quartanis, quàm in Tertianis &c., non in quacunque *individualiter*; sed in unâ convenire, non in aliâ: imò ubi etiam individualiter convenit, modò uno tempore illius convenire, modò alio. In hoc consistit, magnâ saltem ex parte, usus methodicus. Cætera ab eo recensita non prohibent Chinam Chinam usurpari; sed ad summum eorum nonnulla dici possunt quoquo modo prohibere quò ad quantum, ut, si Puero ea sit præscribenda, minori dosi præscribatur, ac præscribatur Adulto. Sed hæc quibusvis remediis communia cum sint, & vel Tyronibus nota, non est cur illis Practicos velit morari Cl. Auctor.

§. 9.

CErte in *(a) Pueris*, *& Adolescentibus*, ubi per æstatem febribus intermittentibus, quæ ut plurimum sunt tertianæ spuriæ, raro autem simplices, & exquisitæ, parum proficuum observavi Chinæ Chinæ usum, licet enim videantur aliquantum mitescere, hoc febrifugo exhibito, sæpissime redeunt, & ad multos menses *(b) contumaciores perstant*, nec nisi ad oppositas anni tropas receptui canunt. *(c) Vidi* anno elapso Patavii in familia quadam, quæ multas puellas habebat, eodem tempore febribus istiusmodi laborantes, cum ferina tussi in principio accessionis, quibus cum varia remedia fuissent administrata, sed incassum, & Mater instaret, ut illis præscriberetur China China, nec Medici qui curationi aderant annuere velent, Mater libere dixit se tale remedium, cujus vim fuerat experta esse exhibituram, quod cum fecisset febres semper contumaciores sunt factæ, ac per totum autumnum, ac hyemem, usque ad veris principium perdurarunt; ætas enim hujusmodi ob errata in victu, & minorem per ambitum corporis humorum difflationem, ab hoc remedio, quod nihil è corpore educit,

(d) sed

(d) ſed potius concentrat, nil opis obtinet, fortior autem ætas, qualis eſt Juvenum & virorum facilius ſuſtinet incommoda, quæ poſſet China China inferre.

(*a*) (*Pueris*, *& Adoleſcentibus &c.*) NE tempus inutiliter teram, oſtendendo proficuum Pueris, & Adoleſcentibus Peruvianum Corticem, (quod nonniſi experimentis poteſt nervosè probari) neve caſus propemodum innumeros in medium adducam, qui in dies hoc idem evincunt; ſat erit eos tantùm rurſus indicare, quos in Therapeutice meâ protuli, ubi tam diuturniorum *Intermittentium*, quàm *Subcontinuarum*, atque etiam *Lentarum*, non contemnendæ curationes viſuntur. Adeat ergo Lector Tractatum meum pag. 167. hiſtoriâ 4. pag 183. hiſt. 15. & pag. 187. a principio ad finem. Item pag. 433. hiſtoriâ 3. pag. 473. hiſt. 1. & pag. 495. hiſt. 9. Item pag 648. hiſtoriâ 1. pag. 650. hiſt. 2. pag 651. hiſt. 3. pag. 655. hiſt. 4. & pag. 660. hiſt. 6. Non ergo *parum proficuus Pueris*, *& Adoleſcentibus eſt Chinæ Chinæ uſus*, ſi ea ſolùm cùm decet, atque ut decet adminiſtretur. Potiùs non adeò frequens in illis eſt utendi occaſio; quippe quibus faciliùs eſt, & febres ſortiri *depurativas*, & eas ſinè gravi incomodo diutiùs perferre.

(*b*) (*Contumaciores perſtant &c.*) Si perſtant Pueris ad multos menſes contumaciores Febres, cùm redeunt ab epotâ Chinâ Chinâ, quomodo *illarum reditus* denuo poſt Chinam Chinam exoptatur a Cl. Auctore §. 25. *loco remedii?* Vel ſi *remedii loco* ſtat *reditus febris*, cur modò ab eo damnatur hoc idem remedium, cujus actio ſi diutiùs perſtet, diutiùs juvabit? Hac datâ occaſione, quærerem inſuper, ſi liceret, cum Peruvianus Cortex commendetur ſæpius a Viro Cl. in Conſtitutionibus ſuis Epidemicis ad Vermes Puerorum necandos, ut pag 14. & pag. 61. ipſarum Conſtitutionum: & cum in præſenti Diſſertatione dicatur habere *malitiam occultam*, quâ noxas plurimas ratione ſui poſſit progignere, quî fiet, ut ſolam *virtutem*, quâ Vermes necat, non *malitiam*, quâ homini nocet, exerat in Pueris induſtrius Cortex?

(*c*) (*Vidi &c.*) Quidquid Patavii contigerit in Puellis unius Familiæ, quibus forſan *ſemel tantùm* (ſcitque Deus quâ doſi, quâ lege, quâ methodo, & quo morbi tempore) invitis Medicis Chinam Chinam exhibuit impatiens Mater, certum eſt, Mutinæ mihi longè aliter ſæpius contigiſſe, ut retuli; nec ab uno tantùm eventu malè parto aſſurgit Regula, ſed a multiplici. Interim eo quoquè caſu nil magis profecerant *alia Remedia incaſſum*, ut legitur, *antea adminiſtrata*. Neque proinde adhuc mente aſſequor, unde habuerit Vir Cl, durationem ulteriorem earum Febrium aſcribendam potiùs fuiſſe Chinæ Chinæ, quàm aliis remediis æquè incaſſum adminiſtratis. Quoniam ergo, ut ſubdit, *Contumaciores Febres per totum Autumnum*, *& Hyemem* his Puellis *factæ fuerunt*, cur illas Veterum Febrifugis, ipſo judice, longè *præſtantioribus*, licèt e corpore *nihil ſenſibile* pariter *propellentibus*, *quibuſque ſolis*, ut inquit §. 18., *Medicina poſſet eſſe contenta*, non

 fugavit

fugavit Cl. Auctor, unde erubescerent, & Chinæ Chinæ Fautores, & audacula Genitrix?

(*d*) (*Sed potiùs concentrat &c.*) Si quis Tractatum meum legere non renuat, inveniet passim in historiis, ut in 19. & 20. Cap. 2. Libri 4., nempe a pag. 468. ad 471., ab epotâ Chinâ Chinâ urinam copiosiorem redditam; atque hoc quidem perpetuum est. Inveniet insuper, idem Febrifugum propinatum erumpentibus Criticis Sudoribus, fluentibus Menstruis, Puerperiis, Alvo &c. nunquam hasce evacuationes interturbasse; sed eas solùm sistere consuevisse, quæ Symptomaticæ sunt; inquantum scilicet tollendo Febrem, indè quoquè producta tollit Symptomata; non autem quia vi peculiari polleat easdem evacuationes sistente. Cur itaque tam fidenter, & gratis asserat Cl. Auctor, *hoc Remedium nihil e corpore educere*, *sed potiùs concentrare*, non video. At de his fusiùs alibi, præsertim §. 41.

§. 10.

(*a*) A*St hoc de muliebri* sexu dici nequaquam potest, sexus enim muliebris ex sua natura minus aptus est ad beneficia reportanda ex usu Chinæ Chinæ, minus enim operosus est hujusmodi sexus, & larium domesticorum magis amans; (*b*) *Monialibus præsertim* intra sua Claustra conclusis, parum salubrem esse Chinæ Chinæ usum, satis compertum habeo; perraro etenim induci potui, ut illis Chinam Chinam exhiberem, nec nisi cum protestatione (*c*) *febrem redituram*, & pertinacius duraturam, Medici enim non solum ab ægris, sed etiam ab aliis Monialibus interdum compelluntur præscribere ea, quæ nollent remedia, quod observavi pariter in puellis, quæ apud ipsas educantur. A' Monialibus itaque antifebrile istud exoticum longe ablegare bonum judico, ab experientia sic edoctus, febres enim Sacrarum Virginum, ut ut parvæ, habent nescio quid abditum, cui malo abigendo potius alchalia volatilia, quàm fixa conveniunt. (*d*) *Ab Ædibus quoque Nobilium*, aliorumque potentium Virorum, in ocio urbano, seu rurestri cum victus lautitia degentium, Chinam Chinam proscribi utile judico, licet enim ubi interdum ex aliqua febre intermittente

decum-

decumbant, quamvis caſſiæ modico purgentur, aut vena ſecetur, non tam facile diſponi poſſunt, ut ſatis tuto iis præſcribi poſſit febrifugum, ut ab aliis malis poſtea non plectantur.

(*a*) (*Aſt hoc de muliebri &c.*) DE hoc Ligno vitæ poteſt fructum carpere etiam poſt lapſum fœmineus æquè, ac virilis ſexus, ut diutiùs vivat. Si exempla cupiat Lector, adeat (ſeclusis hinc Mulieribus *Gravidis*, & *operoſis*, quæ plures forent) adeat inquam Therapeuticen meam pag. 159. hiſtoriâ 4. pag. 165. hiſt. 2. pag. 166. hiſt. 3. pag. 177. hiſt. 12. pag. 414. hiſt. 9. pag. 416. hiſt. 10. & 11. pag. 419. hiſt. 12. pag. 453. hiſt. 10. pag. 457. hiſtor. 12. pag. 458. hiſt. 13. pag. 480. hiſtor. 4. pag. 657. hiſt. 5., pag. 508. hiſt. 1., pag. 510. hiſt. 2., tandemque pag. 521. a fronte ad calcem, ubi proſtant inſignes Mulierum Chinâ Chinâ ſanatarum hiſtoriæ. Sed forſan id contigit, quia hiſce temporibus ſequior ſexus *Larium domeſticorum* eſt *minùs amans*, ac olim.

(*b*) (*Monialibus præſertim &c.*) Quod eſt ad Moniales, adeat idem Lector pag. 156. hiſtoriâ 2. pag. 171. hiſt. 7. pag. 172. hiſt. 8. pag. 463. hiſt. 16. pag. 490. hiſt. 6. &c. Id unum ſciſcitarer a Cl. Auctore, ſi adhuc eſſet in vivis, num ſcilicet ad Veſtales quoquè illas quas Tertiarias vocant, quæque Moniales cum ſint, extra Clauſtra tamen vagantur, extendatur illius Interdictum. Nec feſtivè tantùm ſciſcitarer, ſed ad rem quoquè: nuper enim dum hæc ſcriptitarem, vênit domum meam Tertiaria quædam ex ordine S. Franciſci, cui nomen *Soror Maria Franciſca Righi*, ut me de invaletudine ſuâ conſuleret. Narravit illa mihi (narro ego, quæ ipſa retulit) ſe Quartanam Febrem diutiùs geſtaſſe; pro cujus curatione cum Chinam Chinam jugiter reſpuiſſet, tandem aſſumptis, nunc Medicorum, nunc Mulierum ſuaſu, pluribus Veterum Febrifugis, id opis reportavit, ut *Febrium cauſâ extenuatâ*, & *ſenſim exantlatâ* (quemadmodum loqui conſuevit Cl. Auctor) elapſo integro *decennio* convaluerit: poſt vacationem autem duorum menſium a Febre, ſibi ex improviſo ſuccreviſſe in infimo ventre Tumorem quemdam dolorificum, ferme ac ſi Corticem Peruvianum, *obſtructiones*, *cachexias*, & his ſimilia, ex eodem Cl. Auctore, mala progignentem, potaſſet. His ita ſe habentibus, quærerem, an Peruviano Febrifugo poſt ſex V. G. priores menſes aſſumpto, citiùs illa, tutiùs, atque jucundiùs convaluiſſet necne. Jam verò rurſus ad nos. Siquid cavendum eſt in Monialibus Chinâ Chinâ curandis, illud eſt, ut diligenter diſpiciamus, num Febres earum verè pendeant a Fermento ordinario Febrium Intermittentium, an potiùs, ut perſæpe accidit, a nervoſo, vel lymphatico genere univerſo, atque occaſione potiſſimùm vitæ cœlibis: quo caſu longè minùs efficax eſt actio Corticis. Has verò diverſi ordinis Febres, per ſua ſigna ab invicem dignoſci aptas, nonniſi peritis datum eſt internoſcere, iiſque tan-

 tùm,

tùm, qui callent ex praxi, quantum ab æqualibus absint similia, & ———— *quid distent æra lupinis*.

(*c*) (*Febrem Redituram &c.*) Ne me quidem latet, Febrim ferè semper *redituram*, si *semel* tantùm *ad Drachmam unam*, *vel duas* exhibeatur Peruvianus Cortex, ut Auctor consuevit: non ita, vel non tam facilè, si *repetatur*. Si verò Febres post assumptam Chinam Chinam redeuntes, redeunt contumaciores, & *pertinaciùs duraturæ*, cur (quod pluries cogor regerere) cur inquam ex eodem Auctore §. 25. *optandum*, *ut redeant remedii loco*, *ad absolvendam Febris historiam*? Aut cur Chinam Chinam præscribit & ipse *ad impetrandas inducias*, si has inducias excepturus est longior cruciatus?

(*d*) (*Ab Ædibus quoquè Nobilium &c.*) Quò ad Viros Nobiles in otio urbano, vel rurestri degentes Chinâ Chinâ curatos, neque tamen *ab aliis malis*, quæ asserente Cl. Auctore, Chinæ Chinæ potus portendit, *subinde vexatos*, videnda pag. 421. historiâ 14. pag. 432. hist. 2. pag. 444. hist. 9. pag. 499. hist. 13. &c. Forsan si Cl. Auctoris Edictum aliquantò citiùs emanasset, non ausus essem præscribere plebejum istud Febrifugum Nobilissimis quibusdam Viris, ut puta Neapolitano Principi Limatulæ Duci, Tertianâ duplici Subcontinuâ, & ad Acutam properante detento; felicissimè tamen illius ope sanato: sicut neque Nobili Hispano Viro, & (quod secundùm Cl. Auctorem auget difficultatem felicis curationis) præpingui, Domno Josepho Marchioni de Borda, & Aragon, modò pro Sacrâ Cæs. Catt. Majestate in Regno Neapolis totius Hispanæ pedestris Militiæ Generali Castrorum Præfecto, qui cum Tertianâ pariter duplici, nedum Subcontinuâ, sed & Malignante, ac fermè Lethargicâ Mutinæ laboraret, ignobilis hujusce Febrifugi auxilio convaluit: neque tandem Parmam accitus ad invisendum Marchionem Joannem Franciscum Gonzagam, unum ex Generalibus Tribunis Militum Regis Christianissimi, Tertianâ simplici Intermittente, sed in Cardiacam Perniciosam conversâ malè vexatum, calculum meum apposuissem tam facilè, ut illi methodo validâ, quemadmodum in hisce repentinis Febrium mutationibus mihi mos est, exhiberetur exoticum istud, *dolosum*, & vile Antipyreticum; quantumvis hoc idem a Doctissimis Viris Parmensibus curationi præsentibus (instante præsertim D. Clerico) etiam ut mihi, qui nondum illùc perveneram, pro eorum humanitate morem gererent, & præcipiti exitio occurrerent, in usum jam revocaretur, favente statim communibus nostrum omninm votis eventu, Doctissimisque pariter plaudentibus fortunato operi Mantuanis Professoribus, subinde cum Fratre decumbentis Equitis illùc pariter accedentibus. Has, inquam, Curationes recentes Nobilium Virorum tam feliciter absolutas fortasse non ausus essem hoc remedio pertentare, aut eo ab aliis jam pertentato, meis quoquè suffragiis additis tam facilè persequi, si mihi Animadversio hæc severa Viri Cl., dictatorio planè supercilio prolata, & experimentis imaginariis feriantis biennii extremæ illius senectæ firmata, paulò priùs innotuisset. Sed quoniam post res jam feliciter gestas tempestivè illa non exiit, satiùs est, eam reperito pluries successu inanem deprehensam negligi, quàm Praxim hanc auspicatissimam.

(*a*) *Sed*

§. II.

(a) S*Ed quid Medico Aulico* agendum, inquies, ubi aut Conjugem, aut Filium Principis, ſive ipſum Regnantem Principem, febre aliqua intermittente inter æſtivos ardores decumbere contingat? *(b) Num ſuo Principi*, apud quem multoties glorioſas curationes, in hoc atque illo à ſe factas ſolo Peruviano Cortice, celebrarit, tam fidenter, tam animoſe *(c) potionem hujuſmodi* porriget, ut illi *(d) præcordia non ſudent* ob metum de aliquo improſpero eventu? Hac in re ſi Galenum conſulere velimus, optimum habebimus documentum, ille etenim, ut refert in Libro de *Præ. Ad Poſt.*, ab Imperatore, paſſione quadam ſtomachi ab aſſumpto cibo laborante, per noctem accerſitus, & ab ipſo interrogatus quo remedii genere hujuſmodi paſſioni mederetur, cui Romani Medici nil opis afferre potuiſſent, prompte reſpondit ſe cœteris hominibus ſic affectis *(e) vinum pipere inſperſum* exhibere ſolitum, Regibus autem, non niſi *tutiſſima remedia* à Medico debere præſcribi; *(f) num autem* Peruvianus Cortex inter tutiſſima remedia recenſeri debeat, judicet cui Cor ſapit.

(*a*) (*Sed quid Medico Aulico &c.*) HIc piis Auctoris Manibus pio ſilentio litanda, quæ cæteroqui congrueret acrior reſponſio. Nec enim illi fuerat ſatis, generalia ſibi creaſſe ab exordio, quæ pro arbitrio reſolveret Quæſita, niſi peculiare hoc quoquè de rebus, ut juvat ſperare, ne futuris quidem, eſſet denuo commentus, ut jocari viſus cum Nepote, *æs alienum* interim *luderet vel nondum cuſum*. Emphaticus tamen, quo uſus eſt citra opportunitatem loquendi modus, etſi indefinitus, caſuſque reſpiciens tantùm poſſibiles (nullus enim hujuſmodi hactenus Deo dante, ſaltem hìc loci, contigit) videtur *fidenter* admodum, atque *animosè* ab Auctore vivente uſurpatus; ſed liceat modò defuncto, quod forſitan minùs licuiſſet viventi. Liceat, inquam, illi hæc impunè proferre, atque ab Aulis Principum pro libito ſuo Chinam Chinam proſcribere. Monendus tantùm Typographus, qui omnia ſimul Viri Cl. Opera quamprimum recuſurus dicitur, ut Tractatui illius, *De Princi-*

pum Valetudine tuendâ, Præceptum hoc tanti ponderis, ab Auctore ipso tunc omissum, peculiariter adjiciendum curet.

(*b*) (*Num suo Principi &c.*) Nisi duos de eâdem Fideliâ velit Cl. Auctor denigrare, non dealbare parietes, sed unum tantùm; adeòque si Medicus ille Aulicus forem ego (ut in me unum conversa facilè hariolatur Urbs tota) quem pictorio veluti calamo studet ille circumscribere, coloribus a Nuncupatoriâ Epistolâ meâ forsan petitis, sed alteratis, & ad omnimodam usque mutationem confusis, sinè ullâ prorsus hæsitantiâ hæc responderem. An apud meum Principem *gloriosas curationes jactarim*, an laudibus minimè promeritis, prout modestum hominem decet, potiùs obstiterim, tribuerimque divino tantùm favori, quos ad Principem fama detulerat faustos eventus: item an ea, quæ modò minùs humaniter in me vibrantur spicula a longè præviderim,

——— ipsos divinarimque lacertos,
Queis jaculanda forent;

tandemque an his de causis Therapeuticen meam, nedum suadente, sed & ferè dixerim imperante eodem Principe invitus ediderim, ipse scit, qui mihi & Dominus clemens est, & æquus Judex. Id insuper addam (quæ mihi est gloria non levis) eundem Serenissimum Dominum meum, post editam, sibique jam notam Dissertationem Cl. Auctoris, cum fortè haud leviter ægrotaret Vir quidam Principis existimatione dignus, de cujus idcirco salute solicitus erat ipsemet Princeps, mihi animum, & stimulos addidisse, ut Ægro inspecto, repertoque in talibus circumstantiis, ut ei China China judicio meo posset opitulari, posthabitis, si quæ obstitissent, adversis cavillationibus, id remedium promptè, statimque præscriberem. Cui cum facilè id me præstiturum respondissem, quoties ea se mihi præbuisset opportunitas ex parte morbi, quæ se præbebat ex parte Subjecti, videlicet privatæ personæ, non æquè facilè idem acturus, si fuisset in discrimine salus cujuspiam Principis, quibus Chinam Chinam minimè offerendam docet Cl. Ramazzinus, reposuit ille subridens, *cavendum esse pro viribus ab occasione hujusmodi: cæterum necesse esse, ut Principes, qui commune cum reliquis hominibus habent morborum fatum, communia quoquè cum illis habeant remedia.* Ægrum itaque invisi (ne desit complementum historiæ) Tertianâ duplici Subintrante nonnihil violentâ detentum; quam tamen, cum ad depurationem ea vergere videretur, nondum Peruviano Cortice attingendam censui: quamobrem methodo tantùm vulgari adhibitâ, ad vigesimam primam usque diem protracta est illius judicatio, quamvis negotia Principis Ægrotanti commissa, citiorem exigerent curationem. Cum verò post dies nonnullos incidisset suspicio non levis de Febre eâdem recidivâ, Corticem ipsum ad præcautionem præscripsi, facilè annuente curante Medico, in hocce remedium suopte genio pro re natâ propenso. Paucis horis elapsis ab assumpto Febrifugo, quæ jam prope imminebat, successit Febris; eo tamen repetito, hæc statim penitùs suppressa est sinè reditu, simulque expleta sunt Principis æquè, ac Ægrotantis vota.

(*c*) (*Potionem hujusmodi &c.*) Si ex Croco Metallorum, ex pulvere

vere Algorethi, ex Elaterio, Eſulâ, aut Gummi gutta conflata eſſet *hujuſmodi Potio*, poſſetne acerbiùs illa, ne ullo quidem colore quæſito, proſcribi a Cl. Auctore, apertam hoc loco *temeritatis* notam Aulico Medico apud Principem præter rationem prorſus inurente? Nolo hìc hiſtoriolam recenſere accuſationis, ab Antiphilo Pictore ad Ptolemæum Regem delatæ adversùs Apellem, Luciano referente: quæ inſimulatio, probabilitatis limites non parum excedens, evanuit ſtatim ac Rex animadvertit, *Antiphilum Apelleæ artis æmulum eſſe*; nolo inquam recenſere hiſtoriam hujuſmodi; neque enim Apelles ſum ego in Arte medicâ, aut Viri defuncti æmulatione dignus; neque fuit ille capax unquam livoris Antiphili. Sed ad quid quæſo pavorem, quem verè nullum habebat Vir Cl., imò quem in reliquâ Diſſertatione, *dummodo adhibeatur modus*, ſe non habere profitetur, tam ſtrenuè ſimulavit? Certè neque timuit ille, neque ſenſit quæ protulit. *Nolim quis inferat, velle me ex Albo medicaminum Chinam Chinam expungere* (inquit ille §. 48.) *abſit hoc; habeat ſuos uſus remedium iſtud: beneficium, quod afferre poteſt, ab illo excipiamus &c.* Si ergo *ſuos unus habere debet remedium iſtud, ſi beneficium aliquod poteſt afferre*, quo jure poſtea potio illius ex arte parata, ſudores e præſcribentis Medici præcordiis, ob metum ſiniſtri eventus debebit ciere?

(*d*) (*Præcordia non ſudent &c.*) Sudent inexpertis præcordia; non millies, & innoxiè ſemper expertis. Mihi fortaſſis ea ſudarent, ſi quando in Febre aliquâ, non tantùm Intermittente benignâ, de quâ ſum parum ſolicitus, quippe ſæpius depurativâ; ſed nonnihil graviore, præſertim in circumſtantiis, in quibus Peruvianum Corticem, vel opportunum, vel abſolutè neceſſarium cenſeo (quas omnes tamen avertat Deus, ut huculque ſemper avertere dignatus eſt) præſentaneum hoc auxilium vano quopiam timore perculſus, vel obſtrepentibus hujuſmodi terriculamentis inaniter divexatus, me omiſiſſe dignoſcerem, a munere meo, officioque Principibus meis debito turpiter declinans. Piget me ſanè Cl. Auctorem tam emphaticè hìc locutum, redarguere ſtatim inconſtantiæ, ac erroris; ſed materiæ pondus vulneratæ veritatis diſſimulationem non patitur. In toto Diſſertationis decurſu, & ſignatè paulò ſupra §. 8., ubi revelat ille Methodum ſanioris, ut inquit, ætatis ſuæ, univerſaliter loquendo, Peruviani Corticis uſum admittit, & approbat *in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis Æger recreetur, & vires reſumat*, additque inſuper infra §. 48. *ad eundem finem obtinendum, ſcilicet ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione, admittendum, & laudandum eſſe Chinæ Chinæ uſum in Febribus præſertim intervallatis*; quin imò §. 22. Ægris ipſis quandoque citra rationem poſcentibus, *in mediocri doſi, ut lædere non poſſet* (poteſt ergo ita exhiberi, ut lædere non poſſit) *eam exhibuit cum eventu*, ut fatetur, *ſatis felici*: id, quod verè cohæret præceptis illius, ut ſcilicet uſus Chinæ Chinæ in Febribus *ſit qualis eſt Opii ad ſedandos dolores*; utriuſque enim remedii, ipſo docente eodem §. 48., eadem eſſe debet, & regula oblationis, & cautio. At hoc ſolamen ſaltem, quod fatigatis Ægris cujuſcumque conditionis, imò & fœminis ipſis

utero

utero gerentibus (quibus §. 13. non solùm tutò, sed & cum *beneficio* asserit Chinam Chinam exhiberi) concedit, & donat Cl. Auctor, quomodo *tam fidenter*, *tam animosè* Magnatibus denegat, quibus tamen dolore aliquo afflictis Opium præscriberet, quamvis, nisi cautè exhibeatur, haud neget eodem §. 48. periculum fortè subesse, *ne ex somno excitare possimus, quem obdormire volumus?* Si verò in Principibus quoquè Chinam Chinam admittat, eo saltem nomine, ut tantummodo reparentur vires; cur in eundem finem, *sinè præcordiorum sudore, ac æstu, potio hujusmodi in dosi mediocri, quæ*, ut ait ille, *nequit lædere*, a Medico Aulico porrigi datâ occasione non poterit, imò & in dosi nonnunquam liberaliore, ut reparentur simul vires, & periclitans salus?

(*e*) (*Vinum Pipere inspersum &c.*) Sano consilio abstinuit eo casu Galenus a pipere, ut qui forsan prævidit, fore tandem longo seculorum tractu, ut exotica *Vegetabilia*, *quibus aliud analogum non sit in Europâ*, cujusmodi est Piper, *irrationabilia* a Cl. Ramazzino declarentur, & *amethodica*, ut nuper vidimus §. 6. Documentum autem, quod indè trahere debet Posteritas, illud est, ut Viris Principibus ea ipsa præscribantur remedia, quæ sæpius per experientiam profuere plebejis. Imperator enim ille, *Commodus* nempe, intellecto Galeni effato, statim *Vinum Sabinum pipere inspersum, in vulgari gente remedium expertum, sibi laboranti adhiberi jussit; & sanitati feliciter fuit restitutus*, ipso nedum fatente, sed & iisdem verbis modò relatis apertè docente Cl. Ramazzino, Orat. Jatr. argum. pag. 46.

Non omnia quidem remedia (ut nugas etiam has persequar) præsertim sumptuosiora, quæ sibi potest comparare dives, æquè potest pauper, ut facilè quæcunque potest pauper, potest & dives; quæ tamen uni verè conveniunt, quæcunque ea sint, conveniunt & alteri. Profectò non hominum, sed morborum varia conditio varietatem remediorum expostulat. Menti nunc subit, Virum Cl. mecum olim risum effusum risisse, cum fortè utrique nostrum nuntiatum fuisset, Medicum quemdam afflictæ Mulieri, filii sui unigeniti acerbum funus lamentanti, illudque ipsi Medico, qui morbo adstiterat, acriter exprobranti, hæc fidenter reposuisse -- *Unicum tibi hunc esse filium quare incauta non monuisti? fortassis enim aliter, aliisve remediis curationem illius peregissem* -- Sed quid, si Viri hujusmodi testimonio uteretur alicubi in suâ Dissertatione Cl. Auctor, cum cæteroqui ex veteri Parœmiâ, *Nunquam Paterfamilias qui semel Scurra*.

(*f*) (*Num autem &c.*) Num inter tutissima recenseri debeat *Remedium planè divinum; Antipyreticorum omnium, quot quot excogitavit Antiquitas, aut Chymicorum solertia conflavit, facilè Princeps; Febrifugum non arte repertum, sed a divinâ beneficentiâ concessum, ad malè natam Febrium sobolem exterminandam; Sacrum Amarum ex Arbore vitæ decerptum, cui simile aliud optandum a commiseratione Numinum in res humanas, quod eâdem securitate Febres verè Continuas sanare sit potis, ac istud sanat Periodicas*; num, inquam, Medicamentum hujusmodi *inter tutissima remedia recenseri debeat, Judicet,*

cui cor

cui cor ſapit. Niſi fortaſſe tutiſſimorum nomine audiant hìc ea ſolùm Remedia inertia, & varia, quæ nihil agunt, quæque tantùm oſtentant magnificentiam, & pretium. Scilicet apud Magnates vel in ipſis remediis latet adulatio. Pernicioſa profectò hujuſmodi dogmata (ut univerſim loquar) affectatæ circumſpectionis, & vigilantiæ plena, quibus ad captandam Principum benevolentiam, uſi ſunt omni tempore Aulici præſertim Medici, non ſinè aliquo ipſorum quoquè Principum detrimento, replevere jam ſuperſtitionibus Aulas quamplurimas: non hanc quidem, ubi decora tantùm Majeſtatis cuſtodia; ſed exceſſus nullus. Nimirum communiter malè audit, quòd Medicus Aulicus accedat ad morbos immediato, diuturno, intimoque contactu vix communicabiles, ut ad Febrem mali moris, Scabiem, Variolas, Morbillos, & hujuſmodi; ne ſcilicet illæſus ipſe, morbi tamen effluvia, quaſi ſemina in veſtimentis ſuſcepta, in Aulam deportet, perinde ac ſi in Xenodochiis verâ peſte Infectorum noctu æquè, ac interdiu aſſiduè miniſtraret, conviveret, ac obdormiret; cum tamen omni ſecuritate domi ſuæ, & familiares, & Liberos illotis perſæpe manibus contrectet, oſculetur, & amplexetur innoxiè: a quibus procul dubio caveret amplexibus, niſi vacuitatem aërearum hujuſmodi circumſpectionum didiciſſet expertus. Cautela, quæ ad ſummum devenit ſubtilitatis, plerumque noxia. Hinc fit, ut in Conſtitutionibus Epidemicis nonnunquam graſſantibus Medicus Aulicus, ut ut doctus, ſed tantùm ex Libris, ſi præ ſcrupuloſitatibus hiſce a morbis communibus inviſendis abſtineat, cum neque ſigna diagnoſtica, neque prognoſtica, neque remedia ipſa callere queat illius Conſtitutionis peculiaria, ad curandos eoſdem morbos, ſi fortè in Aulam irrepſerint, planè ineptus evadat, in incertum denuo Tyronem converſus. Populares morbi Magnum fecere Hippocratem, quæſitum Regibus, & Poſteris admirabilem. Sed caveam, ne longè nimis ab inſtituto excurrat calamus.

Ut ergo ad *Remedia tutiſſima* redeam, ſi ab illorum cenſu excludat Peruvianum Corticem Cl. Auctor, neceſſe erit remediis tantùm uſualibus, & quotidie obviis, iis præſertim, quæ in Veterum monumentis extant, quippe tutiſſimis (etenim *qui veteri utuntur Vino Sapientes putat* ex Plauto) periodicas aggredi Magnatum Febres. Statim itaque in uſum vocanda erunt celeberrima duo (neque enim alia peculiariter uſurpari legimus a Viro Cl. in ſuis Operibus) & uſitatiſſima Artis præſidia; Venæ ſectio videlicet, ac Purgatio, vel horum ſaltem alterutrum; ut his præmiſſis, Specificorum dein Febrifugorum uſus ab Antiquis celebratorum, quorum plurima, ſi arte facta ſint, ex Mercurio, aut Antimonio erunt parata, minimè verò Peruviani Corticis, quippe parum tuti, ſenſim ſuccedat. At bone Deus. *Tutiſſima erunt Remedia* in Febribus, præſertim intervallatis, Venæ ſectio, & Purgatio, quæ & vires dejiciunt, & ſpiritus diſſipant, & humores perturbant, & Venas exhauriunt, niſi ſummâ cautione uſurpentur, ut cæteroqui a prudentibus Medicis ſolent uſurpari; & tutus non erit debitâ circumſpectione adhibitus, qui vires non dejicit, qui ſpiritus non fatigat, qui humores non perturbat, qui Venas non exhaurit, ſed ex

Cl.

Cl. quoquè Auctore Ægrum *recreat*, & *instaurat* Peruvianus Cortex? Id sanè non aliud est, nisi nobismetipsis effingere Spectra, & puériles metus incutere,

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant, fugiuntque futura.

Hæc tamen Lucretii neutiquam congruunt Viro Cl., qui aliàs minimè trepidanter Purgationi, & Venæ sectioni, utpotè remediis minùs tutis, tutissimum Peruviani Corticis anteposuit præsidium. Hìc ergo ipse sibi responsionem adornet, ne præfervidè forsitan quis me locutum arbitretur. Adeamus itaque rursus pag. 101. Orat. Jatrici Argumenti, & videamus, an tutius putet ille, ad Febres, *quæ de Intermittentium familiâ sunt*, curandas, uti Methodo antehac receptâ, an potiùs Peruviano Cortice. Inquit igitur de Chinâ Chinâ verba faciens; & inquit tam appositè, ut minimè tædio futurum sit, alibi transcriptum huc denuo summatim transferre: tanti enim Viri effata etiam repetita placebunt. *E singulari hujus remedii præstantiâ id beneficii fuimus assecuti, ut non ampliùs unicâ methodo Febres omnes curentur, continuato scilicet refrigerantium, & humectantium usu, tot repetitis Venæ sectionibus, tot iteratis Purgationibus, quæ humani corporis machinam potiùs infirment, quàm confirment; sed illæ tantùm Febres, quæ de Intermittentium familiâ sunt, Pulveris exigui haustu in vino soluti, aut compressæ quiescant, aut etiam penitùs aboleantur.* Num ergo *inter tutissima Remedia* Principibus exhibenda, in concursu cæterorum, ac præsertim Venæ Sectionis, & Purgationis, *recenseri debeat*, ex ipsius Cl. Auctoris decreto, *Peruvianus Cortex*, iterum *Judicet, cui cor sapit.*

§. 12.

EX *nuperis Ephemeridibus* hebdomadariis, pro curiosorum pabulo ad nos deferri solitis, accepimus in Regia Persona pertentatum fuisse Corticis Peruviani usum, sed non multa Medicorum laude & fortuna, in casu intermittentis febris, ut reor, cum illius non expressa fuerit mentio, fugata enim, seu sopita febris prohiberi non potuit, quin rediret, continuato licet ad prophilaxim Febrifugi usu, at id forsan pro Regiæ Majestatis beneficio accipiendum, ut febris historiam suam perfecte absolveret.

(Ex

(*Ex nuperis Ephemeridibus &c.*) EPhemerides hebdomadarias non vacat legere: propterea quò tendant hæc ſpicula, obſcurum mihi. Qui præſcripſit Corticem, repellat ictum, ſi operæ pretium putet; ſi ſecùs, negligat. Rumores iſtiuſmodi, re benè perſpectâ plerumque vacui, Invictiſſimum certè Galliarum Regem LUDOVICUM XIV. nuperrimè extinctum, & Chinâ Chinâ, ut fertur, valde familiariter utentem dum viveret, neutiquam terruere.

§. 13.

TUtiorem ergo uſum habet hoc antifebrile in populari gente, (*a*) *quæ ex manuariis operibus* vivit, quales ſunt Artifices continuis laboribus exerciti, quibus cum non vacet diu in lectulis ægrotare, ſuam ſi velint alere familiam, propinare licet potionem hanc febrifugam, (*b*) *etiam ab initio*, paucis præmiſſis, ad conſuetos enim labores redeundo, congeſtos humores, & ſi quid noxæ Febrifugum affixerit, ſudore diſcutiunt. Hoc itidem dicendum de Mulieribus operoſis, quales ſunt, quæ ſervili opere ſunt addictæ, uti lotrices, textrices, & aliæ hujuſcemodi. (*c*) *Gravidis* quoque mulieribus, ſicubi à febre tertiana, ſeu quartana corripiantur, facta aliqua levi purgatione, ſcilicet etiam V. S. lubenter remedium hoc præſcribi poterit, & cum beneficio, præſertim in poſtremis graviditatis Menſibus, prævalet enim metus, ne concuſſio illa, quæ in febribus periodicis, & præſertim quartanis contingit, fœtum cum Matris periculo poſſit excutere, quod ſi ex China China præjudicium aliquod ſubſequi poſſet, remedio futuram uterinam proluviem, quæ partum conſequitur.

(*a*) (*Quæ ex manuariis operibus &c.*) POſtquam per varios Virorum, & Mulierum ordines vagatus eſt Cl. Auctor, nondum quemquam Cortici Peruviano impunè potando aptum dignoſcens, reperit tandem ex infimâ Plebe nonnullos, in quibus ille tutiorem uſum poſſit habere, in iis nempe, *qui ex manuariis operibus victitant*. Mirum profectò, quòd Viri Cl. animadverſiones ſubterfugerit paſſim obvia Gens Recutita; cum neſcio

quid

quid peculiare insit huic populo, sive victum consideremus, sive genus ipsum Vitæ, in his activæ, in illis sedentariæ, & plerumque citra manuarii operis exercitium. Id si fortè addidisset, ut facilè poterat, non aliud defuisset in posterum ad complendos Annales, nisi tandem investigare, quid præstet hoc Antifebrile in Ægyptiis apud nos identidem irrequieto pede circumvagantibus.

(*b*) (*Etiam ab initio &c.*) Scrupulosissimus alibi Cl. Auctor, hoc tamen loco Peruviano Cortici præter institutum favens, Quæstionem non parvi ponderis duobus tantùm verbis liberaliter absolvit: quam quæstionem, agens ego de vulgaribus Intermittentibus, toto fermè Capite 8. Libri primi; agens verò de Subcontinuis in celerem malignitatem pronis, toto pariter Capite 5. Libri quarti nonnisi hæsitanter sum ausus resolvere; nempe, *An in hujusmodi Febrium principio Chinam Chinam liceat exhibere*. Certè hìc videtur oblitus noster Auctor eorum, quæ paulò ante sancivit § 8. ad leges *sanioris* Methodi suæ: cumque illi antea Culices hæsissent in Cribro, modò Camelum illinc *transmitti* facilè patitur. Cum enim ibidem docuerit, præscribendam esse Chinam Chinam *ad drachmam unam, vel duas* in Febribus, tunc solùm *quando nimis protractæ Ægros fatigant, ut aliquot dierum induciis impetratis, Æger recreetur, non sinè spe, imò cum certitudine Febrem redituram*: modò recedens a lege, quam posuit, vult, Plebem, *quæ ex manuariis operibus vivit, cujusmodi sunt Artifices, quibus non vacat diu in lectulis ægrotare, curari posse propinatâ potione febrifugâ Peruviani Corticis, etiam ab initio morbi, suam ut possint alere familiam*. Sed nisi statim post Febrem unâ, vel alterâ Corticis drachmâ suppressam, incerto pede, nutante gressu, e lectulis ipsis ad Officinas migrent (quod difficile, ac periculosum simul) post aliquot autem dies pro voto Viri Cl. revertatur Febris ad consuetos profectò labores non admodum festinanter redibunt. Si verò tempestivè redeant, totque, & tanta, quæ ex hujusce Febrifugi usu secundùm Virum Cl. imminent pericula, ut *Cachexiæ, Obstructiones, & Hydropes*, avertuntur tam facilè mediantibus laboribus, & exercitiis, ad quæ ipsimet denuo redeunt Artifices; cur non poterit idem effectus obtineri, si post propinatum idem Febrifugum, & Febrem depulsam, Civibus quoquè, Nobilibus, & Principibus, lusum Pilæ, Choreas, Equitationem, Venationem &c. auctoritate Artis imperemus? Hos puto labores, tanto etiam pensatos fœnore, multò libentiùs subibunt Potentes, quàm diros, & diuturnos labores Febrium. Nec cæteroqui putarim expedire absolutè, quod avidis forsan, si qui sint, expediret Pharmacopolis, Febres nempe Divitum diutiùs durare, quàm Pauperum, ut illis scilicet *annus fiat quæstuosior*.

(*c*) (*Gravidis &c.*) Facilem quoquè se præbet Cl. Auctor in exhibendo Gravidis Mulieribus Peruviano Cortice; & quidem rectè: atque adhuc rectiùs, si absque præviâ saltem *Purgatione* exhiberet. Sed hìc insurgit difficultas non contemnenda (fatum nempe quoddam illius est, ut in contradictionem aliquam vel dicti, vel facti adeò frequenter impingat) si enim ex unâ parte China China *postremis præsertim*

ſertim, ut ait, *geſtationis menſibus* offeratur; *habeat autem* ex aliâ parte eadem *Quinquina facultatem figentem*, ut ille §. 41. *pro re certâ ſupponit*, *motumque ſanguinis compeſcat*, *fluida quæque in noſtris corporibus cogat*, *omneſque evacuationes per ſe*, *& non per accidens ſupprimat*; quâ ratione *præjudicio*, *quod ex Chinâ Chinâ ſubſequi poſſet*, *futura erit remedio*, ut hìc aſſeritur, *uterina proluvies*, quæ partum ampliùs (hoc Febrifugo humores quoſque *figente*, & qualvis evacuationes *ſupprimente*) non poterit conſequi? Heu quot in Scopulos agimur, cum a cognitâ nobis veritate ſponte deflectimus!

§. 14.

CUm autem varia, ac diverſa ſint hominum temperamenta, & corporis habitus, varios, ac diverſos effectus operatur China China. *(a) In temperamentis melancholicis* graviores noxas parere obſervavi, humor enim atrabilaris ferox eſt, nec tam facile auſcultat remedio febrifugo, licet ab initio primarius uſus Chinæ Chinæ in febribus quartanis ſibi famam, & nomen compararit, aut ſi paululum febrem infringat, non multo poſt ferocior caput exerat. *(b) In temperamento quoque pituitoſo* ſuſpectus eſt Chinæ Chinæ uſus, & quamvis paroxiſmi febriles in febribus ſpuriis poſt longum uſum Chinæ Chinæ conquieſcant, prolixior eſt reſtitutio ad priorem ſanitatis ſtatum, craſſi enim & pituitoſi humores poſt hujuſce remedii uſum fixiores fiunt, & minus difflabiles; homines corpulentos, & præpingues ſenſim cachecticos factos ex uſu hujus febrigugi, ac tandem *(c) longum poſt tempus* obiiſſe obſervavi, *(d) licet aliæ* culparentur cauſæ.

(*a*) (*In Temperamentis Melancholicis &c.*) QUod de Temperamentorum diverſitate, de humoris Atrabilaris ferociâ &c. profert hic, & in ſubſequentibus prolaturus eſt Cl. Auctor, eâ præſertim, quâ utitur malè ſonante Recentiorum auribus ſe explicandi formâ, ejus dignitatis ratione habitâ dictum nollem: ſic enim loqui Medici eo vix tempore conſueverunt, quo illis barba femoralibus erat prolixior,

Atque ſupercilio brevior coma ———

Jamque mihi videor quempiam audire a Viro Cl., vel a ſuperſtite ſaltem illius Minervâ ſciſcitantem, cujuſnam ſpeciei, aut differentiæ ſit

ferox

ferox iste humor atrabilaris; an scilicet ex *Melancholiâ naturali putrefactâ*, *& exustâ*, *an ex flavâ bile torrefactâ*, *& in cinerem redactâ progenitus*, postquam ei placuit per obsoleta hæc nomina, quasi per imaginaria quædam Veterum formidamina terrere ignarum vulgus. Ego verò, qui hujusmodi nomenclaturam retinui in Febribus, *Atrabilaribus* a me vocitatis, significatione licèt longè diversâ, ut scilicet solis Antiquiorum terminis me accommodarem, non rei, quemadmodum & terminis, & ipsi rei fictitiæ hìc se accommodat Cl. Auctor; ego inquam, datis illi omnibus hisce commentis, sciscitarer potiùs quid intelligat, aut ab aliis velit intelligi per hæc, quæ in præsenti Paragrapho, & alibi scripsit idem Vir Cl.; fateor enim, me ab hoc Labyrintho nescire tam facilè memet ipsum extricare. Nimirum inquit ille, *In Temperamento Melancholico Chinam Chinam graviores*, *ac alibi noxas parere*, *quia humor atrabilaris* (qui pro causâ Quartanæ Febris manifestè hìc astruitur) *ferox est*, *nec tam facilè auscultat remedio Febrifugo*, *licèt ab initio primarius usus illius in Febribus Quartanis sibi famam*, *& nomen compararit: aut si paululum Febrem infringat*, *illa tamen non multò post ferocior caput exerit*.

Tot contradictiones propemodum quot syllabas continet hæc Viri Cl. brevis assertio. Primò namque per hanc apertè supponit ille cum Antiquis, ut annotavimus, fictitium humorem illum atrabilarem, in corpore universo prædominantem, esse Causam Quartanæ Febris. At §. 46. statuit omnino, secundùm Ettmullerum, aliosque Recentiores, *Febres Intermittentes pendere a salso-acido Fermento existente intrà ventriculum*. An fortè intelligendus etiamnum per hoc Fermentum humor atrabilaris, aut melancholicus per vas breve a Liene ad Stomachum inverso motu transmissus? Nugæ, Somnia. Secundò clarè asserit, Chinam Chinam noxas parere in casibus supra recensitis, eò quòd *idem humor atrabilaris non facilè auscultat remedio Febrifugo*, quasi Quartanæ Febres consuescant eludere actionem Peruviani Corticis; cum tamen sit vel ipsis Mulierculis notum, eas de more hujusmodi remedio perpetuò vinci, ac edomari. Septem ego Ægrotos (nec enim invisi plures) Quartanâ laborantes prægressâ Hyeme felicissimè curavi solius Corticis ope, quorum duos tantùm Febris rursus corripuit, priusquam planè dimitteret, reliquis statim perfectè convalescentibus, robustis, ac pinguioribus redditis: quos inter peculiari mentione dignus est Co: Johannes Andreas Valentinus, e citrino, ferè dixerim, Sceleto in carnosum paulo post, & benè coloratum Athletam conversus. Sed demus, humorem atrabilarem, qui pro causâ Quartanæ hìc habetur a Viro Cl., verè *non auscultare remedio Febrifugo*. An proinde dicetur ab eo noxam parere ipsum Febrifugum? Nonne §. 40., & 41. illi tribuit Auctor Cl. *facultatem figentem*, quâ tot noxas ibidem inferre dicitur? Quam ergo noxam inferet, ubi humor, qui figi deberet, *eidem non auscultat?* Insuper si hoc ipsum *non auscultare Febrifugo* in bonis habetur §. 16., ubi tutior asseritur illius usus in Temperamentis, & Febribus biliosis, præcisè per hoc, quòd *biliosus humor non se patiatur adstringi vinculis ejusdem Febrifugi*, cur in malis habebitur,

bebitur, quòd iisdem vinculis non se patiatur adstringi humor atrabilaris in Febribus atrabilaribus? Tertiò tandem concludit Vir Cl., noxam graviorem inferri a Peruviano Cortice, quia *etiamsi paululum Febrem infringat, ea nihilominus non multò post ferocior caput exerat*. Ast si de *simplici* Febris reditu sit sermo, nonne ex §. 25. *Optandum esset, ut Febris in apertam flammam erumperet, postquam Æger ad aliquot dies silente Febre roboris aliquantum reportasset, nam reditus Febris remedii loco esset?* Et ex §. 27. nonne *Medici a Chinâ Chinâ eluduntur interdum, Febre ampliùs non redeunte?* Si verò sit sermo de reditu ipsius Febris, sed *fortiore*, velut de graviore noxâ, nonne ex ipsâ nuncupatoriâ Epistolâ lit. d. *Sæpe Medico in votis est Febrem repetere, sed fortiorem, ut tollantur noxæ, quas China China ob Febris extinctionem invexit?* Et §. 27. nuper citato, nonne *Rem feliciùs cessisse annotavit, quibus Febris denuo caput erexit etiam ferocior, quàm quibus Febris visa est prorsus extincta, & obliterata, seu parva subsecuta?* Infelix China China, quid tibi agendum, *sananti*, & *non sananti* æquè rejectæ, *redeuntibus*, & *non redeuntibus* Febribus, iisque vel *levibus*, vel *ferocibus* æquè proscriptæ?

(*b*) (*In Temperamento quoquè pituitoso &c.*) Hìc quoquè loquendo de Temperamento pituitoso, Febres statim spurias in medium adducit Cl. Auctor, quasi ab humore *pituitoso*, & *crasso* pendentes, non verò a *Salso-acido Fermento Ventriculi*, ut ex professo autumat §. 46. Confundit pariter & hìc, unumque, & eundem efficit humorem in Temperamento prædominantem, & humorem Febres Intermittentes producentem; cuilibet nimirum Temperamento suam Febrim correspondentem assignans, & cuilibet Febri, Antiquorum more, suum humorem: quæ omnia jam sunt e Scholis exsibilata, & explosa. Hisce tenebris involutus, mirum profectò, quàm clarè introspiciat Causas physicas effectuum, quos nondum in rerum naturâ observavit quisquam, dum rationes omnium malorum assignat, quorum nulla in pituitosis Temperamentis, aut Febribus comperiunt alii a Chinâ Chinâ illatorum. Sed audiamus, quæ probationis loco in sequentibus est allaturus.

(*c*) (*Longum post tempus &c.*) Longum post tempus obeunt & Pingues, & Macilenti, obeuntque Chinâ Chinâ curati, & non curati, Medicis utentes, & non utentes. Fieri verò *Cachecticos ex usu hujusce Febrifugi* eosdem *Præpingues*, & *Corpulentos homines*, mihi certè non observatum; potiùs enim oppositum compertum habui. Et ne videar gratis refellere quod planè gratis asseritur, verè præpingues, ac corpulentos homines, tam Mares, quàm Fœminas, plurimis retro annis Chinâ Chinâ curatos, curatasve, *cum facili restitutione ad priorem sanitatis statum*, & in hanc usque diem inculpatâ valetudine utentes, vide Lector in Therapeutice meâ pag. 166. historiâ 3. pag. 171. hist. 7. pag. 421. hist. 14. pag. 433. hist. 3. pag. 437. hist. 5. pag. 442. hist. 7. pag. 444. hist. 9. pag. 473. hist. 1. &c. Adde recèns curatos ope Corticis, & quidem de Vitâ quàm maximè periclitantes (numerum enim pinguium Hominum ex vulgaribus Intermittentibus felicissimè sanatorum quis meminit?) corpulentos, ac ætate provectos, D. D. Johannem Bapti-

ſtam de Carandinis, Paulum Æmilium de Bignardis, & Antonium de Zanellis, Viros huic Urbi plurimis nominibus notos: quos omnes, ut & alios ſupra recenſitos, ferme quotidie ſanos, ac robuſtos intueor; poteſtque intueri, & audire quilibet alius, cui grave non ſit ſolutionem oppoſitionis Viri Cl. ex vivâ illorum voce repetere. Quòd ſi eos, qui maturo jam Fato deceſſerunt e vivis, memorare liceret, pinguiſſimus certè omnium hujus Urbis erat Æger pag. 184. hiſtoriâ 16. deſcriptus, annoque 1678. (curante illum Præceptore meo colendæ memoriæ) per accidens Chinâ Chinâ oblatâ ſervatus: pinguiſque pariter, ac corpulenta erat Ægra octogenaria pag. 480. hiſtoriâ 4. relatâ. Sed hos, alioſque omnes, etſi vel longævum ſimpliciter, vel diutinum ab epotâ Chinâ Chinâ vitæ ſtadium emenſos, *tandem longum poſt tempus obituros*, jam divinavit Cl. Auctor.

(*d*) (*Licèt aliæ &c.*) Quicunque dicantur eſſe *præpingues* iſti *homines* innominati (quorum nempe ſaltem nomen a Viro Cl. indicatum optaſſem, quemadmodum nomina ſimul & hiſtorias Sanatorum ipſe indicavi, tum in Therapeut., tum in hiſce Reſponſionibus meis) quicunque inquam eſſe dicantur imaginarii iſti Ægrotantes, indefinitâ tantùm, & cuique arbitrariâ hìc enuntiatione prolati, qui *ex uſu hujus febrifugi ſenſim cachectici facti*, *longum poſt tempus objerint*, poſito quòd illius infortunii *aliæ*, *ut inquit*, *culparentur Cauſæ*, unde habet Cl. Auctor, certè culpandam fuiſſe *longúm* illud *poſt tempus* Chinam Chinam, minimè verò cauſas eaſdem forſitan evidentes? Si ab ingurgitatione fructuum horariorum ſuccedat Diarrhæa, num culpandum potiùs, quàm fructus recèns comeſti, epotum ter, aut quater ante biennium, vel triennium Cocolate? Ita & qui moritur *longo* poſt Chinam Chinam aſſumptam *tempore*, aliis licèt exiſtentibus proximis interitus cauſis, anne ob eam olim cum juvamine aſſumptam mortuus dicendus erit, quaſi hoc Pharmacum ſit Pomum Adami, quo cœteroqui non deglutito homines ſint æviterni?

§. 15.

(*a*) NOn *paucos* hic memorare poſſem Mutinæ mihi obſervatos, in quibus hanc principalem cauſam credidi extinctam fuiſſe intempeſtive febrem; (*b*) *verum noxa* hujus Febrifugi tanto pernicioſior eſt, quanto occultior, cum enim ægri ab illius uſu, non autem Naturæ beneficio evaluerint, ſi poſtea poſt aliquod tempus in morbos recidant, creditur à Medicis ab aliis cauſis prognatum morbum.

(*a*) (*Non*

(*a*) (*Non paucos &c.*) NOn paucos Mutinæ sibi observatos, quos memorare posset, non memorat Vir Cl., & quidem consultè; nam quos alicubi memorat, non raro illum juvisset subticuisse, ut in decursu videbimus. Quòd si nomina supprimat, eò quòd fuerint ab ipso *potionati*, tunc forsan cùm *Chinam Chinam habuit in magno pretio*, ut supra §. 3., *affectuque suo in eam nimis effusè ferebatur*, ut infra §. 18, sintque idcirco de eorum numero, pro quorum curatione *illum pœnituerit*, *hoc remedio se usum fuisse*, ut §. 27., sciat, Chinam Chinam fuisse insontem, & suo munere bene functam, dum Febrem sustulit; ipsum autem errasse in præscriptione, si malorum *hanc principalem causam credidit*, *extinctam fuisse intempestivè Febrem*; quod idem est ac dicere, oblatam fuisse *intempestivè* Chinam Chinam. Sed hoc perperam patratum quis negat? His non obstantibus, ego Febrifugum hoc a Barbitonsoribus, Pharmacopolis, imò & Medicis haud multùm circumspectis, non semel minùs opportunè (ut mihi tunc visum) sine ullâ, neque tum, neque mox subortâ noxâ, oblatum novi; cùm videlicet Fermentum Febrile, utut præmaturè forsitan, & ut ita dicam in statu suæ cruditatis a Febrifugo absorptum, subinde tamen potuit expelli, aut discuti, priusquam rursus exaltaretur: quemadmodum probabiliter, & quidem faciliùs, vel expellitur, vel discutitur, vel perfectè subigitur, cùm tempestivè offertur idem Remedium. Nihilominus illud ego semper inopportunè saltem usurpatum suspicor, idque ipsum in Opere meo profero ubique; quotiescunque vel vitæ imminens, certumque periculum non adsit, ut in Febribus *Intermittentibus Perniciosis*, vel probabilissimum, ut in *Subcontinuis Malignantibus*, vel denique nisi corruptivæ naturæ indicia certa sint in *Vulgaribus Intermittentibus*; quas utplurimum, nisi valdè diuturnæ fuerint, pro *Depurativis* habeo, vel tales nonnunquam evasuras spero. Quò ad hanc ergo intempestivam Febris extinctionem, ne actum agam, me refero ad ea, quæ supra dixi in Animadversionibus ad Epistolam Nuncupatoriam, lit. d., & in Responsionibus ad §. 1. pariter lit. d., & alibi.

(*b*) (*Verùm noxa &c.*) Noxa hujus Febrifugi, iterum repeto, nulla est; ex se enim Febrem submovet, quod ex se pariter bonum. Si malum aliquod nonnunquam sit subsecutum (quod non repugnat) ob tempus inopportunum, quo Febris *præmaturè* suppressa fuerit, expectanda erat opportunitas oblationis, nullaque fuisset *noxa* Febrifugi, quamvis eadem fuisset illius actio in corpus Ægrotantis. Sed jam æquivocatio isthæc pluries sublata, eò turpior est, quò patentior, & crebrior. Cum verò ex istiusmodi æquivocationis repetito abusu gratis omnino affigatur Chinæ Chinæ beneficæ qualitas quædam *pernicialis*, ratione cujus in contextu imputatur illi quilibet *novus morbus ab aliis causis, longè postquam ejus beneficio Ægri evaluerint, prognatus*: adeòque cum a Cl. Auctore sustineatur mordicùs, cavendum esse ab eâdem Chinâ Chinâ, statim licet juvante, quippe tractu temporis nociturâ; æquè gratis quis posset asserere, tum quòd Sarsæ parillæ V. G. insit *occulta noxa*, quâ homini in Febrem, aliumve morbum delapso, de-

trimentum attulerit, poſtquam hic *ab illius uſu*, *non autem Naturæ beneficio evaluerit* a Lue Celticâ; tum quòd veneno cuipiam vis inſit balſamica, poſtquam eo per ſua Antidota tempeſtivè debellato, proſperam nonnemo valetudinem fuerit ſubinde ſortitus. Ut ergo ad Chinam Chinam redeam: *Proba eſt*, dicam, *materia*, *ſi probus illam adhibeat Artifex*.

§. 16.

(*a*) IN *temperamento bilioſo* ſecurior forſan Peruviani Febrifugi uſus, bilis enim humor ſubtilis, & facilis motus, non tam arctis vinculis adſtringi ſe patitur, ut propriis viribus ſe non expediat. (*b*) *Tempus quoque*, regiones, & annorum conſtitutiones obſervandæ; æſtivo tempore felicius, ſeu minori damno exhibetur hoc remedium, & ſub finem Autumni, hyemali parum fauſto ſucceſſu, per totam enim hyemem fatigantur ægri, nec niſi ad primum veris acceſſum liberantur. Hoc idem evenit in regionibus humidis, ubi aer craſſus, & humidus, magis, quàm in ſiccis quæ puriori aere gaudent, quales ſunt Civitates Montibus proximæ, ſive Montanæ.

(*a*) (*In Temperamento bilioſo &c.*) REditum facimus ad conſuetas contradictiones, ſeu potiùs ab iiſdem nunquam recedimus. *In temperamento bilioſo ſecurior reputatur* a Cl. Auctore *Peruviani Febrifugi uſus*, *quia bilis ab eo non tam arctis vinculis adſtringi ſe patitur*, *ut propriis viribus ſe non expediat*. Hìc ergo bilis ſupponitur Cauſa Febris alicujus Intermittentis, puta Tertianæ, cum tamen §. 46. hujuſmodi opinio ab eo rejiciatur his verbis -- *Neque novum Intermittentes Febres Æſtate pervagantes pendere a Salſo-acido Fermento*, *licèt utplurimum opinio ſit*, *a luxuriante bile progigni*. Sed pergamus: Cur quæſo modò tutum eſt, quòd humor bilioſus *non ſinat ſe adſtringi vinculis Chinæ Chinæ*, ſi noxium nuper erat §. 14., quòd iiſdem vinculis ſe adſtringi non ſineret, ſeu quòd hujuſmodi *Febrifugo non auſcultaret* humor Atrabilaris? Forſan quia bonum eſt, flavam bilem non figi, Febrimque ab eâ pendentem minimè infringi? At malum erat, interque *noxas Corticis graviores* numerabatur, non figi bilem atram, nec infringi Febrem ab eâ pendentem. An denique tutiùs eſt modò, *ut propriis viribus ſe expediat* febrilis humor, quia ex §. 25. & 27. *optandus eſt remedii loco reditus Febris* a Chinâ Chinâ fugatæ; imò reditus Febris *fortioris*, ac *ferocioris*, ut ex eodem §. 27., & ex ipsâ nuncupatoriâ Epiſtolâ?

Epiſtolâ ? At nulla major noxa recenſetur §. 14. a Peruviano Cortice illata, quàm quòd Febris paululum enervata, aut ad aliquod tempus depulſa, *denuò ferocior exerat caput*. Quidnam igitur inter hæc omnia bonum eſt, quidnam malum? Certè tota hæc Diſſertatio nonniſi acervus contradictionum videtur.

(*b*) (*Tempus quoquè &c.*) Expectabam hoc inſuper, ut ſcilicet dilucidaretur a Viro Cl., an tutius ſit exhibere Peruvianum Corticem creſcente, an decreſcente Lunâ, die Martis, an die Veneris &c. Sed non vacat ampliùs minutiora hæc, futilia, & vana ſingillatim perſequi. Et quoniam adversùs auctoritatem illius haud ſatis videntur poſſe experimenta mea, meæque ratiunculæ, illam demum pro me refellat, deleatque æqualis auctoritas. Ex ipſo itaque tandem Bove lora ſumamus. Idem nempe Vir. Cl. unâ Periodo ſuâ ſibi reſponſum faciat: penſetque prolixiores, quæ occurrerent animadverſiones, repetita quidem, ſed preſſior illius confeſſio, tum paulò ſupra, tum in notæ jam *Collationis* textibus etiam allata literis E. F. G., videlicet. *Peruvianus Cortex nobis a divinâ beneficentiâ munus conceſſum, in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, ſexu, temperamento, Febres ſaltem recurrentes, atque intervallatas fugat, & exterminat.* Ita ante ſexennium Cl. Ramazzinus

Ipſe ſibi Judex, & Reus ipſe ſibi.

§. 17.

CUrioſum porro eſt quod in Conſtitutionibus meis Mutinenſibus annotavi, nam cum anno 1690. in auſtrina, & pluvioſa tempeſtate à veris principio per totam æſtatem campeſtris regio infra Mutinam Padum verſus aquis exundaret, quam ob cauſam peſſum ivere fruges cujuſcumque generis, Ruſtici fere omnes eodem tempore ex tertianis febribus intermittentibus decumbebant, obſervatum eſt in illis, quibus fuit adminiſtrata China China, infeliciter ceſſiſſe illius uſum, tardius enim convaluere, quàm ii qui ſoli Naturæ negotio commiſſo multo citius ad Agrorum culturam rediere; ſequenti vero anno vagante urbana Epidemia tertianarum febrium in conſtitutione valde ſicca, & æſtate præfervida, Cortex Peruvianus in uſum adhibitus, honorem, & famam, quam priori anno amiſerat, viſus eſt recuperaſſe.

(*Curiosum porrò &c.*) HUic Paragrapho, partim pro usu Chinæ Chinæ, partim pro illius omissione militanti, non aliud reponam, nisi quòd Autumnali tempestate anni 1714. nuper elapsi, inter omnes, quas meminerim, summè pluviosâ, vixque integram ob id seminum, segetumve sationem permittente, æquè felicem, & æquè certum illius usum comperi (eam siquidem ad multiplicis generis Febres sæpius præscripsi) ac quavis siccâ, & sudâ tempestate. Quòd si in *Rusticis* anno 1690. observavit oppositum Cl. Auctor; me vel tunc hujusmodi diversitatem, saltem in *Civibus*, non observasse sum conscius: quemadmodum plura alia, quæ de Constitutionibus eorum temporum ipse conscripsit, haud semper cohæsisse memini observationibus meis, etsi præ multitudine Ægrotantium, quos invisebam quotidie (*Urbi nota loquor*) longè major mihi, quàm illi obtigerit opportunitas dispiciendi, quæ generaliter, quæ peculiariter in iis morbis acciderent. Profectò hujusce Febrifugi actionem semper ego uniformem deprehendi; efficacem scilicet semper in iis omnibus febribus, in quibus revera convenit; in iis, in quibus non convenit, semper inefficacem. Qui propterea nullos unquam Medicos audire consuevi dicentes -- *Hoc anno longè meliùs, ac prægressis purgat Senna, aperit Chalybs, Alchermes roborat, attenuat Salsa*, rideo quoties eorum nonnullos audio identidem exclamantes -- *Verè hoc anno mirabilis est Peruvianus Cortex, proficuusque longè magis, ac annis elapsis*; hujusmodi enim assertio, ex observatâ forsitan illis eventus diversitate procedens, infirmam, & cæspitantem eorum praxim accusat; quippe quæ ex eo solùm oritur, quòd cum satis non distinguant ab invicem febres Cortice curabiles ab aliis Cortice non curabilibus, aliquam tamen vicissim similitudinem allucinationum Matrem habentibus; quotiescunque regnant universaliter febres Cortici suapte naturâ obsequentes, alîus verò generis fermè nullæ, in earum medelam uno Cortice indiscriminatim adhibito fortuitò impingunt, & remedium eo anno *Mirabile* prædicant; quoties verò diversæ intrinsecùs inter se se febres vagantur, aliquam licèt symboleitatem primo aspectu præ se ferentes, easque omnes sine delectu curare satagunt eodem Febrifugo, res male cadit, & Chinam Chinam eo anno ut *Maleficam*, vel saltem sæpius *Inutilem*, summâ quidem injuriâ, criminantur: haud secus ac olim Vetula cæcutiens fortuitò casum passa, suæ domus, non sui visus obscuritatem execrebatur.

§. 18.

OBservationes istæ quas memoravi, *(a) multorum annorum* sunt fructus, & longævitatis à Divina Beneficentia mihi concessæ; hæ affectum, quo à principio in Peruvianum Corticem nimis effuse ferebar, paulatim attemperarunt, & varium, ac suspensum in hujus remedii ad-

dii adminiſtratione reddidere; ſummatim igitur hoc Febrifugi genus apud me tanti non eſt pro febribus intermittentibus curandis, *(b) ut Medicina* æque bene hoc præſidii genere carere non poſſet, *(c) & Veterum Febrifugis*, quæ ſi non tam cito, tutius tamen operantur, febrium cauſam extenuando, *(d) & ſenſim exanthlando*, non poſſet eſſe contenta, *(e) qui veteri utuntur vino ſapientes puto*, ajebat Plautus in Caſſina.

(*a*) (*Multorum annorum &c.*) QUot annorum ſint fructus ſingillatim quatuor opiniones alternè oppoſitæ, quæ Cl. Auctorem *varium*, ac inconſtantem *reddidere in adminiſtratione Peruviani Corticis*, oſtendit ſupputatio a me facta §. 3.; ex quâ infertur apertè, confuſam hanc, & indigeſtam obſervationum Chinæ Chinæ infenſarum reminiſcentiam (nullas enim, aut ferè nullas recentes tam brevi, ſibique tam innopportuno tempore potuit ille inſtituere) initium ſumpſiſſe ab editione Tractatus mei, paucorumque proinde menſium ſobolem planè abortivam fuiſſe. Etenim ſi anno 1712. de Contagioſâ agens ille Boum Epidemiâ argumentum ipſum meum, ex præmiſſâ ejuſdem Tractatus Synopſi meâ eluceſcens, ſibi ferme adoptavit, ut patet ex Textu in *Collatione* tranſcripto lit. H.; edito autem immediatè poſt a me anno eodem 1712. ipſo Tractatu, tam repentè ſententiam mutavit, ut ſubſequente ſtatim anno 1713. Diſſertationem hanc Criticam e diametro oppoſitam ſcripſerit (quod deducitur ex Paragrapho 47., obitum Comitis Torricini, qui eo ipſo tempore contigit, connotante, quamvis in annum 1714. protracta fuerit ejuſdem Diſſertationis editio) ſatis conſtat, fallacium hujuſmodi obſervationum reminiſcentiam paucorum tantummodo menſium, non *multorum annorum fructum* extitiſſe, obliteratâ illico penitùs, vel ſaltem neglectâ favorabilium omnium, quæ antea ſcripſerat, memoriâ. Niſi hanc Camarinam moviſſet Vir Cl., neque ego in damna illius moviſſem fortaſſis. *Suo igitur ipſius indicio periit Sorex.*

(*b*) (*Ut Medicina &c.*) Medicina olim carens hoc præſidii genere, Tertianas Perniciofas, atque lethales a Mercato deſcriptas non ſanabat, quamvis innumera tentaret remedia: hodie feliciſſimè ſanat, etiam rebus in præceps ruentibus; ſitque teſtis Urbs Mutinenſis tota. Æquè bene ergo hoc præſidii genere Medicina carere non poſſet. Sed aſſerta mea Cl. Auctori nequaquam probantur: etenim inquit ille infra §. 33. *Antequam Chinæ Chinæ nomen innoteſceret, hujuſmodi portenta viſebantur, ut in incerto eſſet, num Medicamentorum, an Fortunæ beneficio Ægri convaluiſſent.* Probata igitur erunt mihi aſſerta illius, eaque præſertim, quæ in Tertiâ Oratione Jatrici Argumenti proſtant a pag. 101. uſque ad 105.; quorum plurima tranſcripta cum ſint in *Collatione* Textuum illius Chinæ Chinæ favorabilium, præſer-

tim literâ C., literâ I., & literis K. L. M.; idcirco ad evitandam prolixitatem, ea hìc omittere satius duxi, atque illuc Lectorem relegare.

Hunc tamen insuper rogatum velim, ut Textum appositum novissimè, tum §. 5., tum in fine §. 11., rursus adire non renuat, ubi ait Vir Cl. -- *E singulari hujus remedii præstantiâ, id beneficii fuimus assecuti &c.* Ex his enim omnibus conjiciet, illum nova, quæ hodie cernimus Medicinæ incrementa, novosque progressus in explorandis Febrium, præsertim Intermittentium Causis, & instituendâ meliori earum curatione, uni inventioni auspicatissimæ Peruviani Corticis adscripsisse: & quasi eo reperto multa quidem, sed non adhuc omnia expleta sint Medicinæ vota, simile aliud insuper remedium ad Febres Continuas, pro ejusdem Medicinæ complemento, a Numinibus implorantem videbit. Quibus equidem tam manifestè, ac per extensum ab eodem prolatis, decernet facilè quilibet cohærenter, *Hoc Febrifugi genus apud ipsum potiùs tanti fuisse pro Febribus Intermittentibus curandis, ut Medicina æquè bene hoc præsidii genere carere non posset.* Ast reponet ille fortassis, tunc istud Febrifugum, anno videlicet 1708. apud ipsum tanti fuisse; modò *tanti non esse*. Videamus ergo quanti saltem apud eum etiamnum sit. Asserit ille §. 48. hujusce nuperæ Dissertationis, *admittendum, & laudandum esse Chinæ Chinæ usum, ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione:* asserit §. 22., *Corticem Peruvianum in Febribus Intermittentibus revera aliquid posse, quia paroxysmos sistit per aliquot dies, atque interdum etiam omninò, ut ampliùs non redeant:* asseruitque supra §. 4, *Admirandum esse, quomodo ad exiguum pulvisculum Peruviani Corticis, quomodocunque exhibitum, Febris Periodicæ furor conquiescat, interdum etiam extinguatur; quod de quocunque alio remedio pharmaceutico non tam facilè observatur, quod sciat.* Hæc sunt effata Cl. Auctoris anni 1714., quæ in hac ipsâ Criticâ illius Dissertatione leguntur. Quomodo ergo Medicina, quæ, ipso fatente, tot habet ab hoc uno Febrifugo, & quæ *nullum aliud habet remedium pharmaceuticum, de quo quid simile observetur, quod sciat,* æquè bene hoc præsidii genere carere posset?

(*c*) (*Et Veterum Febrifugis &c.*) De Peruviano Cortice, quem modò Veterum Febrifugis postponit immeritò, sic olim exclamavit Cl. Ramazzinus, ut in *Collatione* Textuum lit. D. *Quot seculis desudarunt Artis Primores, ut Febrifugum aliquod reperirent, aut arte conflarent? Modo è Peruvianâ Regione Cortex ad nos defertur, divinum planè remedium ad malè natam Febrium sobolem exterminandam.* Eundem Corticem aliàs appellavit ille, ut in citatâ Collatione lit. B., *Antipyreticorum omnium, quotquot excogitavit Antiquitas, & Chymicorum solertia conflavit, facilè Principem.* Tandemque de eodem cum Veterum Febrifugis comparato hæc protulit, ut in eâdem Collatione lit. E. F. G. *Quàm diu a peritioribus Artis Magistris insudatum est ad Febrifugum aliquod conflandum, ex triplici Regno materiâ petitâ? At omnes hactenus illorum labores frustrante diligentiâ in irritum cessere; & si aliquod Antipyreticum in illorum monumentis extat, nonnisi sub Grypho descriptum legitur, ut Delio Natatore opus sit, si Mens Auctoris sincera haben-*

habenda sit. Solus Peruvianus Cortex &c. Hujuscemodi ergo Febrifugis diu, sed frustra quæsitis a Peritiorum, Antiquiorumque Magistrorum Artis industriâ, sinè Peruviano Cortice, qui *solus*, ipso docente, Febres fugare, & exterminare perhibetur, *Medicina posset esse contenta?* Illis, illis ergo in Chinæ Chinæ dedecus oportebat curare Puellas Patavinas §. 9. ab Auctore visas, nec tamen sanatas, Nobilemque Virginem ab eodem pariter §. 26. infra descriptam, solique tempori, & domui paternæ medicatrici commissam.

(*d*) (*Et sensim exantlando &c.*) Profectò *sensim*: & adeò sensim, ut ad biennium sæpius protrahatur in Quartanis ista Causæ febrilis extenuatio, Veterum Febrifugis, quæcunque in usum revocata fuerint, facilè adscripta a Cl. Auctore, tantâ quidem fiduciâ, ac si *recèns ab Academiâ venerit*, praximque medicam nunquam exercuerit. Contra, non raro *valere jussis* illiusmodi *Febrifugis*, ubi simul quis renuat uti Peruviano Cortice, intra quatuor, plus minùs, menses solet contingere plurium Quartanarum spontanea solutio. Saltem *unum* ex tot Veterum Antipyreticis, cui magis fidat, indicasset Cl. Auctor, ut facto experimento, & asserti tam utilis veritate detectâ, *tutius* istusmodi Remedium, Chinâ Chinâ sepositâ, totis ulnis possemus amplecti. *Sed isthæc* (ut infra ipsemet inquit) *apud mulieres, & imperitam plebeculam locum habent, non apud eos, qui sapiunt.*

(*e*) (*Qui veteri &c.*) Sapienter admodum in commendationem Febrifugorum a Veteribus usurpatorum, subdit Cl. Auctor effatum Plauti -- *Qui veteri utuntur Vino, sapientes puto* -- Desideratur tantummodo commentarium, quod in Orat. Jatr. Argum. pag. 183. huic ipsi Textui addendum censuit idem Cl. Ramazzinus, quod sic habet -- *Qui veteri vino utuntur Sapientes puto, ajebat Comicus; rectè quidem, nisi tamen Vinum in vappam, seu acorem transierit. Non minus tamen sapientes judicandi, qui recenti utuntur Vino, si defæcatum fuerit; hoc enim Vini genus plus nutrit, multòque plus spiritus ab eo elicitur.* Ita ille. In hisce terminis tam bene quadrat casui nostro, collatione factâ vappescentium, ac mucidorum Febrifugorum Antiquitatis cum recenti, & vivifico Peruviano Febrifugo, expositio Cl. Auctoris, ut volupe mihi sit, absque ullâ hæsitantiâ eidem subscribere.

§. 19.

EQuidem *si damni dati*, & collati beneficii à Chinæ usu ineatur ratio, non tam facile crediderim, ut ab æquis judicibus illa possit absolvi à crimine objecto, magis damnosam illam esse, quàm utilem, seu num liceat de Peruviano Cortice proferre, quod de Ottone scripsit Tacitus, *tantundem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ*.

(*Equi-*

(*Equidem si damni dati &c.*) OMne damnum, quod China China possit inferre (si quod potest inferre) eo solùm nomine inferre valet, quòd est verè Febrifuga. Nisi ea talis esset, neque esset in potestate imperiti Medici Febrem sistere, *ubi*, vel *quando* non convenit. Hoc est damnum unicum, quod ab usu illius, intempestivo tamen, queat fortasse procedere. Contra, ab usu recto quot beneficia prodeant, satis patet vel ex uno Tractatu meo, & ex adductis ibidem historiis. Si ergo *damni dati, & collati beneficii* ineatur justa ratio, *ab æquis Judicibus* facilè crediderim posse decerni, *minimè damnosam illam esse, sed utilem*. Quòd si ratio ineatur laudum, & probrorum, quæ a Viro Cl. ea retulit, tunc verè crediderim, licere de ipsâ proferre, quòd ex uno tantùm defuncti Auctoris versatili calamo (quandoquidem velit ei Posteritas fidere) *tantundem bonæ famæ apud Posteros ea meruit, quantum malæ*. Ita nimirum nobismetipsis haud satis caventes

Cædimus, inque vicem præbemus crura Sagittis. Pers. Sat. 4.

§. 20.

POssem *funestos casus* referre non paucos, quos observavi toto eo tempore, quo Mutinæ Medicinam feci, sed prolixior essem, & Epistolæ leges transgrederer, unicum tantum in Viro insigni satis noto referam, dum casus, qui in gente vulgari contingunt sine rumore terra obtegit. Comes Joannes Carolus Morandi placentinus, olim Serenissimo Principi Cæsari Estensi Eques percarus, media æstate simplici quartana correptus est, cui Medicus magnus Peruviani Corticis Fautor, facta ut puto lævi aliqua purgatione, seu etiam V. S. Chinam Chinam ad plures dies pro more suo præscripsit, ast Eques ille contumaciori febre facta in pejus ruere semper cœpit, donec appetente hyeme hydrops ascites factus Placentiam asportari voluit, ut in Majorum sepulchro tumularetur.

(*Possem funestos Casus &c.*) MAgnam potiùs esse dixerim Cl. Auctori penuriam funestorum casuum, quos possit obstrudere, si quem primo loco producit, a septem retro lustris cogitur emendicare. Verùm nec rem planè tangit acu, neque me imparatum invadit; sed strenuè jam præmunitum. Atque hinc dignoscat quilibet, me *ingenuè bona, & mala exposuisse* in Tractatu meo, non encomia tantùm, laudesque Chinæ Chinæ profusas, *qualis*

mos est

mos est eorum, qui de aliquo novo medicamento Tractatus integros edunt, ut acutè notavit §. 7. Cl. Auctor. Hunc igitur eundem Casum vide Lector in Therapeutice meâ, pro animi mei candore primò tantùm obiter indigitatum in quadam parenthesi pag. 5., dein expositum quidem breviter, sed ad trutinam longiusculè expensum a pag. 178. ad totam pag. 181., suppresso licèt Ægrotantis nomine; atque ob id solùm suppresso, ne viderer in infausti eventus discrimen velle me trahere, præter Experientissimum *Frassonum* Præceptorem meum, qui primò solus curæ adfuit, & ab Obtrectatoribus suis ob id malè audiit, ipsum quoquè superaccitum eidem curationi Cl. Ramazzinum, cujus propterea mentionem facere opus erat. Neque enim satis memineram, quemadmodum neque modò satis sum memor, an Vir iste Cl., qui tunc *Chinam Chinam habebat in magno pretio, & affectu suo nimis effusè in illam ferebatur*, ante oblationem Peruviani Corticis, an solummodo post oblationem curationi a Præceptore meo susceptæ supervenerit; atque ideo an calculum suum pro administratione Febrifugi hujus addiderit necne. Discrepat tamen in nonnullis a meâ, in aliis manca est historia a Cl. Auctore laconicè nimis expressa; quam ideo nonnihil fusiorem, usque tamen sinceram, apud me videre est loco citato his verbis. *Meus itaque colendæ semper memoriæ Præceptor Frassonus Nobili cuidam Viro* (fuit is idem Comes Jo: Carolus Morandus, de quo hìc Cl. Auctor, etsi nomen illius tunc reticuerim) *Quartanâ Febre per mensem circiter detento, & supra modum vexato cum notabili anhelitus difficultate, atque œdematoso pedum tumore ante Febrem exortis, & cum eâ in dies crescentibus, Chinam Chinam exhibuit, & Febrem sustulit. Post aliquot alios successivè dies tumor œdematosus, suapte naturâ in incrementum pronus, major est factus, ad tibias, & crura sensim procedens, ventre non immuni. Atque ita, increbrescente anhelitus difficultate, intra paucos tandem menses, a serosâ colluvie universaliter obrutus Æger, fato cessit, Hydropicus Abdominis simul, & Pectoris.*

Hæc cum ita verè se habuerint, minimè consonat veritati, quòd Febris ab epotâ Chinâ Chinâ *facta fuerit contumacior*, ut asserit Vir Cl.; sicut nec eidem veritati pariter consonat, quòd Frassonus *ad plures dies* ipsam Chinam Chinam præscripserit. Præscripsit ille quidem *pro more suo*; sed mos illius, omniumque tunc Medicorum erat præscribere ad Drachmas duas, & semel tantùm *juxta Methodum* etiam *senioris ætatis* Cl. Ramazzini. Quòd si Febris, ut subdit ille, *facta fuit indè contumacior*, cum Medici tunc solùm *eludantur*, *quando ea non redit, sed tacitè corpus depascitur*, ut §. 27.; imò cum *res feliciùs cedat* §. eodem, *quando illa caput erigit etiam ferocior*, quomodo hinc modò colligit Vir Cl., Chinam Chinam obfuisse, & Hydropem ascivisse, si Febris ex ejus effato nequaquam abiit, sed *contumacior evasit?* Prodeat tamen iterum e latebris in apertum Veritas. China China *semel* tantùm ad Drachmas duas propinata fuit, & Febris recessit; sed Hydrops antea genitus incrementum, quod eo etiam Febrifugo minimè epoto suscepisset, æquè suscepit. Rediit quidem pro

more

more post nonnullas hebdomadas paroxysmis levioribus, uno tantùm Corticis haustu depulsa Febris; sed nulla ferè ampliùs habita est illius ratio: quandoquidem conatus omnes ad se trahebat Hydrops usque succrescens, dum tractu temporis in lentiorem symptomaticam Febriculam sensim conversa, paulatim obliterabatur Quartana.

Hæc est germana facti series: & præterquamquod vivit adhuc in luctu Comitissa defuncti Viri tunc Conjux, omnium facilè memor, ipse nequeo non meminisse, qui eidem Comiti Johanni Carolo Placentiam proficiscenti, *ut in Majorum Sepulcro*, cùm obiret, *tumularetur*, de mandato ipsius Præceptoris adstiti, Medicinæ sacris vix initiatus, circa annum videlicet 1678. Causæ morbi procatarticæ, quas brevitatis gratiâ ibidem subticui, modò verò cogor innuere, fuerunt labores insueti, & incommoda lata præsertim Liburni; ut Principi, cui famulabatur, morem gereret, non semel sub dio pernoctans in ipso Portu nebulis confertissimis obsitus; interdiu verò ferme assiduè, ac violenter equitans ad plures dies per juga, & montes, tam in profectione, quàm in reditu. Quæ quidem omnia omnino præter consuetudinem perpessus, cœpit paulò post lumbis dolere, imminuto sensim lotio, domi hærere, pallere, sibi gravis fieri, subtumdidusque, & anhelosus nonnihil ad quemcunque motum evadere, ac mox Febre Quartanâ corripi, succedentibus postmodum iis omnibus, quæ supra retuli, transcripsique ex Therapeutice meâ; ut indè cuique pateat, Casum hunc unicum minùs favorabilem, lapsu annorum vel tunc plusquam triginta mihi observatum, ac quodammodo pro suspecto habitum, fideliter manifestasse. Et quamvis pro Frassono curante tot, tantique ponderis militarent rationes (quas fusiùs ibidem sum persecutus) ut ob illas Practici eximii Placentini, *Eques Moraggius*, & *Stanislaus Homatus*, quibus Ægrum tradidi gravissimè habentem, ipsum Præceptorem meum omni culpâ vacare pro suâ ingenuitate asseruerint; eum nihilominus ego severior, ac forsan minùs æquus Judex, in ipso Tractatu meo ab omni suspicione parum cautæ oblationis remedii, solam Febrim, non Hydropem præortum mulctare valentis, nequaquam absolvi.

Interim tamen Lectorem enixè rogatum volo, ut dempto sibi, mihique repetitionis tædio, examen integrum hujusce casus videat in fonte, paginis supra citatis Therapeutices meæ: ubi quando Hydrops Chinâ Chinâ curari possit, si nempe a Febribus pendeat, & quando non possit, si nempe Febres ipsas præcedat; crebris tum experimentis, tum Scriptorum expertorum auctoritatibus, statutum reperiet, planèque discussas intuebitur nebulas omnes, quæ hinc Peruviani Corticis usui cavillosus quispiam vel tunc studuisset offundere: tandemque noscet, me, his non obstantibus, de Febrifugi administratione haud satis fortasse cautâ, ipsum quadantenus Præceptorem meum (æquè audacter quidem, ac sincerè) notasse. Sed hoc idem si detur etiam Cl. Auctori; quid contra Remedium, cùm tempestivè, atque ubi prodesse debet, non ubi nequit, offertur? Verùm rancescunt hæc a Viro Cl. nunc allata; imò dixerim, putent, quippe extincti jamdudum Frassoni Manibus, prout ab Opponente appinguntur, heu nimis infensa.

Hujus-

§. 21.

HUjuſmodi exemplum in quartana intermittente, multaque alia poſtmodum mihi obſervata in febribus periodicis, in quibus continuatus Febrifugi uſus obſtructiones & cachexias invexit, ut ægri cum ſanitate in gratiam nunquam redierint, ac tandem hydropici objerint, ut poſtremo contigit Domino Comiti Marſiano, alia inquam exempla cautiorem me fecere in præſcribendo hoc Febrifugo, licet febres eſſent de genere intermittentium.

(*Hujuſmodi exemplum &c.*) CL. Auctor ſuadere contendens, *continuatum Febrifugi uſum obſtructiones, & Cachexias invehere, ac tandem Hydropem, & mortem*, exemplum inſigne *inter multa*, ut inquit, *alia* ſelectum (quæ tamen minimè indigitat) in medium proferre ſatagit, quaſi per tranſennam memoriâ recolens obitum Generoſi Viri D. Comitis Ludovici de Marſciano, anno 1703. Bononiæ vitâ functi, poſt ſeptennium tamen (quod ille ſubticet) integræ valetudinis ab epotâ Chinâ Chinâ, quam D. Davinius anno 1696. curationi adſtans, ad vota ſoliciti Ægrotantis propoſuit pro curatione Quartanæ Febris, quâ tunc tenebatur Nob. ille Patiens, D. tandem Ramazzino, meque ipſo, cunctanter quidem ante, faciliùs verò poſt rem diſcuſſam, eo caſu remedium admittentibus. Hanc quoquè hiſtoriam nominatim expreſſam, atque deſcriptam videſis Lector in Therapeutice meâ pag. 175. hiſtoriâ 11.; ſciaſque illam non ibi relatam, ut ſimplicis Quartanæ curationem Chinâ Chinâ abſolutam, velut quid Cedro dignum, promulgarem; puduiſſet enim trivialia hæc pro magnificis venditare: ſed ut Lienis intumeſcentiam (quæ nobis curantibus negotium faceſſebat non leve) a Quartanâ prognatam, ope verò Corticis unà cum Quartanâ ipsâ deletam, malè credulorum oculis ſubjicerem, faſſus hac in re nonnullam quoquè hæſitantiam meam; quamvis in Sententiam Cl. curantis Viri, D. ſcilicet Davinii, qui votis Ægri enixè inſtantis annuerat omnium facillimè, revera deſcenderim. Ad calcem hiſtoriæ, quaſi futuræ caviliationis extitiſſem præſagus, hæc quoquè reperies, quæ placuit tunc ſubdere, ſeriorem ejuſdem Ægrotantis obitum connotantia, ſi quando & hunc in crimen Corticis quiſquam vertere non erubuiſſet. Sunt hec præciſa verba pag. 176. meæ Therapeutices exarata -- *Niſi fortè moroſus quiſpiam recidivam morbi illius* (videlicet Quartanæ Chinâ Chinâ curatæ) *appellare velit lethalem ejuſdem ægritudinem, poſt ſeptennium a causâ evidenti productam, Febrim videlicet acutam, ex ſuppreſsâ cutaneâ quadam habituali affectione oriundam, & intrà*

14. *dies*

14. *dies per abſceſſum ad anum imperfectè judicatam : quo demum abſceſſu priùs in Gangrænam converſo, mox difficulter curato, translatoque interim Ægro in aerem paluſtrem, Febris erratica ſubſecuta eſt, quæ tractu temporis Lienis tumorem aſcivit, dein Icterum, mox Hydropem, & mortem*. His adde modò, radicem omnium malorum verè fuiſſe ſuppreſſionem, nedum cutaneæ cujuſdam affectionis habitualis, ut ſupra, ſed & antiquæ ſimul *Fiſtulæ* ad anum (quod tunc ſubticui, quippe quod paucis notum) unde profundioris poſtea, altiorisve abſceſſus origo cum Febre acutâ, indè Gangræna, & partium imi ventris intimiorum, ac connexarum labes, Hydrops denique, & mors. Ita ſenſit diſtinctè inter cæteros Vir Cl. D. Paulus Piela in Conſultatione poſtremâ, quam cum plurimis aliis celeberrimi Bononienſis Archilycæi Viris illuſtribus, de mandato Sereniſſimi Ducis ibidem habuimus D. Davinius, & ego. Atque hinc ſanè petenda Cauſa obitus Viri Generoſi, non ex Peruviano Cortice ante tot annos epoto. Certè tot Medici inſignes ex inclyto illo Athenæo, qui ad longum tempus curæ illius Equitis adſtitere, quibuſque univerſa prægreſſorum morborum ſeries apprimè innotuerat, quicquam mali a Chinâ Chinâ progenitum, ne per ſomnium unquam ſunt ſuſpicati. Vivit unus ex iis Cl. Simonius, quæ circa hoc ſentiat valens teſtari, & parum candidam hanc oppoſitionem, futileſve potiùs has nugas potens diluere, ſi ſit opus.

§. 22.

INdulgentior tamen fui in hujus remedii adminiſtratione, quando obſervabam ægrum ipſum inſtanter appetere tam decantatum præſidii genus, & quodammodo conqueri de mea procraſtinatione, novi enim quanti momenti ſit ægri confidentia in hiſce remediis aſſumendis, quæ ſibi profutura animo conceperint. Ne igitur tam magnam confidentiam fruſtrarer, Chinam Chinam *(a) in mediocri doſi*, ut lædere non poſſet, & cum ſatis felici eventu exhibui, hac in re Celeberrimum Sanctorium noſtrum imitatus, qui, ut in Methodo Vitandorum errorum Libro 13. Cap. 4. ſuadet Lapidem Bezoar, licet fictitium aliquando exhibendum, propter nimiam ægrorum confidentiam, & ut vitentur calumniæ propter confirmatam opinionem, *(b) quod malignæ qualitati* obſiſtat: Hæc nimirum opinio de Lapide Bezoar, à veneranda

randa Antiquitate in tanta exiſtimatione habito, fuit penes hunc noſtrum Profeſſorem, ut illum præſcriberet in fide Parentum, à qua opinione non multum abludunt noſtrorum temporum Medici peritiores modicæ fidei circa omnia bezoartica, & alexipharmaca, de quibus virgilianum illud dicere liceat, *poſſunt quia poſſe videntur*, quod dictum tamen Peruviano Cortici non videtur congruere, nam revera in febribus intermittentibus aliquid poteſt quia paroxiſmos ſiſtit per aliquot dies, atque interdum etiam omnino, ut amplius non redeant.

(*a*) (*In Mediocri Doſi &c.*) MEdiocrem doſim Chinæ Chinæ a Cl. Auctore conſtitui in *unâ* tantùm Drachmâ, maximam verò in *duabus*, vidimus jam ipſo fatente §. 8. Quantitas autem Drachmæ unius, vel paulò major, præſertim *ſemel* tantùm oblata, nedum *lædere non poterat*; verùm nec ferè prodeſſe, niſi de Febre Intermittente planè facili ſermo ſit, & ſponte ad ſolutionem vergente. Profectò ſi fortè hujuſmodi, aut ſimili Methodo religiosè ſemper hæſit in Praxi Cl. Auctor, ægrè admodum de activitate remedii ferre poterat Judicium undequaque abſolutum, ut illud damnaret. Neque jure crediderim potuiſſe ab illo decerni, an ſiniſtri ſucceſſus, quos identidem memoravit, aut perhibuit ſe poſſe memorare, unique Cortici fidenter attribuit (niſi ab inopportunâ forſan oblatione proceſſerint) a Cortice verè proceſſerint, an a doſi illius enervi, ac invalidâ, remque propterea infectam relinquente. Sed urget ille, aſſerens, eo pacto ſe *Chinam Chinam exhibuiſſe cum ſatis felici eventu*. Hic, fateor, curioſus quærerem, ſi liceret; cum verò non liceat, mente ſaltem meâ ſcrutabor, quinam fuerit eventus ille, qui dicitur felix. Vel enim (repetitæ occaſioni donari velim repetitiunculas quoquè nonnunquam meas) Vel enim *poſt aliquot dies Febris denuo caput erexit etiam ferocior : ſic enim rem feliciùs ceſſiſſe Ægrotantibus* annotat §. 27., annotavitque in Epiſtolâ Nuncupatoriâ, *Febrem, ſed fortiorem* redeuntem, penſare damna Chinæ Chinæ, ob ejuſdem Febris extinctionem Ægris illata: & hunc eventum, quidquid dicat Auctor, procul dubio parum felicem dixerit Æger ipſe. Vel Febris non ampliùs rediit: & hic eventus ſecundùm eundem Cl. Auctorem omnium peſſimus eſt; ex §. enim 25. *Optandum eſſet, ut Febris, quæ diebus a paroxyſmo vacuis tacitè cubat, ut ignis ſub cinere doloſo, in apertam flammam erumperet, nam reditus illius remedii loco eſſet*. Sive ergo reciderit Æger a Cl. Viro Chinâ Chinâ curatus, ſive non reciderit, difficile eſt eruere ex Theorematis hujuſce Diſſertationis, quinam fuerit eventus felix, & quinam ſiniſter. Ad lubricas iſtiuſmodi anguſtias perſæpe redactus, quocunque tandem ſe vertat Cl. Auctor, ſemper illi *A fronte Præcipitium eſt, a tergo Lupus*.

(*b*) *Quod*

(*b*) (*Quod malignæ qualitati &c.*) Gratias tandem habeo quamplurimas cineribus Viri Cl., quòd in re obviâ quidem, sed in casu nostro plurimi æstimandâ, quippe quæ prima forsan, ut mox declarabitur, Controversiæ nostræ jecit semina, partes meas tam liberaliter, tamque ingenuè susceperit. Decernit ille cum celeberrimo Sanctorio, *confirmatam*, apud Medicorum vulgus *Opinionem*, *quòd Lapis Bezoar malignæ*, ut ajunt, *qualitati obsistat*, vanam esse, *Medicosque peritiores nostrorum temporum esse modicæ fidei circa omnia Bezoartica, & Alexipharmaca, de quibus Virgilianum illud dicere licet,*

——— *Possunt, quia posse videntur;*

atque ideo, subdam ego, diligenter reponenda erunt inter *tutissima* illa *Remedia*, de quibus §. 11. Regibus præscribenda. His præjudiciis explosis, comparat in contextu eundem Lapidem Bezoarticum Peruviano Cortici, fateturque, cuncta hæc, *quæ de Bezoarticorum, & Alexipharmacorum invaliditate ab eo dicta sunt, nequaquam congruere huic Febrifugo; nam revera* (inquit ille) *in Febribus Intermittentibus aliquid potest, quia paroxysmos sistit per aliquot dies, atque interdum etiam omnino, ut ampliùs non redeant*. Lectorem hìc, quæso, ne pigeat adire Therapeuticen meam pag. 444. historiâ 9., vel saltem pag. 448. Ibi videat, totam discrepantiam, quæ anno 1709. inter me, & Cl. Auctoris Nepotem Relatorem abusus Chinæ Chinæ in Urbe nostrâ, insurrexit, quæque forsan Scriptis hisce Cl. Viri ansam præbuit non minimam, in hoc uno constitutam fuisse, quòd ille Febris Tertianæ duplicis, ab ortu suo Intermittentis, aut Subintrantis, mox recèns Continuæ, ipsoque Judice, malignæ jam factæ, cum totali asphyxiâ, frigidisque circa Pectus, Caput, & Collum sudoribus curationem (quam ego Chinæ Chinæ ope certam pollicebar, ut contigit, inhibito per eam superventuro novo paroxysmo, cæteroqui planè lethali) ille inquam Lapide potiùs Bezoartico, quàm Chinâ Chinâ absolvendam contenderet, eo præcisè titulo, ut *malignæ obsisteret qualitati*. Quid ergo mihi, tam secunda ne cogitanti quidem, propitium magis poterat obvenire? Profectò

——— *Insperata accidunt magis sæpe, quàm quæ speres*,

inquit Plautus in Mostell. Etenim nonne ultronea ferme hæc est Cl. Patrui ingenuitas, quæ Corticem Peruvianum, *Paroxysmos Febrium revera sistentem*, Lapidi Bezoartico anteponit, *peritioresque nostrorum temporum Medicos* eos vocat, qui virtutem alexipharmacam illius celeberrimi Lapidis parvi faciunt, opinionemque ipsam, confirmatam licèt, quòd *malignæ*, ut vulgus Medicorum loquitur, *obsistat qualitati*? Sed nonne simul rationalis erat in casu tam præcipiti solicitudo mea, ut rationalis, felixque fuit ipsa Febrifugi oblatio? Nimirum ope illius Perniciosa Febris recessit sinè reditu a Subjecto *Præpingui*, *Pituitoso*, *Adolescenti*, *Nobili*, *& lautitiâ victus utenti*; quæ conditiones, nedum conjunctim omnes, sed & seorsim singulæ, Peruviani Corticis usum prohibent ex Cl. Auctore, ut supra vidimus: jamque septennium interim inculpatæ valetudinis labitur a Chinâ Chinâ assumptâ. Hujusmodi *noxam* ex vi *occultæ malitiæ* suæ intulit illa, intrà mensem ad uncias

duas

duas epota. Nec majorem forsan, magisve noxium abusum mox vidit, aut ante viderat Mutinæ studiosus Relator.

§. 23.

ATque id est, quod valde admiror, & in variis meis Operibus *(a) virtutem hanc arcanam* commendavi, & nunquam satis admirari cessabo, *(b) sed optandum* esset, ut in periti, & prudentis Medici manibus esset hoc remedium, eò enim ventum est, ut vulgaris quisque Medicus, & juvenis, qui recens ab Academia venerit, non vereatur periodica febre laboranti ægro Febrifugum istud ad multos dies, & in liberali dosi præscribere ea securitate, qua Magistros suos operari vidit.

(*a*) *Virtutem hanc arcanam &c.*) NOn solùm *virtutem arcanam* Chinæ Chinæ (cujus *usum* ex hoc ipso quòd *arcana* est illius *virtus*, §. 6. hujusce Dissertationis vocat *amethodicum*) sed *usum* ipsum *liberalem*, & *amplum* ejusdem virtutis, illamque possidentis Peruviani Corticis, cum exclusione ferè omnimodâ cæterorum præsidiorum Artis, *in variis Operibus suis commendavit* Cl. Auctor, ubique asseverans, ut vidimus, -- *Antipyreticum istud esse Remedium cum securitate Febres Periodicas sanans: in Tertianis malignis, Fermentum illarum, sive penitùs restinguendo, sive quamplurimùm enervando miranda præstans, Ægrumque ob id vindicans ab interitu: in qualibet Febre recurrente, quocunque anni tempore, Regione, Ætate, Sexu, Temperamento exhibendum; non tamen semel tantùm, ut olim, sed ad plures dies, donec febrile miasma sit penitùs exantlatum; valere jussis tot pharmaceuticis præsidiis, tot repetitis venæ sectionibus, tot iteratis purgationibus, quæ humani corporis machinam potiùs infirmant, quam confirmant &c.* Vulneribus hisce consolidandis, quæ sibimetipsi gladio veritatis inflixit Cl. Auctor, Emplastrum tergiversationis hujusce Paragraphi profectò est impar. Interim tamen nequit saltem non commendari sagax solertia, quâ semetipsum expressæ contradictioni subtrahere studuit. Sed jam jacta erat alea, nec ullus supererat ampliùs (manu licèt magistrâ calamum contrectaret) industriosæ defensioni locus. Quòd si quis verè fuisset, Viri certè sollertissimi dexteritatem nequaquam subterfugisset, ut de illo meritò dici possit,

——— Si Pergama dextrâ
Defendi possent, certè hac defensa fuissent.

(*b*) (*Sed optandum &c.*) *Optandum* omnino, *ut in periti, & prudentis Medici manibus sit hoc Remedium*; & magis adhuc optandum,

ut in periti, & prudentis Medici manibus sint *alia Remedia*, non ob præposteram aliquando administrationem tantùm, sed *suapte naturâ* insimul periculosa, cujusmodi sunt Cathartica, & Emetica, Opiata omnia, Diaphoretica, ea præsertim, quæ vocant Spirituosiora, Venæ sectio, & alia hujusmodi generosiora præsidia. Ex horum quippe usu minùs castigato longè majora impendent damna, quàm ex usu promiscuo Peruviani Corticis; licèt sinè rigidiusculâ, ut hìc, Cl. Auctoris animadversione, *vulgaris quisque Medicus, & Juvenis qui recèns ab Academiâ venerit, non vereatur illa quotidie præscribere, eâ securitate, quâ Magistros suos operari vidit*. Non est tamen ideo, quòd approbem nimiam, si sit nonnunquam, Juvenum facilitatem, quam verè corripiendam & ipse judico: dico tantummodo, errorem ipsius præcocis Febrium extinctionis sæpe leviorem reperiri a posteriori (ut cum Scholis loquar) ac a priori apparuerit: errorem verò Febrifugi oblati in Febre, cui nullatenus illud convenit, ut in Synocho, aut aliâ quavis Febre per essentiam Continuâ, ad solam ferme palati frustraneam mulctam forsan restringi; damnum enim, saltem sensibile, nullum exinde visitur. Propterea, quam jure exquirimus Cl. Auctor, & ego, peritiam, prudentiamque in Medico Chinam Chinam præscribente, eam non solùm, sed & majorem exopto ego in Medicis, *alia Remedia*, si malè administrentur verè periculosa; quotidie tamen, ac si bellaria forent, facillimè præscribentibus.

§. 24.

SEd hoc etiam esset tolerandum, nisi quoque *(a) Chirurgi, & Pharmacopolæ*, inscio Medico hanc arrogarent auctoritatem, sibi plaudentes quod pauca impensa ægrum è lecto cui diuturnæ febres affixissent citissime exemerint non sine prævia purgatione, & venæ sectione, quæ duo magna remedia præmittenda censent, ut methodice videantur operari, quod si febris omnes illorum conatus eludat redeundo, in promptu habent ægrotantium errata in victu, & rebus non naturalibus, seu non exhibitam ad plures dies debitam Chinæ Chinæ quantitatem, sed isthæc apud mulieres, & imperitam plebeculam locum habent, non apud eos qui sapiunt, febres enim intermittentes ab hoc remedio fugari videntur, ac Medicis nimis credulis facile imponunt, *(b) non enim vere fugantur*, sed potius concentrantur, & quia paroxismi non repetunt, putant nonnulli febrem abjisse.

(a) (Chi-

(*a*) (*Chirurgi, & Pharmacopolæ &c.*) SCandalum hoc an ipse prævíderim, ab excellentiâ, & præstantiâ ipsâ remedii facilè oriundum; imò prognatum olim apud extraneos quosdam Chirurgos, nec planè innoxiè tunc Mutinæ propagatum, an observarim, enunciarim, & malè tulerim, videre est in Therapeutice meâ; primum quidem pag. 383., secundum verò a pag. 557. usque ad finem Capitis. Id bonæ frugis, quod ex malo semine, & tunc, & postea collegi; nempe ex profusâ, & amethodicâ Corticis oblatione, ignaris hisce gentibus identidem usitatâ, fuit, ab hac ipsâ cæteroqui reprehensibili, ac temerariâ praxi, non malos eos semper, quos suspicatus essem; sed non rarò potiùs bonos, & felices, quos non ita facilè expectassem, eventus successisse. Quamobrem etsi administrationi præposteræ illius malè aptetur excusatio de erratis Ægrotantium, vel de non satis continuato usu remedii, si Febris redeat: nihilominus hæc eadem excusatio planè contemnenda non est, ut illam videtur planè contemnere Cl. Auctor, si verax alioqui ea sit, & candida. Cum ergo sæpe, ut dictum supra, res bene ceciderit, quamvis remedium minùs congruenter fuerit administratum, colligo ego, nullam verè ab hoc Febrifugo *ratione substantiæ suæ* noxam hominibus invehi; sed eam solummodo nonnunquam (nec enim semper) quam mera *intempestiva Depurativæ Febris extinctio* potest inferre. *Bonæ* scilicet *leges ex malis* quandoque *moribus* etiam in Re medicâ *procreantur*.

(*b*) (*Non enim verè fugantur &c.*) Sciebam equidem, objici a Medicis Cortici Peruviano infensis, illum, qui solam Causæ febrilis quasi sopitæ *actionem* ab iisdem creditur impedire, solas per consequens *Febres* fugare consuevisse, minimè verò Febrium *Causam*, pro illis iterum suscitandis intus latentem; sed *Febres ipsas verè non fugari, imò eas concentrari potiùs* (apertis adeò saltem notis) nondum audivi. Me itaque sponte recipio inter *Medicos illos nimis credulos, quibus facilè imponunt* abditæ hujusmodi Febres, quæ sinunt Ægrum facilè cibum appetere, benè ferre, meliùs nutriri, optimè quiescere, vires resumere, equitare, iter facere, ludere &c. sinè lassitudine, sinè molestiâ, sinè siti; uno verbo, sinè ullo Febris indicio. Certè Maligna valde sit oportet *concentrata* sic hujusmodi Febris. Modò infortunium nosco a Cl. Auctore toties deprædicatum, si nempe non recidat Æger: necesse quippe est illi, latentem hujuscemodi Febrem toto vitæ suæ tempore circumferre. Quis tamen ideo vel somniasset unquam, Cl. Auctorem, de suis Ægris cæteroqui solicitum, in hunc errorem scienter incidisse, ut illis non semel imponeret, præscriberetque *in ætate saniori, jam experientiâ edoctus, & noxis Peruviani Corticis observatis*. illud idem Febrifugum (quemadmodum se præscripsisse fassus est §. 8., & alibi) sub vano prætextu, quòd *recrearentur ipsimet Ægri, & vires resumerent;* cum tamen sciret, *ab hoc Remedio non fugari Febres, sed concentrari, tacitèque ab illis*, ut infra §. 27., *corpus humanum depasci* potiùs, quàm recreari?

F 2 *Adverte*

§. 25.

(a) ADverte *quæso* mi Nepos, ac diligenter observa, febres intermittentes post epotam Chinam Chinam nunquam ad veram, & perfectam apyrexiam pertingere, qualis contingit quando natura sponte per sudorem, aut alias vias accessionem discutit, nam in tertianis exquisitis in die intermissionis vera & absoluta ex pulsu observatur infebricitatio, non sic vero ubi assumpta fuerit China China, nam pulsus percipitur parvus, & cum aliqua frequentia, quod etiam *(b) à Doctissimo Etmullero* fuit annotatum, sic facile decipiuntur Medici qui putant febrem recessisse, quæ tacite cubat, ut ignis sub cinere doloso, sed optandum esset ut in apertam flammam erumperet, postquam æger ad aliquot dies silente febre roboris aliquantum reportasset, nam reditus febris *(c) remedii loco* esset.

(a) (*Adverte quæso &c.*) MUliercularum more a crassioribus tantùm indiciis carentiam Febris eram nuper metitus; sed Medico *Vena tangenda est*, ajebat Seneca. Venam itaque, seu potiùs pulsantem Arteriam attentè scrutatus Cl. Auctor, Nepotem monet, *ut diligenter advertat, Febres Intermittentes post epotam Chinam Chinam nunquam* (ne toto quidem Vitæ cursu?) *ad veram, & perfectam apyrexiam pertingere*. Hæc observatio respicit Rem, non Ratiocinia: quamobrem videtur turpe, contrectato pulsu, Medicos non convenire circa existentiam, aut carentiam Febris. Vadem tamen me pretio quolibet dare volo, nullum inter Obtrectatores Peruviani Corticis reperiri Medicum tam exquisito præditum tactu, ut ex pulsu (etsi frequens ille dicatur, ac parvus) valeat dignoscere Hominem hoc Febrifugo potiùs, quàm sponte, aut aliâ quavis viâ ex Febre Intermittente sanatum, si aliunde nesciat. *Isthæc* verè *apud Mulieres, & imperitam plebeculam locum habere possunt, non apud eos, qui* saltem digitis *sapiunt*. Haud tamen inficior, quòd si cuipiam Febricitanti diuturnis simul obstructionibus, aliisve similibus affectionibus detento, & diebus etiam a paroxysmo vacuis aliquam pulsus frequentiam de more habenti, offeratur Cortex, eadem ad aliquot dies perstare non possit pulsuum frequentia, quæ priùs aderat, ut illi perstaret, vel sponte, vel aliâ quavis arte sanato; verùm illam eandem frequentiam citiùs evanescere continuato usu Febrifugi,

quàm si aliter fuerit curatus Æger, non semel quoquè compertum habui. Cæterum si Febris ante assumptum Corticem perfectè intermittebat diebus a paroxysmo vacuis, quomodo sublato per Corticem paroxysmo, cæterisque in suo statu relictis, poterit ipsam occupare intermissionis diem Febris depulsa? Aliud sanè docet nos Praxis, aliudque docuit ipsum Cl. Auctorem. Si enim Febres ab assumptâ Chinâ Chinâ *non recessisse*, *nec verè fugatas esse* observasset ille in Ægris suis, *neque ad veram*, *& perfectam apyrexiam pertigisse*, *sed concentratas cubasse*, *& corpus tacitè depavisse*, ut in hoc Paragrapho videtur monere Nepotem, & in §. 27. alios Medicos; dubio procul non dixisset in Orat. Jatrici Argumenti, *Febres*, *quæ de Intermittentium familiâ sunt*, *exigui hujusce pulveris haustu etiam penitùs aboleri*: item eundem Peruvianum pulverem *Febres*, *saltem recurrentes*, *& intervallatas fugare*, *& exterminare*, ut qui verè datus est nobis *ad malè natam Febrium sobolem exterminandam &c.* quemadmodum in *Collatione* textuum lit. D., & E. F. G. potest facilè quilibet intueri.

(*b*) (*A Doctissimo Ettmullero &c.*) Ettmullerum, cujus auctoritate hìc liberaliter nimis abutitur Vir Cl., videbimus in responsione ad §. 35. dicentem, *Chinam Chinam esse Remedium egregium*, *feliciter* (nota illud *feliciter*) *curans tam Quartanas*, *quàm Tertianas Febres etiam duplicatas*, seque *verissimum arbitrari*, *hunc Corticem fugare* (nota quoquè istud *fugare*) *suo usu quasvis Intermittentes*; *nec has solùm &c.* An hæc cohærere possint aliis, prout jacent in hoc Paragrapho, per Virum Cl. adductis, judicet interim Lector, usquequo germana omnia Ettmulleri sensa, in citato §. 35. a nobis aperienda, & ad trutinam expendenda, clariùs intueatur.

(*c*) (*Remedii loco &c.*) Febrim aliquando remedii vicem supplere posse, in Morbis præsertim Herculeis, cujusmodi sunt Epilepsia, Apoplexia, & alii, nos docet Hippocrates, & experientia confirmat. Atque hisce casibus sicuti Febrium suppressio debet esse suspecta, ita potest esse optabilis illarum inopportunè depulsarum reditus, ut ipse in Tractatu meo pag. 161. historiâ 1. observavi: idque semper asseram, quotiescunque Febris habeat characterem *Depurativæ*. Dicam scilicet, illam per nullum Specificum Antifebrile, quod eandem valeat ejicere (quodque præter Chinam Chinam nullum est adhuc) posse fugari sinè metu aliquo erroris. Dixi *sinè metu*, aut *suspicione* erroris, aut damni, non *sinè certitudine*: plerumque enim, ut paulò superiùs annotavi, Febres quasdam Intermittentes mihi contigit observare, ab ignaris Empyricis hoc remedio absque ullâ indè ortâ noxâ fugatas, quas ipse in quibusdam saltem circumstantiis, præsertim temporis, eo tunc remedio non attigissem. Quamvis enim aliquid audaciæ subsit in hisce casibus; si tamen vivida sit Fluidorum crasis, motus eorum liber, moxque cribrationes, ac secretiones adamussim peragantur, sæpissime probè subigitur, aut expellitur Fermentum illud, quod minùs castigatè fuit in statu cruditatis absorptum. Etsi verò in hujusmodi tantùm suppressione audaculâ, & amethodicâ optandum fortasse nonnunquam sit, ut revertatur Febris; quando tamen methodicè illa depellitur, non est

cur eandem votis adeò ardentibus revocemus. Neque idcircò vidimus adhuc votivas Tabulas pro Febris reditu in Templis nostris appensas.

§. 26.

(a) N*Ovi olim* Nobilem Virginem in Monasterio S. Magdalenæ Mutinæ educatam, cui duplici tertiana spuria correptæ, & ad mensem integrum decumbenti, facta aliqua purgatione, aliisque solitis remediis, Peruvianum Febrifugum exhibere constitui, sed non sine alterius Medici consilio. Vocato itaque ad consultandum D. Antonio de Abbatibus, & exposita morbi historia, Chinam Chinam proposui, ut unicum remedium ad febris pertinaciam debellandam, seu aliquot dierum vaccationem à tam diris paroxismis obtinendam, at ille modeste tamen ac humaniter pro more suo professus est huic remedio se assentiri non posse, rationibus, & (b) *experimentis à se habitis*, ast ego tandem ab ipso obtinui, ut assensum præstaret, sed non ex animo, ut reor; propinata itaque Chinæ Chinæ potione ad aliquot dies, paroxismi obliterari visi sunt, sed Nobili ægrotante pejus se habente, in summum mœrorem, & anorexiam prolapsa, quare mihi in votis erat reditus febris ad priorem statum, sic ad menses integros decumbere in lecto coacta est, ut de illius salute non parum timeretur, è Monasterio tandem educta, & apud suos liberaliori vitæ comissa, longum post tempus convaluit.

(a) (*Novi olim &c.*) HIstoria hæc a quinque retro lustris nonnisi ob inopiam petita, imò & repetita, est illa eadem, quam in Constitutionibus Epidemicis Mutinensibus habet Auctor Cl. pag. 42. Edition. Mut., pag. verò 57. nuperæ Patav. Edit., etsi aliqua in narratione novissimâ hujusce Dissertationis observetur a prioribus diversitas. In Constitutionibus siquidem tam primæ, quàm secundæ impressionis dicitur oblata China China *in formâ boli, cum in Vino infusam Ægra respueret*: neque ibi fit ulla mentio de repetitione remedii; & quidem appositè ad ejus ævi praxim; tunc enim apud nos nondum erat in usu, Febrifugum istud ad plures dies

dies exhibere. In hac verò Diſſertatione aliter factum aſſeritur, *propinatâ* videlicet *ad aliquot dies Chinæ Chinæ potione*. In aliis quoquè variat naratio; imò & diſcrepat nonnihil, quæ in Mutinenſi editione Conſtitutionum Epidemicarum reperitur, ab eâ, quæ modo legitur in Patavinâ Editione ipſarum Conſtitutionum: in hac enim Domino quondam Antonio de Abbatibus Dignitas Archiatri Sereniſſimi Ducis Mutinæ, quæ viventi a Cl. Auctore in illis officiosè tributa fuerat hujus hiſtoriæ occaſione, adempta eſt, dum recuderentur, extincto. Sed hæc rem noſtram non ita immutant, quin ſtet propoſitum Viri Cl., quòd nempe poſt Chinæ Chinæ uſum Ægra illa pejùs habuerit, ſive ad longum, ut in Diſſertatione dicitur, ſive ad modicum tempus, ut in Conſtitutionibus Epidemicis. Aſt quomodocunque hæc fuerint, quomodocunque Febrifugum fuerit oblatum (certè tamen ſemel) qualiſcunque fuerit jam Ægræ ſtatus, qualiſcunque Febris illius, diuturnioris licèt, natura, & qualeſcunque Cauſæ peculiariter illam producentes, concomitantes, atque foventes, mihique Ægram licèt non inviſenti, magis fortaſſe notæ, quàm Cl. Auctori, hac in re (ſi liceret cuncta perſequi) non parum decepto: poſito nihilominus, quòd omni cautelâ circa ſingula hæc adhibitâ, fuerit Cortex parum feliciter propinatus, ſubſequente videlicet laborioſâ, difficili, ſerâque, ac diutinâ, ut hìc aſſeritur, convaleſcentiâ, non tamen morte, quid indè propterea? Nunquid deterior multò ſors Ægrotantis evaſit? Nunquid alia Remedia *ad menſem integrum* priùs adminiſtrata, inter quæ dubio procul *Febrifuga Veterum*, *cauſam Febris*, ut aſſerit Vir Cl., *ſenſim exantlantia*, profecerant plurimum? Nunquid ergo ſinè Cortice feliciùs convaluiſſet *a tam diris*, ut Auctor inquit, *paroxyſmis* eâ Conſtitutione, quâ (ut adnotat ille pag. 15. earundem Conſtitutionum Edit. Patav.) *nunquam viſæ contumaciores Febres, ad recidivandum magis pronæ, & quæ magis Medicorum induſtriam eluderent? ſiquidem* (ſequitur) *nec repetitæ phebotomiæ, nec purgationes, nec mille Alexipharmaca* (en hìc involuta Febrifuga Veterum) *quæ pleno gutture tanquam manus Deorum, Receptariorum Chorus adeò celebrat, quicquam profuere*. Adeò igitur mirum non eſt, in tam pervicaci Conſtitutione morboſâ repertam eſſe Adoleſcentulam, cui fortè uni opem cæteroqui conſuetam Cortex non tulerit, quando id nonnunquam, raró licèt, accidere, atque ob idipſum quoquè, raró me in benignis Intermittentibus, perſæpe *Depurativis*, Corticem eundem præſcribere conſueviſſe, apertis literis prodidi, allatoque ſimul Exemplo confirmavi in Therapeutice meâ a pag. 147. uſque ad 149. Verùm quid multis? Tutela Chinæ Chinæ ſemel a Viro Cl. improſperè, forſan & impropriè oblatæ, quid ad me?

(*b*) *Experimentis a ſe habitis &c.*) Ornamentum poſtremæ huic narrationi ſuperadditum eſſe crediderim, non quidem quòd Aulicus quondam Profeſſor iſte oblationi Peruviani Corticis nonnihil obſtiterit, ac *minimè ex animo aſſenſum ſuum præſtiterit*: etenim & ille, & reliqui ferè omnes Mutinenſes Medici, præſertim Seniores eorum temporum, uſui illius quammaximè reluctabantur, ut dixi jam in Thera-

peutice meâ pag. 4.; sed Mantissa quædam colorata est, quòd obstiterit non solùm rationibus, verùm & *experimentis a se habitis*: tantùm enim abest, ut ulla, sive fausta, sive infausta de hoc Febrifugo ille habuerit experimenta, ut certò sciam, ipsum, qui sympatheticas potiùs curationes in deliciis habebat, aliquando nugatoriam Febrium transplantationem in perterebratos Arborum Cortices tentare maluisse, quàm implantationem (liceat nonnunquam vocabula condere) hujusce Corticis in Corpus humanum.

§. 27.

(a) H*Ic nimirum* Medicorum est error, ut si Chinam Chinam in hunc solum finem præscribant, ut paucos à paroxismis dies liberos obtineant, *(b) interdum eludantur*, febre amplius non redeunte, sed tacite corpus depascente; non absimiles casus alias mihi contigere, ut me pœnituerit hoc remedio usum fuisse. Rem felicius cessisse annotavi quibus post aliquot paroxismos febris denuo caput erexit etiam ferocior, quàm quibus febris visa est prorsus extincta, & obliterata, seu parva subsecuta.

(*a*) (*Hìc nimirum &c.*) ÆGrè admodum cavere poterunt Medici ab errore, a quo nequivit ita cavere Vir Cl., quin illum ob id *pœnituerit*, *hoc remedio se usum fuisse*, ut subdit in contextu. Sed tunc fortè nondum advenerat tempestas, quâ maturescunt Ficus, ut *Ficu* febriferâ *Pharaonis* præscriptâ, de quâ §. 38., posset errorem corrigere, depulsamque Febrem iterum revocare. Cum itaque in Medici potestate non sit, præcipere Febri discessum eâ lege, ut postliminio brevì revertatur: neque *Ficubus Pharaonis* queat illam vel invitam cogere rursus ad reditum pro libito suo; non aliud agendum supererit, ne Febris ipsa *in apertam denuo flammam renuens erumpere*, *corpus tacitè depascatur*, nisi abstinere prorsus ab oblatione Febrifugi, etiam *ad impetrandas inducias*, & *ad virium reparationem*; quod cæteroqui faciendum docuit Cl. Auctor §. 8., & magis adhuc expresse docebit §. 48. absque ullâ formidine erroris. Atque ideo, vel præceptum Viri Cl. de Chinâ Chinâ exhibendâ *ad impetrandas aliquot dierum inducias*, & *ut recreetur æger*, *viresque resumat*, planè corruat necesse est, vel nullus sit *error* Medici id remedium in ejusmodi finem præscribentis, etiamsi febris vim sibi illatam in recessu indignata, votis eam reducem exoptantibus minimè auscultet.

(*b*) (*Interdum eludantur &c.*) Præscribant ergo Medici Chinam Chinam, repetantque opportunè in eum potiùs finem, ut, si fieri possit,

ſit, Ægros, non *ad tempus tantùm*, ſed *jugiter* a paroxyſmis liberos reddant: ſic enim *non eludentur a Febre ampliùs non redeunte*. Sed præſcribant *tempeſtivè*, reguliſque ac cautionibus debitis; itaut non uſurpent, niſi *Ubi*, *Quando*, & *Quomodo* decet, ut in Therapeu. meâ pag. 348., & alibi. Si ita ſe gerant, nunquam eos pœnitebit, ſe fuiſſe uſos tam ſtrenuo Febrifugo: pœnitebit potiùs poſt rem proſperè geſtam tam ſerò uti didiciſſe. Tunc & Ægri ſibi *rem feliciùs ceſſiſſe* dignoſcent, nec *tacitè ſe depaſtos* a Febre ſuſpicabuntur (quomodo enim ſe depaſtum ſuſpicabitur a febre qui, ut nuper fatebatur §. 25. ipſe Cl. Auctor, eâdem *Silente per Chinam Chinam febre reportat robur?*) non ſuſpicabuntur, inquam, ſe depaſtos a febre, ſed ſibi rem longè feliciùs ceſſiſſe dicent, ſi ea vel *non revertatur ampliùs*, vel ſaltem nonniſi *mitior*, *ac parva*, quàm ſi *ferocior caput extulerit*. In primo etenim caſu illam fuiſſe a Febrifugo opportunè mulctatam, ſenſu ipſo experientur; in altero minùs opportunè; abſque eo quòd alienum, & quidem ſatis paradoxum, de rebus ſuis judicium exquirant. Neque enim homini Chinâ Chinâ ſanato, qui jam, ipſo notante ut ſupra, Cl. Auctore, *roboris aliquantum reportet in dies*, opus eſſe crediderim conſulere Oracula, & trepidanter quærere, ſit ne ſibi melior continuata ſanitatis poſſeſſio, an relapſus in Morbum.

§. 28.

(a) D*ominus Auguſtus* Quirinus Rivinus Scriptor recens, in ſuo Libro Elegantiſſimo Medicarum Diſſertationum, Typis Lipſienſibus anno 1710. edito in Diſſertatione de Febribus Intermittentibus, eos ſugillat, qui poſtquam aliquo ſpecifico febrem propulſatam videant, ut illam amplius non eſſe redituram prædicent, ſibi plaudunt, & gaudent, ait enim *Medicos quoſdam gratulari, quando ægrotantes è charibdi in Scillam deduxerunt, ideſt febrem feliciter profligarunt, ægro interim vel contabeſcente, vel intumeſcente ab humoribus pravis, atque hydrope*, & paulo poſt mentione facta de Veterum Febrifugis, qualia ſunt Centaurium minus, Abſinthium, Carduus Benedictus, radix Gentianæ, & alia hujuſcemodi quorum uſum commendat, hæc ſubdit verba. *(b) Idem hoc de Cortice Peruviano Gannaperide, vel ut alias vocatur China China, cenſeo, ut pote qui præ cæteris amaris, aut Febrifugis revera nihil peculiare, aut tanta laude dignum præſtet. Certe ſive*

genui-

genuinum, sive adulteratum sit, quod venditur, ab ejus usu interdum quidem febrem aliquando delituisse, seu plerumque subsecutam pejorem recidivam, in aliis & frustraneam, & nocivam extitisse.

NIl minùs me terret ratione satis, & experientiâ munitum, sed me simul nil magis angit, quàm Auctoritate impugnari. In id nanque discriminis non semel adducor, ut Scriptoribus omni honore, ac existimatione cæteroqui dignissimis, ullo pacto hac in re nequeam subscribere: imò cogar, impellente me notâ nimiùm veritate rei, non modò contrariis aliorum illustrium Virorum adductis testimoniis eos refellere, verùm & iis memetipsum fidenter opponere omnium infimum, sed fortasse præ multis expertum. Puderet me sanè cum quoquam tantâ decertare fiduciâ, si de subtili quapiam doctrinâ lis ageretur; sed ubi disquiritur factum, quæ de illo sum millies expertus, ingenuè referre, & adversùs Opponentem quemlibet constanter sustinere haud erubesco. Ob id penès me nulla auctoritas in hac materiâ experimentali magni penditur, nisi ab Auctore illa proficiscatur, qui per quatuor saltem, vel quinque lustra hoc remedio liberaliter sit usus. Atque ob id ipsum in Tractatu meo inter tot Auctores huic Febrifugo usque ad excessum addictos, paucos selegi pro Antesignanis; eos nempe, qui longam, crebram, & rationalem de illo experientiam nacti fuerunt; relictis tot aliis, qui, quamvis miranda prædicent, forsan toto Praxeos illorum decursu vigesies Antifebrile istud non præscripsere. Quod de Auctoribus faventibus assero, multò magis assero de adversantibus; quos inter impossibile ferè crediderim numerari quemquam, qui pluries, ac pluries, ut opus esset, Febrifugum istud administraverit. Atque id duplici quidem de causâ: primò nempe, quia possibile verè non est, hujusmodi Pharmaco crebrò uti, & crebrò falli, saltem ut de noxâ possit meritò quis suspicari, nisi præter rationem prorsus utatur: secundò, quia credibile non est, quòd Vir honestus, ac probus, qui semel, bis, aut ter eodem usus, quacunque demum de causâ, quantunvis irrationabili, sed sibi apparenter verâ, umbram non levem suspicionis admiserit, audeat remedium sibi suspectum deinceps præscribere, atque, ut cæteroqui expediret hoc casu, ulteriùs experiri, suâ jam satis suspicione occupatus. Atque hæc præmisisse lubuit, ne posthac Lector nimiam mihi facilè imputet in rejiciendis oppositis auctoritatibus confidentiam; licèt hanc quoquè omni, quoad sinet veritas, modestiâ me ubique temperaturum pollicear.

(*a.*) (*D. Augustus &c.*) Jam verò objicitur mihi statim auctoritas D. Augusti Quirini Rivini, *Scriptoris*, spectatâ saltem Libri impressione, *recentis*; quæ quidem qualitas non parvi facienda in casu nostro. Etenim (ne vel hoc ipsum subticeam) Auctores ferè omnes, quantunvis famigeratissimi, qui ante annos plus minùs viginti quid sinistri, quidve suspecti de hoc Cortice sibi tunc haud satis noto scripsere; cùm scilicet nondum universalia, ut modò, peracta erant de

illo

illo experimenta felicia; mirum non est, si solo ducti conjecturarum suapte naturâ fallacium, & rariorum, incertorumve successuum lumine id egerint, suisque in Scriptis mistas identidem laudibus exceptiones, aut suspiciones quasdam protulerint, accuratiori Posterorum indagine discutiendas. Persæpe quoque absque ulteriori veritatis scrutinio *ad unius Cuculi cantum cecinere plures:* quo dein factum, ut etiam hodie remedium istud egregium damnent nonnulli tantummodo *in Fide Parentum*, aut ad modulum sui captus; cùm tamen, si eis invisendum detur, futurum sit fortasse, ut illud ægrè internoscant a Cassiâ, vel Cinnamomo. Ut igitur redeam ad recentem Scriptorem, cujus Librum, ob locorum distantiam, nondum est datum posse mihi tam facilè comparare, omisso illius priore Textu generali, qui nec de *Chinâ Chinâ*, vel alio *Specifico* Febrifugo quicquam loquitur, neque me (quoscunque sugillet) ullo pacto afficit, cum de qualibet præposterâ Febres pellendi methodo possit intelligi, sive id fiat per insigniter evacuantium, refrigerantium, aut humectantium abusum, sive per exuberantem sanguinis effusionem, sive aliâ quavis viâ minùs laudabili, omisso inquam hujusmodi Textu, quippe Corticem Peruvianum usque adhuc minimè improbante, ad alterum me converto magis specialem, usuique hujusce Febrifugi minùs faventem: siquidem misellus hic Textus, qui per omnes errans Grammaticæ Regulas undique claudicat (luxationem, ut reor, passus, dum dimotus e sede suâ) graviore insuper vitio aliquo non laboret.

(*b*) (*Idem hoc &c.*) In hoc Textu cum statim ambigat Scriptor ipse, *an adulteratus sit*, *an genuinus*, *qui Lipsiæ venditur Peruvianus Cortex*, omnino dicendum erit, ut mos eidam geratur, Corticem illum adulterinum esse, non quidem ob facilem Febrium recursum, quæ post assumptum etiam quandoque germanum Corticem solent recurrere, nisi diutiùs ille usurpetur, ac repetatur; imò etiam nonnunquam, rariùs licèt, quamvis & continuetur, & repetatur usus illius, ut fassus sum in ipso Tractatu meo: sed adulteratum suspicabor ex hoc solùm, quòd ille *præ cæteris*, ut inquit, *amaris*, *aut Febrifugis*, *qualia sunt*, *Radix Gentianæ*, *Centaurium minus*, *Absynthium*, *Carduus Benedictus &c. revera nihil peculiare*, *aut tantâ laude dignum præstet*. Hìc ergo cum non ausim, quasi Corchorus inter Olera, cum Professore Botanices, qualem agnosco D. Rivinum, de re Botanicâ disputare, quæram saltem, num tanti sit apud ipsum Rivinum Ramazzini auctoritas, quanti est apud Ramazzinum auctoritas Rivini. Si pari utrinque, ut reor, passu procedat res, dicam statim ex Cl. Ramazzini effato, ut in *Collatione* aliàs citatâ lit. B., Chinam Chinam, nedum vulgarium antifebrilium, cujusmodi sunt Gentiana, Absynthium, Centaurium &c., sed & *Alexipyretorum omnium*, *quotquot excogitavit Antiquitas*, *aut Chymicorum solertia conflavit*, *esse facilè Principem*. Cum verò hoc ipsum Judicium suum in præsenti Dissertatione retractare, aut revocare studeat idem, qui protulit Cl. Ramazzinus, appellare demum liceat ad supremum Tribunal universæ Reipublicæ Medicæ, instando enixè, declarari communibus Medicorum

Febri-

Febrifugum hoc expertorum suffragiis, an *sincerus*, & *genuinus* Peruvianus Cortex in sistendis, & statim, & semper, Febrium Intermittentium paroxysmis, præstet revera aliquid peculiare *præ cæteris amaris*, *aut Febrifugis* superiùs recensitis. Proh magna Europæorum Mercatorum cæcitas, qui ex Americâ Chinam Chinam ad nos asportant, cùm satius foret, Absynthium, & Centaurium nostrum ad Americanos devehere! Quòd si ad Posteritatis Tribunal Causæ hujusce-modi examen placeat prorogare, nullus dubito, quin decantatis Veterum Febrifugis cum Chinâ Chinâ collatis id sit eventurum, quod olim Cristis Gallinaceis in Pavonis Caudam velitantibus contigisse, falsè fabulatur Celius Calcagninus in suis Apologis. Cum enim illæ in *summo* capitis *fastigio* prominentes, Pavonis Caudæ insultarent, quòd *postremissimo loco* nata esset, scopæque instar terram verreret; *Respondebo his*, *inquit illa*, *quum vos pallidulæ*, *ac ætate exesæ*, *e militari cono me hostibus minitatem suspicietis*. Sed ad nos iterum.

Evincit quoquè, Chinam Chinam, quæ Lipsiæ venalis prostat, *sinceram* non esse (quod suspicatur & Langius Professor Lipsiensis) evincit, inquam, idipsum assertio altera ejusdem D. Rivini, nempe, a Peruviani Corticis usu *interdum* tantùm, & *aliquando Febrem delituisse: in aliis illum*, & *frustraneum*, & *nocuum extitisse*; bono enim, & *germano* assumpto Cortice, si depulsa Febris dicatur etiam solùm *delitescere*, id saltem non contingit *interdum*, sed *semper*; adeòque in hoc sensu nec evadit ille unquam *frustraneus*; dummodo Febris sit, vel Intermittens, vel de Intermittentium prosapiâ, quod omnino requiritur. De *noxâ* verò, quæ nonnisi ab usu præpostero, ut diximus, potest procedere, loqui ampliùs planè detrecto. Revera ut hæc omnia, quæ obtruduntur, queant subsistere, non aliud conjectare licebit, nisi quòd hic Scriptor loquatur promiscuè de Febribus omnibus, tam continuis, quàm Intermittentibus: quo solo casu plura ex dictis poterunt haud difficulter admitti. Nec forsitan emendicatam quis dixerit istiusmodi conjecturam; quandoquidem §. 35. hujusce Dissertationis ex Cl. Ramazzino habemus, absque eo quòd aliunde quæramus, in Actis Lipsiensibus improbari usum Chinæ Chinæ, in Constitutione quadam Uratislaviensi anno 1699. universaliter adhibitæ (& quidem perperam) ad *Febres Continuas populariter grassantes*. Forsan & illuc respicit hujusce Lipsiensis pariter Scriptoris observatio.

Cæterum cum adducta illius auctoritas, prout jacet, non congruat experientiæ meæ; neque id ego præsumam, ut mihi potiùs, quàm illi acquiescat quivis hoc remedium nunquam expertus Lector (expertos enim jam inter meos connumero) fas sit, omissis tot aliis, qui simul congesti efficiunt, ut *de hoc Remedio jam habeamus Pandectas*, recentem aliquem Auctorem Lipsiensem pro Conciliatore nostro seligere, cujus Scripta approbet, ac magni faciat ipse D. Rivinus. Sit iste celebris Christianus Johannes Langius; cujus Opera Medica omnia, duobus amplis voluminibus comprehensa, edita sunt Typis pariter Lipsiensibus anno 1704: *curante*, ut legitur in fronte illorum, eodem *D. Augusto Quirino Rivino Patholog.*, *atque Botanices P. P.*; ut nempe sui

conjun-

conjunctissimi Affinis (quemadmodum ipse ad Lectorem præfatur) labores, ac Scripta Cedro digna, & Orbi perutilia commendaret immortalitati. Cum ergo in his Langianis operibus reperiatur Part. 3. Volum. 2. pag. 361. *Disputatio* disertissima *De Chinæ Chinæ virtute febrifugâ*, in quâ quicquid ferme in eam usque diem a diversis Auctoribus tum in approbationem illius, tum etiam in contemptum prolatum fuerat, collectum, examinatum, & discussum visitur ad pag. usque 375.; idcircò ad id saltem me refero, quod in eâ Disputatione adversùs Obtrectatores Corticis adstruit Vir ille Celeberrimus: etsi fatear, omnia, quæ in eâ Lucubratione ab eodem Langio traduntur, etiam de favorabilium numero, mihi non semper probari, ut qui suspicor, haud completam sufficienter fuisse defectu temporis Viro illi Clarissimo, anno ætatis suæ 46. vitâ functo, hujusce Febrifugi elegantiorem praxim. Interim saltem, quod nobis præcipuum est, reponere liceat, illa eadem quatuor Amara Febrifuga, a D. Rivino Chinæ Chinæ, non quidem prælata (ut illa huic præfert Cl. Ramazzinus) sed tantùm æquiparata, & æquè commendata, nempe *Centaurium minus*, *Absynthium*, *Carduum Benedictum*, & *Gentianæ Radicem*, illa inquam eadem nominatim in citatâ Disputatione a Cl. Langio Chinæ Chinæ ita posthaberi, ut secundùm ipsum pag. 372. *His*, *aliisque*, ut inquit, *hujus generis pluribus Medicamentis Antifebrilibus*, *quæ ordine recensere nimis esset prolixum*, *extra controversiam præripiat palmam China nostra Chinæ*, *dubio sinè ex suâ singularissimâ texturâ &c.*

Tandem quoniam hisce Langianis Disputationibus D. Rivino *Placuit* (ipse sic Lectorem admonet) *in margine breviter annotare*, *quæ prolixiùs in contextu pertractantur*, *ut hoc feliciùs contenta evolventi*, *& vel obiter inspicienti appareant*, referam ipsius D. Rivini verba, pag. eâdem 372. Paragrapho 50. in margine apposita, quæ sic habent. *China Chinæ reliquis Antifebrilibus antefertur*. Antefertur equidem, fateor, a Langio; sed a Langio Practico egregio, Scriptore recenti, D. Rivini Discipulo, illiusque conjunctissimo Affini; atque idipsum patitur, & sponte studet exscribere, ac annotare sinè ullâ limitatione Præceptor ipse D. Rivinus, forsan ut quadam veluti approbatione fortuitò appositâ, propriis ipsius verbis lis hæc dirimatur. Quòd si denique ipsi D. Rivino Scriptori recenti recentissimum aliquem quis opponendum velit, is legat D. Bernardinum Zendrinum, qui in suo De Chinâ Chinâ Tractatu, Typis Venetis hoc ipso anno 1715. edito, sensa ubique profert sensibus D. D. Rivini, & Ramazzini apertè contraria (reliqua ejusdem Tractatus non est quòd persequar, aut perquiram curiosus) ne verbum quidem habens de hac Ramazzinianâ Dissertatione, paulò ante Patavii impressâ, & apud Venetos Bibliopolas publicè prostante: indicio manifesto, tam rationes Cl. Ramazzini, quàm auctoritates D. Rivini, & aliorum contra Chinam Chinam allatas, libero huic Scriptori nullum negotium facessere valuisse; sed exolevisse neglectas.

§. 29.

(a) U*Tilior forſan* eſſet Corticis Peruviani uſus in febribus intermittentibus malignis, ſi tales ab initio dignoſcerentur, obſervantur enim aliquando tertianæ febres vere intermittentes, ſed mali moris & pernicioſæ, *(b) de quibus Mercatus* peculiare Caput habet, quales febres Hippocrati non prorſus fuerunt ignotæ, in ſeptimo enim Epidemiorum hæc habet verba. *(c) Cholericæ affectiones magis in æſtate fiunt, & febres intermittentes, & quibus horrores accedunt, hæ quandoque malignæ fiunt.* In hujuſcemodi caſu *(d) ſi aliqua* pravitatis ſigna ſe prodant, quæ ut plurimum obſcura ſunt, & Medicos fallunt, non alienum erit hujus Febrifugi uſum pertentare, *periclitari enim oportet, cum morbus periculoſiſſimus eſt*, ajebat Hippocrates.

HActenus conatus eſt Cl. Auctor oſtendere, *amethodicum* eſſe, & *irrationalem* uſum Chinæ Chinæ, *ſuapte naturâ*, ut inquit, *doloſæ*, ac ſuſpectæ, tum univerſaliter loquendo, tum etiam peculiariter in Febribus Intermittentibus, nullam malignitatem præſeferentibus; in quibus, ut vidimus, non ad curationem omnimodam (quæ hoc remedio obtenta ipſo Judice noxia foret) ſed ad inducias ſolummodo aliquot dierum impetrandas, dummodo adſit certitudo de illarum reditu, nonnunquam permittit; doſi tamen ſatis exili, quippe non repetitâ, imò & in nonnullis tantùm, non omnibus uſurpandâ Ægrotantium generibus. Cuncta hæc ferè ex diametro opponuntur iis, quæ de innocuâ hujus Remedii ſubſtantiâ, uſu illius, & doſi, ad Febres Intermittentes *non malignas* abigendas, toto primo Libro Therapeutices meæ præmiſi; ut propterea idem primus Liber ſcopus unicus hucuſque fuerit caſtigationis a Cl. Auctore in anteactis tentatæ. Huic tamen labori ſuo forſitan peperciſſet, ſi primam, & alteram tantummodo paginam Libri ſecundi non renuiſſet evolvere; ubi apertiſſimis notis (quod a Lectore velim conſiderari) me nullatenus repugnantem polliceor cuilibet, qui in *benignis* Intermittentibus Peruviani Corticis operâ uti recuſet: cum eo Febrifugo ipſe quoquè in iiſdem Intermittentibus non admodum frequenter utar, quippe pro *Depurativis*, ſeu *Perfectivis* ſæpius a me habitis.

Enimvero etiamſi contendere velit Cl. Auctor, vel alius quiſpiam, ſolam effervefcentiam febrilem etiam periodicam, eſſe inſtrumentum

mentum *unicum* depurationis Fluidorum; atque hanc depurationem eſſe jugiter a Naturâ, pauco adminiculante remediorum apparatu, nobis expectandam, uſquequo ſaltem magnum non ſuperveniat, impendatque periculum: adeòque *nullum* unquam eſſe locum, hac ſemotâ conditione, oblationi cujuſvis *Specifici*, quod citò paroxyſmos ſiſtat abſque criſi valde copiosâ, & palam ſenſibili (cujuſmodi nullum adhuc præter Chinam Chinam repertum eſt) ego ſanè ita ſentientem nullo pacto refellere aggrediar, quantumvis forſan rigidè nimis ſentientem. Neque me ab hoc propoſito dimoveret quiſpiam alius, qui minimè innixus hujuſmodi ratiocinio, haud planè forſitan contemnendo, ſed quavis ineptâ, aut futili motus ratiunculâ, hoc ipſum tamen in re faciendum vellet. Etſi enim id rigorosè ſemper exigere in praxi, ſæpe non cedat in proximi utilitatem; neque tamen cedit in evidens, & graviſſimum damnum illius, ut contingit, quoties quis in periculo, & *certo*, & gravi, *certum* pariter hujuſce Febrifugi a Deo dati ſpernit auxilium. Cuilibet propterea, qui duræ adeò cervicis non ſit, ut in extremâ etiam anguſtiâ Remedium iſtud ablegandum judicet (iis videlicet in Febribus, iis in circumſtantiis, eâque Methodo adhibitâ, de quibus abundè in Tractatu meo) cuilibet inquam hæc, quæ putarim negari non poſſe, facilè admittenti, etſi in reliquis dein omnibus adverſanti, abſit, ut unquam ſuccenſeam, ut qui nullam hinc aſſertis meis, ſaltem potioribus, injuriam, nullumque grave (quod majoris momenti eſt) Praxi Medicæ damnum fateor inferri.

Sola itaque oppugnatio *Methodi* meæ in *Pernicioſis* a me deſcriptis evulgatæ, ſola inquam hæc, ſi fortè a Viro quopiam exiſtimatione digno (quod vix crediderim poſſe contingere) tentaretur, potis eſſet me commovere nonnihil; nullius tamen impugnatoris, utut Celebris, rationem haberem, niſi ſe profiteretur ſatis expertum: qui autem ritè expertum poterit ſe profiteri, rationem impugnatoris habere nequibit. Pro uſu verò qualicunque alio Peruviani Corticis in *vulgaribus* Intermittentibus, pro quarum curatione nil ferè ſpeciale prodidi, quod a pluribus ante me non fuerit annotatum; nec ea mihi propenſio eſt, nec illud otium, ut velim decertare, & Cauſam, quam cum tot Viris pari voto mecum ſentientibus habeo communem, mihi uni advocare. Atque ideo ſi intrà hoſce cancellos ſubſtitiſſet, ut hactenus ſubſtitit, Cl. Viri diſſenſus, omnes profectò illius, etſi alicubi valde peculiares, ac acerbiuſculas animadverſiones tuliſſem tacitus; verùm eas jam uſquequaque ad nimietatem exuberaſſe, in bonæ ſimul praxeos, & veritatis detrimentum; atque ita quidem, ut tantùm qui ſtertit non videat, paulò infrà clariùs patebit. Quod autem palam cœpit

Omnibus & Lippis notum, & Tonſoribus eſſe,

id certè a me citra quoddam dedecus ampliùs diſſimulari non poterat. Et porrò diſſimulare religioni mihi ducerem, cum publica potiùs res agatur, quàm mea; nec exinde minùs quàm exiſtimatio mea, periclitetur Reipublicæ utilitas. Jam verò his interjectis pro Lectorum pleniore notitiâ, Animadverſionum Cl. Auctoris, ſimulque Reſponſionum mearum filum reſumo.

(*a*) (*Uti-*

(*a*) (*Utilior forſan &c.*) In hoc Paragrapho Vir Cl. tertii præcipuè Libri Therapeutices meæ, quippe potioris, aſſerta quadantenus infirmare aggreſſus (id enim ex aſſe conficere haud ita planum) progreditur ad expendendum, quem locum in Tertianis Intermittentibus *Perniciofis* a Mercato deſcriptis, queat habere Peruvianus Cortex. Atque hìc, priori depoſitâ ſeveritate, duo admittit non exigui ponderis; unum quidem abſolutè, alterum conditionaliter tantùm. Quod abſolutè concedit, eſt, Febres Tertianas *malignas*, *& Perniciofas* a Mercato deſcriptas eſſe *verè Intermittentes*, itaut (quemadmodum ſubdit §. ſequenti) *ad perfectam apyrexiam deveniant*. Mirum autem viſum eſt mihi, quòd Cl. Auctor admittat, Febrem adeò ferocem, quæ heri hominem peſſimè exercuit, & cras eſt nedum reverſura, ſed & eundem ſtatim interemptura, hodie illum planè dimittat, *nec concentrata tacitè cubet*, *nec corpus illius tacitè depaſcatur*; cum omnia hæc mala contingant, neque *unquam ampliùs homo ad veram*, *& perfectam apyrexiam pertingat* ex Cl. Auctoris effato §. 25., & 27., quoties Tertiana Febris *benigna* curatur Peruviano Cortice, poſt duas tantùm hebdomadas forſitan reverſura, & facilè iterum receſſura. Alterum, quod conditione appoſitâ admittit pariter Vir Cl., eſt, Febrifugum iſtud utilius *forſan* (nec enim certò) eſſe poſſe *in Malignis Intermittentibus*, *ſi tales ab initio dignoſcerentur*. Addo ego, & *etiamſi tales ab initio non dignoſcerentur*, ſed Medicum fallerent; dummodo in illâ ipsâ acceſſione, quâ tandem dignoſcuntur, Æger non pereat, ſed in alteram acceſſionem prorogetur illius vita, utut frigidus, & arteriarum pulſu fere omnimodè deſtitutus, expirare videatur: in his enim quoquè circumſtantiis ille, ferè dixerim certò, Chinâ Chinâ ſecundùm Methodum meam oblatâ reſtituitur. Imò ſæpe etiam, etſi non tam certò, reſtitui poterit ſolâ uſurpatâ Mortoni Methodo, qui Febres haſce in extremum, quod modò diximus, diſcrimen hominem adducentes, graphicè deſcribit, & Chinâ Chinâ non raro feliciter curat, ut videre eſt, tum apud ipſum, tum Lib 2. Tractatus mei pag. 247., ubi Caput peculiare iſtius Auctoris recuſum viſitur, & Scholiis meis additis etiam ulteriùs dilucidatum. Quod ejus Methodo in uſum ductâ poteſt *ſæpe* contingere; meâ ſimiliter adhibitâ ſolet contingere *ſemper*, aut ferè *ſemper*. Experiantur ter ſaltem, aut quater increduli, dummodo ingenui; meque tunc, ſi tanta illos teneat fiducia, mendacii redarguant. Quòd ſi eas *ab initio* per ſua ſigna, perque ſuos peculiares characteres *dignoſcendas* velit Cl. Auctor, ut curationi ſuſcipiendæ fiant opportuniores; id ex profeſſo me per extenſum ſcio tentaſſe haud oſcitanter, forſan & integrè præſtitiſſe, Cap. primo Libri 3., Mercato præſertim, & Mortono præeuntibus.

(*b*) (*De quibus Mercatus &c.*) Mercatus itaque non *unum peculiare Caput habet* de hujuſmodi Febribus, ſed *multiplex*; illiuſque Tractatulus de hac materiâ verè aureus eſt, ac utiliſſimus, etſi non admodum comptus: adeòque plurimis philologico ornatu luxuriantibus longè anteferendus. Primus ille fuit, qui ferociſſimas haſce Febres obſervarit; exactiſſimè ſecundùm varias illarum ſpecies deſcripſerit, ac

pro more

pro more ſuorum temporum peculiariter curare docuerit. Et tamen incurioſa Poſteritas nullum indè traxit emolumentum; adeòut major Scriptoribus omnibus fuerit ſolicitudo ſcribendi quodammodo ad pompam, ne dicam ad Lectoris ſtomachum, de *benignâ* Intermittente Tertianâ, quæ neminem, quouſque talis manet, tollit de medio, quàm veſtigiis Mercati inhærendo, quidquam ſcribendi de *Pernicioſâ*, & ex ſe ferè ſemper lethali. Excipe Lector Mortonum, qui de Mercati Scriptis, ut licet conjicere, minimè conſcius, propriâ nihilominus obſervatione eaſdem Febres (minùs dilucidè quidem) expoſuit; quodque laudandum magis, feliciter curare docuit Peruviano Còrtice, rebus etiam in præceps lapſis, liberaliter oblato. Utriuſque Auctoris ſcripta circa hanc màteriam habes recuſa in Therapeutice meâ Speciali, Scholiiſque meis haud planè forſan inutilibus adaucta: quæ ſimul omnia ſecundum Librum conſtituunt ejuſdem Operis, ut nuper innui.

(*c*) (*Cholericæ affectiones &c.*) Textus hic Hippocratis a Cl. Ramazzino allatus quaſi quid peregrinum, ille idem eſt, quem primò obſervavit Mercatus, biſque de eodem meminit, Valleſii ſimul expoſitionem indigitans. Ego & Textum a Mercato citatum, a Cl. verò Ramazzino nunc recitatum, & ipſam Valleſii expoſitionem in Scholiis adduxi. Cuncta videſis apud me, primò pag. 196., ſecundò pag. 213., tertiò pag. 218. & 219. Sed hæc forſan, utut repetita, debiliorem Viri Cl. obtutum ſubterfugêre.

(*d*) (*Si aliqua &c.*) Tandem fatetur Cl. Auctor, in hiſce Febribus, *ſi aliqua pravitatis ſigna ſe prodant*, *quæ utplurimùm obſcura ſunt*, *& Medicos fallunt*, *non alienum eſſe* (rectiùs dixiſſet, neceſſarium eſſe) *hujus Febrifugi uſum pertentare*. Hæc una confeſſio mihi ſufficeret, niſi ea ſtatim infirmaretur ab exemplis per eum allatis; quodque pejus eſt, commentitiis. Sed de his quàm mox. *Non alienum* itaque putat ille uti Chinâ Chinâ in Intermittentibus Pernicioſis, *ſi aliqua pravitatis ſigna ſe prodant*: cum verò iſtiuſmodi ſigna, ut inquit, *obſcura ſint*, *& Medicos fallant*, Theſis vix ſtatuta ſtatim vacillat. Saltem (fidenter ſubdam) obſcura non erunt ſigna pravitatis, cùm Æger in anguſtiis ſupra recenſitis conſtitutus, non ſinè maximâ difficultate febrilem paroxyſmum incipit vix vivus tranſigere. In hujuſcemodi caſu, ni priùs dignota ſit Pernicioſa Intermittens, offeratur a curante Medico Peruvianus Cortex; ſed, bonâ veniâ Cl. Auctoris, non ad drachmam *unam*, vel *duas* (neque tamen *ad uncias*, *& uncias*) exhibeatur: eâ ſiquidem puſillâ doſi præſcriptus, nec citò dein, ac pluries, ſaltem ad Mortoni, vel Sydenhamii mentem repetitus, id aget ſolummodo, ut Vir Cl. poſſit jure, ac verè teſtari, quod nonniſi declamando teſtatur Paragrapho ſequenti; *paucos* nempe *qui evaſerint*, *ſibi fuiſſe obſervatos*. Secùs verò fiet, ſi exhibeatur idem Cortex Methodo validiore, ſed congruâ, & rationali, qualem in Therapeutice meâ docui Cap. 3. Lib. 3., felicemque jugiter perplurimis Exemplis oſtendi.

§. 30.

MEmini me vidiſſe Mutinæ variis temporibus Conſtitutiones quaſdam tertianarum febrium intermittentium, ſed malignarum, quæ tertia quaque die ſuas habebant acceſſiones cum rigore & horrore, & more ſolito per ſudorem fiebat ſolutio, ut ad perfectam apyrexiam devenirent, ſed quarta, aut quinta acceſſio tanto rigore invadebat, ut ægri non amplius incaleſcerent, concentrato pulſu, ac toto corpore perfrigerato, nec multo poſt interierint. In tam gravi, ac ſubita tempeſtate Medici tanquam è gravi ſomno exciti, cum antea ſuper utramque aurem, ut dici ſolet, obdormirent nil tale expectantes in febribus, quæ cum frigore, & rigore accederent, abſoluta infebricitatione poſtmodum ſubſequente, tumultuarie ad ſacram anchoram Chinæ Chinæ ad uncias in vino infuſæ confugiebant, ſed incaſſum, paucos enim evaſiſſe obſervavi.

(*Memini &c.*) MEmini & ego quod meminit Vir Cl., varias ſcilicet Mutinæ contigiſſe Conſtitutiones Pernicioſarum Intermittentium, quæ non eâ ſolùm, quâ narrat viâ, ſed valde multiplici, in Tractatu meo ordinatim expoſitâ, Ægrotantes non paucos *ante repertam Methodum meam* (id namque addere neceſſe eſt) *Peruviano Cortice penitùs intentato*, trahebant repentè, ac inopinatò ad interitum. Sed ſimul memini, debuiſſetque & ille meminiſſe teſtis de viſu, plurimos alios ejuſdem generis Ægrotos, ne dicam omnes, eâdem Methodo curatos, ocyſſimè pariter, ac inopinatò *evaſiſſe*. Saltem quot vidit ille Pernicioſis hujuſmodi Febribus laborantes, quibus ego meam Methodum adhibuerim, tot vidit repentè reſtitutos; pereuntem verò neminem. Et ſiquidem ullus ſinceræ Inductioni locus concedatur, nonne vidit ille me duodeviginti abhinc annis, cùm mihi graviter decumbenti tam humaniter adſtitit (medicas enim manus nobis invicem pro re natâ præbebamus adjutrices) nonne inquam vidit, poſt latam a memetipſo, atque ab eo citra diſſimulationem admiſſam de imminente meâ morte ſententiam, epoto, doſi quidem maximâ, unoque hauſtu, ad ſex videlicet uſque Drachmas Peruviano Cortice, omiſsâ poſtmodum conſultò repetitione Remedii, ab Orci faucibus illicò ereptum, ut fusè in Therapeutice meâ pag. 424.? atque ita quidem ereptum, ut ab eo tempore (ſuperato videlicet novo Febris

inſultu

insultu, quem tunc præcavere non libuit) firmiorem ac antea in hanc usque diem traxerim valetudinem? Nonne pariter alios Ægrotos inspexit hujusce ordinis, quandoque etiam mihi socius in curatione, eodem remedio statim sanatos, nec ullo ampliùs morbo tentatos? Hujusmodi sortem faustissimam experti sunt, tum Æger ibidem a me descriptus pag. 181., anno videlicet 1695. usu Corticis Peruviani, Viro Cl. tunc facilè consentiente, curatus; tum alter eodem remedio, me præscribente, ipso verò desperante, restitutus anno 1707., de quo pag. 562., & adhuc vegetus, etsi jam senex: ut plures omittam, de quorum Ægritudine, & curâ omnimodam pariter certitudinem habuit, quamvis ad eos invisendos verè non accesserit. Ast hæc narrantur, & narrata sunt a me; fortasè verò non admitterentur (inquiet aliquis) a Cl. Ramazzino, si respondere potis esset. Scripta sunt a me (subdam) & a Viro Cl. lecta, nec tamen negata; licèt omnem lapidem moverit ille, ut asserta sua exemplis quibuscunque, ac undecunque conquisitis, imò etiam interdum minùs germanis, fulciret; mea verò enervaret. Usque tamen libet eundem audire, hæc ante biennium, anno scilicet 1712., de Chinâ Chinâ locutum in Dissertatione *De Contagiosâ Epidemiâ, quæ in Boves irrepsit* pag. 37., ut retuli in *Collatione* Textuum illius lit. H. *Equidem hoc præsidii genus in Febribus periodicis miranda præstat, ac præsertim in Tertianis Intermittentibus malignis, quæ in ipso impetu accessionis ægros interdum necant &c.: hoc enim Febrifugum fermentum illud malignum sive penitùs restinguit, sive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne Æger in ipso Febris accessu intereat.*

Hìc ergo quæro: Si Cortex Peruvianus *in Malignis Intermittentibus*, ipso Judice, *miranda præstat; si Fermentum illud malignum, vel penitùs restinguit, vel plurimùm saltem enervat;* tandemque *si periculum illud tollit, ne Æger in ipso Febris accessu intereat*, cur tot additis limitationibus, cur tantâ incertitudine, ac nutatione, verboque *forsan* interjecto, protulit §. antecedenti, *Peruvianum Corticem in iisdem Malignis Intermittentibus esse posse forsan utilem, si tales ab initio dignoscerentur?* item, *non alienum esse, usum illius pertentare, si malignitatis signa se prodant, quæ tamen obscura sunt, & Medicos fallunt &c.?* Rursus si verè, ac absolutè ille utilis est in hujusmodi casibus, & incunctanter usurpandus, eo quòd in *Malignis Febribus, præsertim Tertianis verè miranda præstet*, ut ante biennium asseruit; ubinam gentium quæso, ubinam terrarum miranda hæc observavit, aut commodiùs observare potuit ille, quàm Mutinæ; imò etiam, ausim dicere, quàm me præscribente? Si verò Mutinæ, ea miranda vidit, quæ prædicat, ubi verè vidisse certum est ex antedictis, quâ animi fiduciâ nunc jactat, Mutinenses Medicos pro curandis hujusmodi Febribus *tumultuariè ad Sacram Anchoram Chinæ Chinæ incassum confugisse, ac perpaucos evasisse sibi observatum?* Habet profectò quid admirabile hæc inconstantia, eòque admirabilior ea est, quò brevioribus distincta temporum intervallis. Etenim Textus nuper citatus, ingenuus planè, ac etiam ultroneus, vix quatuor mensibus præcessit ortu Therapeuticen meam; eâ verò vix in lucem editâ, statim conceptum suum sortita est

tita eſt, ortaque nuper hæc Viri Cl. Diſſertatio, Auctori æquè ſuo infenſa, ac Operi meo.

§. 31.

SUccurit nunc mihi funeſtus caſus Domini Franciſci Guidoni, qui ex hujuſmodi febre miſere opetiit; laborabat Vir iſte Nobilis Media æſtate tertiana febre, quæ exquiſitæ ſpeciem referebat, ut altera die prorſus apyretos eſſet, & è lecto ſi vellet poſſet exurgere, die quinta h. e. quinto circuitu acceſſit febris tanto rigore, & frigore una cum mentis ſtupore, pulſu exili ut vix perciperetur, unde Medicus ad viſitationem pro more accedens, ad ægri adſpectum attonitus inſtitit me non procul abitantem ſubito pro Conſultatione acciri, in qua Vir ille cœteroqui doctus ingenue confeſſus eſt ſe deceptum à febre, quæ tertianæ exquiſitæ morem, & leges omnino ſervabat, nullo ſe prodente pravitatis ſigno. Propoſuit ille Peruvianum Febrifugum more ſuo propinandum, annui ego memor dicti illius, quod habet Celſus, *in præcipiti periculo multa recte fieri alias omittenda*, ſed altera die aphonus, & gelidus æger mortuus eſt.

HUcuſque tribus, vel quatuor Caſibus a tempore valde diutino emendicatis, inter tot, quos ipſe referre ſe poſſe identidem obtrudebat, parum profecit, nihilque probavit Cl. Auctor. Et quotieſcunque etiam ii pleno robore conſtitiſſent, nec potuiſſent rejici a me eâ facilitate, quâ ſunt rejecti, ut exempla probationis invalidæ; quid quæſo a Viro Cl. probatum foret, ubi agebatur de uſu Peruviani Corticis in Intermittentibus tantùm diuturnis, & cæteroqui *benignis*, cujuſmodi curationum feliciſſimarum ipſe pluſquam quingenta, ſi omnium memor eſſem, tribus illis, aut quatuor ab eo recenſitis opponere poſſem exempla? Forſitan modò, ubi agitur de re valde gravi, videlicet de oblatione ejuſdem remedii in Febribus Intermittentibus quidem, ſed *Pernicioſis*, atque lethalibus, fortioribus exemplis utetur, nec ullam exceptionem admiſſuris; ut nempe Quartum Librum meæ Therapeutices impugnaturus, Hiſtorias in eo contentas, quippe felices, funeſtis ab ipſo mox afferendis infirmet.

(*Succurrit &c.*) Jamque memetipſum armis meis confodere aggreditur, unius ex meis Ægris Pernicioſâ Tertianâ confecti caſum opponens,

nens, ipſe paulò ante mortem ejuſdem Ægrotantis in conſilium accitus. Sed hæc quoquè narratio variat in pluribus; & primò in circumſtantiâ gravi, quæ vel ipſa dirimit Matrimonia: adeſt quippe *error perſonæ*. Non enim *D. Franciſcus* Guidonius, qui multò ante objerat Apoplecticus, neque a me fuit unquam curatus; ſed D. *Antonius* Franciſci, & Opizonis frater fuit, quem Perniciosa illa Febris ſuſtulit; ille verò Medicus ego fui (atque hinc dignoſcat quilibet, an Cenſoria virgula Viri Cl. me peculiariter petat, & an ictum, auras licèt, non me ſugillantem, queam diſſimulare) ille inquam ego fui, qui me deceptum faſſus ſum a tam celeri prolapſu in illud exitium, quod tardiuſculè forſitan, & lentiùs eventurum a longè fueram ſuſpicatus. Neque enim adeò deceptus fui, quin futurum mentis ſtuporem tempeſtivè prænoſcens, priuſquam ſcilicet Æger in præceps rueret, curarim, ut ille rebus ſuis, animæque conſuleret: cujus rei ſolicitudo me impulit, ut D. Marco Antonio Origono Sacerdoti, Ægrotantis familiari, viventi adhuc, & memori, negotium anxiè committerem (quod ille egregiè præſtitit) quoniam Uxorem de imminente periculo haud rebar ſatis adhuc perſuaſam. Cœterum nec morbi ſeries, qualis a Cl. Viro deſcribitur, nec alia minutiora mihi uni nota, non illi, qui cuncta habuit ex relatu meo, & quorum facilè poſtmodum erit oblitus, cum re ipsâ concordant. Utcunque tamen hæc fuerint, certum eſt, Virum illum Nobilem ex Perniciosâ Febre, primò Intermittente, mox Subcontinuâ, & repentè ſoporosâ (quo caſu quis forſan alius, ſubortam ex improviſo Apoplexiam, vel vafrè, vel ſtolidè pronunciaſſet) præcipiti lapſu occubuiſſe. Me veſperi faſſum eſſe Cl. Ramazzino, qui poſt adminiſtrata ob prævisum opportunè periculum Sacramenta Eccleſiæ fuit in conſilium vocatus, deceptum memetipſum a motu morbi, ſupra ſuſpicionem quoquè meam matutinam citiore, verum eſt: ultròque fateor, me aliàs etiam magis deceptum, inſcio licèt Viro Cl.; ac ſi diutiùs vivam, magis adhuc forſan decipiendum. In hoc tamen uno me tum deceptum ſum faſſus, quòd tempus adhuc mihi ſufficiens pro Chinâ Chinâ venturis acceſſibus exhibendâ futurum eſſe antea conjectaram; cum tamen ob excidium immodicè præceps ampliùs ea nequiret adminiſtrari. Hoc ergo ſolùm nomine, quòd nullus ei locus eſſet, de Peruviano Cortice mentionem habui. Oblatum verò fuiſſe huic Ægrotanti, aut propoſitum a me Remedium hujuſmodi, ut fidenter aſſerit, brevique verborum ambitu affabrè circumſcribit Cl. Auctor, ſummâ dixerim illius etiam non viventis pace, ne per ſomnium quidem conſonat veritati. De aſſertorum meorum honeſtate, nec ipſi, ſi quos novi, Obtrectatores mei ſolent ſuſpicari. Proſtant nihilominus apud Pharmacopolam *Hortenſium Candrinum*, Virum probum, honeſtumque Schedulæ meæ, Adverſaria propria, & Codices fideles, ac integerrimi, lituram non admittentes, unde cuicunque lubeat, vel curæ ſit, facilè datum eſt certiorari. Ibi cuncta cernuntur, quæ uſui fuere, & inter cætera a Cl. Viro propoſita, mihique ſtatim probata, Ceratum Veſſicatorium, & Lapis Bezoarticus, quem forſan Celeberrimum imitatus Sanctorium, *in fide Parentum* propoſuit.

Hallucinationem tam masculam, quòd nempe obtrudat ille pro oblato minimè oblatum hoc casu, imò neque propositum Peruvianum Corticem, absit ut exprobrem Cl. Auctori, piè quippe quiescenti, deque his omnibus sibi nunc vanis forsan ridenti; in cujus obsequium lapsam fortè longâ die memoriam tantùm culpabo. Id unum innuam Lectori; obstupuisse me non parum, cum primò hæc legissem, miratus nempe quomodo Vir circumspectus, ubi de Facto agitur, hujusmodi commentitia *tam fidenter*, *tam animosè* scripserit, *ut illi non sudarint præcordia* (quemadmodum loqui consuevit ille §. 11.) *ob metum de improspero eventu*: improsper namque illi eventus est, se fuisse isthæc narrando deceptum, vel eum videri, cui fuerit animus alios fortasse decipere. *Atque hæc Corinthiis audientibus, & satis scientibus recitat?* ajebat olim Lucianus de quodam Historico nugatore, apud Corinthios se vidisse jactante, quæ illum neutiquam vidisse ipsimet norant Corinthii.

Obiit itaque Vir ille Nobilis, Peruviano Cortice ne proposito quidem planè jejunus; quandoquidem præceps illius lapsus, in Subcontinuis cæteroqui Febribus, cujusmodi hæc evaserat, haud ita repentè fieri solitus, contigit præter ordinem quoquè; inclinante videlicet die minoris afflictionis: erat enim ea Febris Tertiana duplex, ab initio tamen penitùs intermittens. Cum verò paucis horis distaret potior, & planè lethalis accessio; jamque patenter incœptum esset præcox præter morem exitium, lethalia prorsus de more paulò post incrementa suscepturum, ab exhibendo incassum, imò & proponendo Febrifugo abstinendum duxi, *ne quem servare* illud *non poterat*, *occidisse videretur*. Scilicet Virum jam conclamatum, & postridie, ut patefecit eventus, moriturum, postridie quoquè ab epoto minimè cruciante Peruviano Cortice (si fortè fuisset exhibitus) occubuisse, fuisset certè, ut infra §. 48., *amaris Chinæ Chinæ potionibus miserum Ægrum conficere*: interiisse verò deglutito Lapide Bezoartico, & Vessicantibus Emplastris inaniter divexatum, fuit, illum pro viribus Artis dubio procul reficere. Sicuti ergo perperam culpatur hoc casu non assumptus, neque præscriptus Cortex; ita perperam culparetur, si morituro fuisset incassum exhibitus. Revera nonne quotquot obeunt, obeant necesse est non multò post assumptum, vel cibum, vel potum, vel cardiacum medicamentum, vel quid aliud æquè innocuum, nisi ex inediâ deficiant? Nonne pariter identidem postridie ab epoto solvente, aut leniente Medicamento pereunt Ægroti, quos tamen non Leniens illud pro innoxio habitum, sed Fatum eorum dicitur sustulisse? Exempla sanè hujusmodi, inculpato nihilominus Remedio simul ac Medico, haud infrequenter occurrunt in praxi. Unum liceat hìc referre, non quidem ut defunctum Antagonistam retaliem, ac quodammodo vicissim criminer, sed ut inopinata quandoque artis infortunia haud intempestivè commemorem; unum, inquam, liceat referre de Viro Nobili, *dum casus, qui in gente vulgari contingunt*, ut ajebat §. 20. Cl. Auctor, *sinè rumore terra obtegit*. Nimirum *ita res accendunt lumina rebus*: quemadmodum enim sub initia hujusce Paragraphi *succurrebat* in rem

suam

ſuam eidem Cl. Auctori *funeſtus caſus D. Antonii Guidonii*, Franciſci nomine inconſultè appellati, ita in rem meam

Succurrit nunc mihi, & quidem ſuccurrit certâ reminiſcentiâ (multòque magis hujuſce eventus deberet meminiſſe, ſi viveret, idem Cl. Auctor) *funeſtus caſus D. Honorii Baroccii, qui ex hujuſmodi infortunio miſerè oppetiit. Laboraverat Vir iſte Nobilis* levioribus quibuſdam, ſed diuturnis Febribus, a quibus jam ferme convaluerat, vel ſaltem adeò leviter affici videbatur, *ut jam e lecto exurgeret, poſſetque, ſi vellet, etiam e cubiculo egredi.* Uſque tamen obſtinatâ alvi ſtipticitate premebatur; pro quâ ſolicitandâ Medicus illi præſcripſit ſex tantùm drachmas Electuarii Lenitivi. Eo remedio aſſumpto, Æger ſuperpurgationem paſſus, in deliquia ſubinde incidit, Febremque intenſiſſimam *unà cum pulſu exili, ut vix perciperetur; unde Medicus ad viſitationem pro more accedens, ad Ægri adſpectum attonitus, inſtitit, me non procul habitantem ſubitò pro Conſultatione acciri; in quâ Vir ille cæteroqui doctiſſimus ingenuè confeſſus eſt, ſe deceptum* a Remedio tam blando, tamque parcâ doſi exhibito in morbo tam levi, *ubi nulla unquam ſe prodidere infauſti ominis ſigna;* ſed vix Febricula quædam mitior ſuperſtes remanſerat, actiones tamen minimùm lædens. Irrita fuere nihilominus quævis in eo præcipiti periculo licuit experiri Artis auxilia: *Alterâ enim die aphonus, & gelidus Æger mortuus eſt.*

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus. Juven. Sat. 2.

§. 32.

(*a*) EOdem *fato* obiit D. Comes Fortunatus Corteſius, D. Joannes Altimanus, & complures alii eodem pene tempore, perpaucos enim ab hujuſmodi febre correptos evaſiſſe vidi. *(b) Credo equidem*, quod ſi attentius haſce febres, quæ æſtate potiſſimum aliquando caput exerunt, obſervarent Medici, credo inquam quod ſigna quædam pravitatis deprehenderint; magnarum enim calamitatum parva ſolent eſſe ab initio ſigna, ut in morbis peſtilentibus evenit. *Sæpe exiguus mus augurium tibi triſte dabit*, ajebat Doctiſſimus Fracaſtorius de Contagione.

(*a*) (*Eodem Fato &c.*) EOdem verè Fato obiit; Chinâ Chinâ videlicet nec aſſumptâ, nec ei præſcriptâ, D. Joannes Altimanus, ut habetur ex Conſanguineis, ex Pharmacopolâ, & ex ipſo curante Medico ordinario, nempe D. Riccio: neque enim caſus iſte, ut nec ſubſequens quicquam ad me; quod quis crederet, oppoſitum indicante prævio contextu? Aſſerit is, qui verè adſtitit, Febrem fuiſſe ab initio Intermittentem, mox in Mali-

gnam degeneraſſe; cui tamen curandæ, nec ipſe, nec D. Ramazzinus ſuperaccitus opportunum unquam putaſſent Peruvianum Corticem: tantùm abeſt, ut vel propoſitus ille fuerit, vel in uſum ductus. Ita ille: cujus effatum quò ad non oblatam Chinam Chinam nequit in dubium revocari, cæteris etiam adminiculantibus; quò verò ad carentiam opportunitatis illam exhibendi, ſtandum erit amborum placitis, cum non aliter deceat.

D. autem *Marchio* (non *Comes*, ut habet Cl. Auctor) Fortunatus Corteſius in quadam Ægritudine verè fuit olim curatus (ne quicquam reticeam) & a Cl. Ramazzino Medico illius ordinario, & a me ſimul in conſilium vocato. Evaſit tamen ille tunc a diuturnioribus Febribus; puto etiam ope Chinæ Chinæ; ſed non ſatis memini, ut aſſeram. In ultimâ verò Ægritudine, cui compendiariò ſuccubuit, ſolus illi adſtitit Vir Cl.: proinde quibus pharmacis (dicam & ipſe verbis illius ex §. 34. petitis) Æger iſte *fuerit potionatus in poſtremâ Ægritudine, omnino mihi ignotum*. Hæredes Defuncti, conſuetuſque illius Pharmacopola Joſeph Sallarolus cenſent, nullum, aut fere nullum (nullis videlicet hac de re extantibus monumentis) breviſſimo illius morbi tempore præſcriptum fuiſſe remedium: nullam propterea exegit idem Pharmacopola, nullam Hæredes ſolverunt expenſam. Certè Corticem Peruvianum minimè uſurpatum fuiſſe, aſſerit hoc quoquè caſu idem D. Riccius, qui & hunc Ægrum peſſimè habentem inviſit, cùm fortè Mulierem quandam de Nobilis ejuſdem Viri famulitio tunc Ægrotantem curans, ad eum quoquè officii causâ non ſemel acceſſiſſet. Chirurgus pariter Andreas Taſſonus, qui pro ſuo quoquè munere eidem adſtitit, de ſolis Veſſicantibus paratis, ſed ob præcocem illius obitum nequaquam appoſitis, memorem ſe perhibet, de Cortice nil conſcius. Quòd ſi nihilominus, omnibus inſciis, Chinam Chinam ſe exhibuiſſe contendat Cl. Auctor; cum Methodus illius non tranſcendat drachmas duas; hæ autem in præcipiti periculo nequeant ſufficere; habet hinc potiùs unde eum pœniteat ſuæ Methodi, puſillæque, ac invalidæ ſuæ doſis, quàm unde aliis exprobret abuſus nomine uſum liberalioris, virilemve adeò fidenter traducat Methodum, quâ nullatenus uſus eſt; quâ verò uti neceſſe eſt hiſce caſibus, ut Cortex proſit. Quamobrem quâ ratione inferret ille, noxium, vel fruſtraneum ſaltem ſuiſſe funeſtis hujuſmodi caſibus ipſum Peruvianum Corticem, ſi verè fuiſſet oblatus; eâdem ratione ſaltem, forſan & potiore, mihi modò liceret inferre, funeſtos probabiliter illos extitiſſe, eò quia non fuit oblatus, vel non oblatus ſaltem Methodo meâ.

Expectaſſem proinde potiùs, ut retuliſſet hoc loco, ubi proprios luctus alienis intermiſcere non renuit, Caſum antiquiorem, quem ſibi olim contigiſſe, centies mihi narravit Cl. Auctor de quodam Laico Oblato ex Cœnobio Canonicorum Regularium Rhenanorum, quos vulgò S. Salvatoris; Mutinæ verò, ab Eccleſiâ deſumpto nomine, S. Hieronymi appellant. Hic ergo cum Quartanâ Febre ab aliquot menſibus detineretur, adeòque jam valde debilis, ut & valde ſenex exiſteret, atque ex Cattarrho intrà bronchia deliteſcente aſſiduè ſub-

ſtertens;

ſtertens; Cl. autem Ramazzinus invadente acceſſione (cui a nonnullis jam diebus non ut antea præibat ampliùs omnimoda apyrexia) duas, pro more illius temporis, Corticis drachmas illi exhibuiſſet, *ad impetrandas*, ut puto, *aliquot dierum inducias*, eâ ipsâ acceſſione deceſſit e vivis: quo pacto recedente febre, verè *optandum eſſet, ut ea rediret*. Hunc inquam caſum potiùs, quàm ſupra recenſitos expectaſſem ut referret Cl. Auctor, ad innuendam, ſi non *malitiam occultam*, & prope veneficam, ſaltem invalidam, ac enervem in arduis hiſce, ac *Perniciosis* Caſibus Chinæ Chinæ virtutem. Sed forſan meminit, quòd ſicuti ſe mihi quondam faſſus erat ab eventu hoc inopinato adeò terrefactum, ut hac unâ de causâ in Conſtitutionibus ſuis Epidemicis nonnihil meticulosè ſcripſerit de uſu hujuſce Febrifugi (licèt cauſam hanc ipſam ſubticuerit, ne ſibi magis noceret, quàm Cortici) ita poſtquam mecum rem eandem meliùs examinavit, viditque poſt editas Conſtitutiones ſuas tam crebrò quid poſſit, quidve præſtet remedium iſtud ritè uſurpatum, faſſus erat pariter ingenuè mihi, ſe clarè jam dignoviſſe, protractam ſerò nimis eo caſu fuiſſe Febrifugi oblationem, ac propterea perperam expoſitum infamiæ Remedium ſaluberrimum, cujus magis intempeſtiva eſſe poteſt ſerior, quàm præcox adminiſtratio; cum ob ejus innocentiam, atque ſalubritatem de ipſo dici queat oppoſitum, ac de alio quovis remedio dici ſolet; videlicet, in eo uſurpando *leviora eſſe perpetuò peccata commiſſionis*, *quàm omiſſionis*. Ita ille tunc.

Ut ergo rem contrahamus, ea tantummodo, quam ſupra vidimus, eſt vis, & veritas omnis trium Hiſtoriarum, a Cl. Viro allatarum, quibus probare ſatagit, ſe *Mutinæ perpaucos vidiſſe Perniciosis Intermittentibus correptos*, *qui Chinâ Chinâ epotâ ab iis evaſerint*; cum tamen contra viderit nonnullos, ſi eorum placuiſſet illi tantulùm meminiſſe, & noverit alios plurimos, in Hiſtoriis octoginta circiter, toto fermè Libro quarto, & alibi a me deſcriptos, iiſdem quidem Febribus confoſſos propemodum; ſed ejuſdem nihilominus Febrifugi ope priſtinæ incolumitati, quâ etiamnum a tot annis integrè utuntur, feliciſſimè reſtitutos.

(*b*) (*Credo equidem &c.*) Credo & ipſe, Medicos, ſi attentè advertant animum, poſſe tempeſtivè per ſua ſigna, ſi non perpetuò clarè cognoſcere, ſuſpicari ſaltem rationabiliter morem peſſimum harum *Febrium Pernicioſarum*. Niſi enim id credidiſſem, octo diſtinctas illarum ſpecies, ac differentias cum ſignis omnibus earum diagnoſticis, prout mihi obſervare licuit, non eſſem exactiſſimè perſecutus toto Capite primo, imò & ſecundo Libri tertii, quemadmodum pro viribus exequi conatus ſum. Neque Tractatulum Mercati idipſum docentis, nec non etiam Mortoni deſcriptionem compendiariam præmiſiſſem Libro ſecundo; ut ex illorum Auctorum, meiſque obſervationibus ſimul collatis, facilior, & clarior evaderet obſcura cæteroqui hujuſmodi Febrium tempeſtiva Diagnoſis. Sed & inſuper quando Medicum etiam oculatum decepit nonnunquam fraudulentus hic hoſtis, dummodo eo ipſo acceſſu, quo ſe prodit, hominem non interficiat, ſat habet idem Medicus ex obſervationibus, & Methodo meâ, unde hoſtem eundem, ulti-

ultimum licèt excidium interminantem, confodiat. Ut propterea suis Historiis, tum paucis, tum veritati minùs consentaneis, eversionem Tertii mei Libri, praxim hanc utilissimam, totque insignibus Historiis in Quarto expositis confirmatam, continentis, irrito planè conatu tentarit Cl. Auctor.

§. 33.

(a) IN *Febribus porro continuis*, dummodo de periodicarum prosapia sint, si malignum quid portendant, jamdudum scio familiarem esse istic Chinæ Chinæ usum, & in larga dosi, sed multæ deceptiones hic etiam contingunt, nam febres continentes, essentiales ut vocant, interdum etiam inflammatoriæ, persæpe de natura intermittentium participare creduntur, cum enim in febribus vere continuis observentur *(b) aliquando parvi motus*, & horrores ex internis vellicationibus, quales febres intermittentium naturam sapere existimant, unde consuetum remedium præscribere non dubitant; habent enim id omnes fere morbi, ut vespertinis horis graviores sint, *Quale est ad vesperam exacerbari, ita & in omni morbo*, ajebat Hippocrates 4. Epidemiorum, omnibus pene ægrotantibus commune est, ut accedente Sole ad occasum magis molesti sint, atmosphœra etenim tunc gravior est, ac perspiratus debilior, quod in morbis melancholicis manifeste deprehenditur. Quartana febris, annotante Fernelio in Libro de Abditis morborum causis, nunquam, vel raro antemeridianis horis, sed pomeridianis suas habet accessiones. *(c) Quod si unum* vel alterum exemplum afferatur eorum, qui in aliqua febre continua pessimis accidentibus comitata, ut pro conclamatis haberentur, Chinæ Chinæ potione ad uncias integras in vino infusæ pluries in die exhibita, evaserint, ut hoc solo remedio ab Orci faucibus videantur erepti, talia exempla tanti non sunt, ut animum faciant ad Chinæ Chinæ usum indiscriminatim, ac tam liberaliter adhibendum. Antequam

quam Chinæ Chinæ nomen innotesceret, hujusmodi portenta visebantur, ut in incerto esset num medicamentorum, an fortunæ beneficio ægri convaluissent; *quemadmodum enim*, uti ajebat Celsus, *moritur aliquis de quo Medicus securus fuit*, quod non raro evenit, *ita aliquando quidam deserti à Medicis convalescunt*.

(*a*) (*In Febribus porrò Continuis &c.*) NOn recedendo penitùs a tertio, & quarto, ad convellendum progreditur Librum quintum Therapeutices meæ Cl. Auctor. Ut ergo cunctis ab eo turmatim objectis singillatim a me satisfiat, pauca hæc pro responsione lubet innuere. In Febribus *recenter tantùm* Continuis factis (de Continuis enim ab ortu, seu *Continentibus originariis*, tam *Solitariis*, quàm *Comitatis*, tam *Essentialibus*, quàm *Symptomaticis &c.* hìc sermo non est, utpote quibus, nec meo, prout latè in Therapeut., nec Viri Cl. judicio, China China quicquam prodest) in Febribus, inquam, *recenter tantùm* continuis factis, ac ideo Subcontinuis a me appellatis; dummodo de *Periodicarum*, hoc est de *Intermittentium*, *aut Subintrantium prosapiâ sint*, *si malignum quid portendant*, idque contingat in morbi *progressu*; familiarem mihi esse Chinæ Chinæ usum, non in tam largâ, sed in modicâ, & opportunâ dosi, ex Libro tertio Tractatus mei Cap. pariter 3. potest certè Lector habere a pag. 333. usque ad 340. Si verò Continuitas illis accidat citiùs, ac in *ipso* fere morbi *principio*, plurimâ cautione, ac circumspectione agendum esse, & perpendendum, an ope Chinæ Chinæ, an *Methodo* potiùs *ordinariâ* tractandus sit morbus, expresse inculcavi; omnesque problematicas rationes hinc indè pugnantes fusè examinavi toto Cap. 5. Libri Quarti; imò & exempla insuper cohærentia retuli Cap. 6. ejusdem Libri. In Continuis autem de *Periodicarum* quidem, sed *Continuarum prosapiâ*, hoc est de *Proportionatarum*, sive *Proportionalium*, ut vocant, Stirpe, quæ modò ad *Subintrantium* tantùm, modò ad *Continuarum originalium* genus reducuntur; nonnisi cum distinctione procedendum dixi in oblatione Peruviani Corticis, in uno casu proficuâ, in altero frustraneâ forsitan evasurâ: prout scilicet fermentum peccans, vel est præcipuè insitum sanguini, & febrem naturâ suâ Continuam gignit, vel præcipuè ab extrinseco accedit eidem sanguini, & febrem naturâ suâ producit Intermittentem. Ac tandem ipsam Theoreticam distinctionem ad praxim contraxi, docendo Signa ipsa diagnostica ejusdem Febris, modò ad unum genus, modò ad alterum pertinentis; adeòque modò Cortice curabilis, & modò non, Cap. tertio Libri Quinti, præcipuè a pag. 614. usque ad 622.: neque enim eundem calceum omni indiscriminatim pedi inducendum uspiam asserui.

Quibus omnibus a Lectore consideratis, facile erit illi decernere, an *multæ illæ deceptiones*, *quas hìc contingere* autumat Cl. Auctor, sive de activis intelligat, sive de passivis, se teneant ex parte mei,

cuncta

cuncta minutè explicantis, & dividentis (quod omnino requiritur, ut cum utilitate exhibeatur hisce Casibus China China; secus saltem frustra exhibetur) an potiùs se teneant ex parte illius, cuncta, quæ ipse clarè distinxeram, turbulenter iterum confundentis; quasi ut damnare queat sic commistum, quòd damnare nequibat tam clarè secretum.

(*b*) (*Aliquando parvi motus &c.*) Quænam sint hæ Febres *Continuæ*, *nonnunquam etiam Inflammatoriæ*, *quibus aliquando parvi motus*, *& horrores ex internis vellicationibus*, aliisque causis obtingunt Intermittentium ad instar, quæque tamen Peruviano Cortice non sunt curabiles; adeò perspicuè explicare, illasque ab aliis eodem Cortice verè sanabilibus per sua diagnostica signa distinguere, ac unam Speciem ab aliâ vicissim sejungere conatus sum in citato Libro Quinto Therapeutices meæ Cap. 3., & signatè pag. 612., ut omnino supervacaneum censeam aliud addere. Imò aliquando eousque perrexit cautela mea; ut in Febre *Inflammatoriâ* nequaquam Continuâ, sed planè *Intermittente* (quam semel tantùm licuit observare) a Corticis nihilominus oblatione abstinendum duxerim pag. 599. ejusdem Tractatus mei: ut proinde modò minimè repetendum sit mihi quod aliàs luculenter aperui. Dicam tantummodo in gratiam Tyronum; distinctiones illas practicas unius *Continuæ* Febris ab aliâ, inter quas Febres nonnulla sit Symboleitas, & similitudo, quæ pluribus identidem erroribus ansam præbet, esse hujusmodi, ut si probè attendantur, Medicum in Chinæ Chinæ administratione apprimè versatum ostendant, efficiantque, ut ferè nunquam incassum illam exhibeat, cum non exhibeat nisi ubi eam propemodum certò profuturam prænoscat, atque etiam prænuntiet; si verò minùs exactè observentur, aut intelligantur, detegant illum eo remedio cæspitanter tantùm, aut fortuitò utentem, ac non raro iis, qui bene uti norunt, etiam ridiculum. *Non omnes*, *qui habent Citharam*, *sunt Citharœdi*.

(*c*) (*Quod si unum*, *vel alterum &c.*) Octoginta circiter exempla, non *unum*, *vel alterum* attuli in Therapeutice meâ Febrium lethalissimis persæpe accidentibus comitatarum, & Chinâ Chinâ, *non ad uncias integras pluries in die exhibitâ*, sed dosi decenter liberali, ut aliàs dictum est, & clariùs etiam dicetur §. 48., felicissimè expugnatarum. Istas omnes appellare *Continuas* non recuso, etiamsi ab ortu fuerint, vel *Subintrantes* tantùm, vel prorsus etiam *Intermittentes*; pernicie siquidem in apertum prodeunte, statim in Continuarum castra se receperunt: adeòque & Continuæ tunc dici potuere; eo tamen modo, quo in eâdem Therapeutice meâ locutus sum pag. 282. & 283. An verò *talia exempla tanti sint*, *ut animum faciant ad Chinæ Chinæ usum liberaliter adhibendum*, judicent Practici. *Quòd si etiam* (jure merito reponam ego) *unum*, *vel alterum exemplum afferatur eorum*, *qui in aliquâ Febre Continuâ*, *pessimis accidentibus comitatâ*, *ut pro conclamatis haberentur*, *Chinæ Chinæ potione exhibitâ nequaquam evaserint; talia exempla tanti non sunt*, *ut animum faciant ad illius usum*, quasi noxius ille fuerit, *tam liberaliter prohibendum: antequam enim Chinæ Chinæ nomen innotesceret*, *hujusmodi portenta crebrò visebantur*.

At verò

At verò portenta, quæ visuntur postquam Chinæ Chinæ non nomen tantùm, sed usus melior, me promulgante saltem, innotuit, sunt, ùt Perniciosa Febris de Intermittentium, vel Subintrantium Stirpe, sed mox Continua recenter reddita, & gravissimis accidentibus comitata, quæ proinde in extremum vitæ periculum Ægrotantem redegerit, post biduum, vel triduum ab epoto hoc Febrifugo *statim* solvatur: idque non semel, aut bis; sed decies, vigesies, sexagies: neque etiam fortuitò; sed ex præmissâ Prognosi expressâ, quòd ita sit eventurum. Adeò celer, adeò constans, & adeò certa moraliter est vel in hisce angustiis Peruviani Corticis actio. Quæ verò nonnunquam, sed perrarò, in hujusmodi casibus, sive Naturæ operâ, sive Fortunæ, aut Artis ordinariæ beneficio contingit restitutio *Ægrotantium pro conclamatis habitorum*, nonnisi lentè, ægrè, ac difficulter contra ipsam Medici expectationem, atque Prognosim succedit. Ad hunc Lydium Lapidem examinanda est acquisita salus: atque ita unde illa processerit vel ipsæ dignoscent mulierculæ; eâ quidem facilitate, quâ Cuminum dispiciunt a Pipere, & fissa a non fissis, cocta a non coctis fictilia Vasa: siquidem & hìc, si qua subest labes,

—— *Sonat vitium percussa, malignè*
Respondens viridi non cocta fidelia limo,

ut cecinit Persius. Sanitas per Corticem obtenta (dixi pluries in Opere meo, & signatè pag. 635., 636., 556., 557., & 593.) *facilè dignoscitur ex insolitâ, quâ acquiritur celeritate;* id, quod fusiùs explicui in Schol. ad Mortonum, pag. 266. & 267. ejusdem Operis, istiusmodi cavillationem jam tum prævisam explodens. Sed pergamus.

Virtutem hanc certam *sistendi paroxysmos*, quam Chinæ Chinæ tribuit in diuturnis Intermittentibus Cl. Auctor, ut videre est in fine §. 22., eo quòd scilicet eas *illicò* post remedium illud assumptum cernit subsistere, quantumvis etiam non rarò, & sponte, & ex improviso subsistant; cur illi denegat in *iisdem* Febribus *recentem* Continuitatem adeptis, adeòque difficiliùs sponte suâ, tam citò saltem, solubilibus, adscribitque salutem Fortunæ potiùs, quàm Cortici; cum tamen eundem prorsus, æque certum, & æquè celerem in his, ac in illis intueatur effectum? *Febres, quæ de Intermittentium familiâ sunt* (ajebat ille in Orat. Jatrici Argumenti pag. 102.) *pulveris exigui haustu in vino soluti, aut compressæ quiescunt, aut etiam penitùs abolentur.* At de Intermittentium adhuc familiâ sunt, si me Deus juvet, saltem quò ad suscipiendam actionem Corticis, Intermittentes illæ, quæ ab eodem etiamnum Fermento Intermittentium majori ex parte pendentes, vix cœperunt se se reponere in Continuarum classem. *Admirandum est profectò* (ajebat nuper idem Vir Cl. §. 4. hujusce Dissertationis) *quomodo ad exiguum pulvisculum quomodocunque exhibitum Febris Periodicæ furor conquiescat, interdum etiam extinguatur; quòd de quocunque alio remedio pharmaceutico non tam facilè observatur, quod sciam* At Febres istæ, de quibus portenta visuntur, *Periodicæ* sunt. Si ergo eas oblatâ Chinâ Chinâ *statim* sanatas videat, ut saltem octogies videre potest in historiis meis; cur earum extinctionem Naturæ potiùs, vel Casui

vel Casui velit adscribere, quàm *admirando Pulvisculo, cui nullum, quod sciat, æquiparari potest remedium pharmaceuticum?* Quid verò, si ante pulvisculi exhibitionem Medicus fiat sponsor de subsecuturo ipsam felici eventu? Prognosim de certâ, & citâ morte, omisso Peruviano Cortice, & de certâ, ac citâ salute, eodem assumpto, a me in praxi præmissam ante oblationem illius, & quidem in circumstantiis gravissimis, vide in Tractatu meo pag. 444. Historiâ 9., ubi hanc, quam Cl. Auctor obtrudit cavillationem, penitùs explosam comperies.

§. 34.

C*Um decem ab hinc annis* clauso jam Lyceo Mutinam venissem ad otia captanda, nec satis cavere possem, quin implicarer in curandis ægris, ac forte ex febre continua decumberet insignis Juris Consultus, vocatus ad consultandum cum Medico, qui curæ aderat, ac postmodum quoque accersito Domino Paulo Piela Clarissimo Medico Bononiensi, qui paucis ab hinc annis omnium dolore è vivis excessit, varia quidem administrata sunt remedia, sed ægro in pejus labente, unde alter Medicus, magnus Chinæ Chinæ virtutum assertor, declamare cœpit nullum aliud superesse remedium, quàm Peruvianum Corticem suo more exhibere; modeste responsum febrem eam non esse, cui conveniret tale remedium, sed illo instante, ac domesticis omnibus nos arguentibus, quod in re desperata unicum remedium arceremus, prædictus D. Piela, & ego assentiri necessarium esse credidimus, ne quidquam relinqueretur inausum. Per duos vel tres dies, si bene memini, quolibet mane, & forsan etiam pluries in die propinata Chinæ Chinæ potio pro more, sed ægro in deterius ruente, & pulsu ita depresso, ut vix perciperetur, quo viso aperte protestati sumus, ab hoc Febrifugo desistendum, quo facto pulsus paulatim cœpit assurgere, ac sensibiliter percipi, torpore quo prius æger tenebatur discusso, sic tandem post multos dies solo victu, remediis omnibus ablegatis, præter

spem

ſpem prioris Medici, qui inter mortuos illum referebat, perfecte convaluit Vir ille, dignus ſane qui longum tempus viveret, ſed paucos poſt annos communi fato cedere illi neceſſe fuit, num autem in poſtrema ægritudine ſolito Febrifugo potionatus fuerit, omnino mihi ignotum.

(*Cum decem ab hinc annis &c.*) CAſus hic, quem pro libito magnâ ex parte fabrefacit Cl. Auctor, eſt ille idem, quem obiter egomet innui in Tractatu meo pag. 367. hiſtoriâ primâ. Ibi namque ultimum, lethalemque deſcribens morbum eximii hujus Juriſconſulti (cujus nomen modò ſupprimit Vir Cl., ego verò candidè tunc patefeci) hanc aliam, quæ jamdudum præceſſerat ægritudinem; imò & tentatum in illâ Peruviani Corticis uſum paucis hiſce lineis adumbravi -- *In aliâ difficillimâ Ægritudine ejuſdem Patientis non ſinè fructu remedium illud* (videlicet Peruvianum Corticem) *vix vix indicatum*, *cum aliis tamen quamplurimis*, *longo temporis tractu* (in hoc uno me fefellit memoria; brevis enim, ut infra, fuit ille temporis tractus) *præſcripſimus; & ab eo morbo contra ipſam expectationem noſtram evaſit. An Cortex ſimul cum aliis remediis, an ſola Naturæ actio opus illud abſolverit*, *ignoro* -- Ita ego tunc loco citato.

Si minùs ingenuè ſcripſiſſem, tribuiſſemque abſolutè curationem graviſſimi illius morbi, qui ad extremum uſque maraſmum Ægrotantem perduxerat, ſoli Peruviano Cortici, mihique uni arrogaſſem dignotionem opportunitatis illum utiliter exhibendi, *poſt alia remedia adminiſtrata; ſed Ægro*, ut inquit Vir Cl., *in pejus labente;* imò, ut ſubdit, *re jam deſperatâ*, dubio procul hoc adamuſſim quadraret narrationi illius, utut in plurimis plurimùm alteratæ. Etenim ſi *re deſperatâ*, & cum *Æger in pejus labebatur*, *propinata fuit per duos*, *vel tres dies*, ut inquit, *Chinæ Chinæ potio:* item ſi brevi illo oblationis tempore (ſcilicet verè per biduum tantummodo) quo nondum actio Corticis ſe ſe poterat exerere, Ægrotus ille in *deterius* quidem, ut cœperat, etiamnum ruere videbatur (ſiquidem poterat non moriens pejùs habere) ſed tamen aſſumptâ jam intrà illud biduum modicâ quantitate Febrifugi, duarum nempe drachmarum quadripartitarum, illiuſque virtute in actum, ut mox aſſolet, paulatim deductâ, *pulſus*, ut pariter inquit, *cœpit aſſurgere*, *torpore*, *quo priùs Æger tenebatur*, *diſcuſſo;* itaut *ſolo victu*, *remediis omnibus ablegatis*, *convaluerit* ipſemet Æger; profectò aliquid non alienum a probabilitate ſcripſiſſem, ſi adſcripſiſſem Febrifugo curationis gloriam, mihique meritum oblationis, qui tantâ efficaciâ dicor illud propoſuiſſe. Et tamen eo moderamine, eoque neglectu hæc omnia tranſegi, ut mihi abundè ſuffecerit merè dixiſſe, *illud non ſinè fructu fuiſſe præſcriptum:* neque a me uno quidem, ſed ab omnibus ſimul curantibus Medicis, ut verè fuit unanimiter, & electum, & exhibitum. Oblatio autem illius inſtituta fuit per modum levioris alterantis, videlicet ad ſimplicem ſemidrachmam,

mam, manè, & serò; non tamen in formâ potus, ut ait Vir Cl., sed in formâ boli, per duos tantùm dies, nempe die 25., & 26. Septembris anni 1704., ut habetur ex Schedis meis, & ex Adversariis, Codicibusque Pharmacopæi Hortensii Candrini simul collatis. Ex quibus constat, duas solummodo Peruviani Corticis drachmas intrà biduum partitis, & exiguis dosibus, nonnisi lentè, ac imbecilliter agentibus, fuisse præscriptas. Propositum autem, usurpatumque fuit eo modo, eoque casu id Febrifugum in Febre Continuâ (quæ tamen ab exordio sui talis non fuerat) solùm tentandi gratiâ, nullâque ferme spe, etiam ut Domesticis illud feliciter pluries expertis, morem gereremus; cum cæteroqui vix ulla tunc esset offerendi Corticem indicatio, ullave saltem solida ratio. Propterea subdidi, nos præscripsisse quidem *Remedium hujusmodi, sed vix vix indicatum*.

Quâ ergo sui ipsius securitate, postquam hæc scripserim, quæ a Viri defuncti Uxore, & Filio, bis propter Chinam Chinam vivente, semperque deinceps meliùs ac antea valente, possunt confirmari, illudit ille mihi, inquiens, *declamasse me* (neque enim cum D. Pielâ, & D. Ramazzino ullus erat, qui, ut ait, *declamare* posset, & festivè appellari, *Magnus Chinæ Chinæ virtutum assertor* præter me) ut Peruvianus Cortex exhiberetur, si remedium illud, non modò *vix vix indicatum* fuisse sum fassus; verùm etiam post absolutam feliciter curationem in dubium revocavi, meque insuper *ignorare* sum protestatus, *num Cortici simul cum aliis remediis, num soli potiùs Naturæ* eadem fuerit adscribenda, quæ contra expectationem nostram successit sanatio? Neque enim unus ego, sed omnes, quotquot curæ aderamus, Medici, *Ægrum illum inter mortuos referebamus*. Atque hac unâ de causâ, si benè meminisset Cl. Auctor, *declamavi* (quoniam hoc verbo uti eidem placuit). cum D. Pielâ, Viro mihi amicissimo, & humanissimo, ut Bononiam reversurus ante morbi exitum, funestum illud præsagium, quod nobiscum privatim edebat, nullo pacto officii causâ ante discessum suum occuleret, sed apertè potiùs pro ingenuitate suâ revelaret Domesticis.

Hæc sunt, quæ mihi uni obtruduntur de oblato Cortice Peruviano, quando communibus offertur Mutinensium, & Bononiensium Medicorum suffragiis, & quando tandem Æger evadit a Morbo lethali. Quid si solus præscripsissem, & Æger occubuisset? Tunc certè non fuisset *ignotum* Cl. Auctori, *num solito Febrifugo fuerit potionatus*, ut modò inquit, *in postremâ Ægritudine*: sciret enim omnino, fuisse potionatum. Sed etsi distinctè narraverim in citatâ historiâ quo pacto res tota cesserit, ejusque veritatis, nedum Consanguinei, sed & Adstantes Cives, honestique Viri possint esse Testes, id omne nihilominus Viro Cl. *omnino ignotum*. Mirum solummodo, ei potiùs notum non fuisse omnino (quandoquidem Chinam Chinam ante septennium epotam minimè veretur ille criminari de morte Ægrotantium) insignem illum Jurisconsultum, qui *paucos post annos Fato cessit*, occubuisse propter illum eundem Corticem, quem in præcedente sumpserat Ægritudine, licèt tunc toxicum illud, quippe Cl. Auctoris suasu opportunè omissum,

omiſſum, ſuis non valuerit *amaris potionibus*, ut eidem loqui libet §. 48., *miſerum Ægrum conficere*.

§. 35.

(a) C*Aſus hic*, *& plures alii*, quos Mutinæ variis temporibus, & hic quoque Patavii, de infauſto ſucceſſu hujuſce remedii obſervavi, mihi in mentem revocant quod in Actis publicis Lipſienſibus Anni 1701. memini me legiſſe de Conſtitutione quadam Uratislavienſi Anni 1699., in qua *(b) febribus continuis* populariter graſſantibus, China univerſaliter exhibita cauſa potiſſima habita fuerit, quæ Annum illum nefaſtum plurimorum morte rediderit, qualis hiſtoria fuſius legitur in Ephemeridibus Curioſorum Naturæ Anni 1702., talia leguntur de Chinæ uſu in continuis febribus. Nimius eſſem ſi referre vellem mala, quæ apud graviſſimos Scriptores de China China leguntur. *(c) Videndus Etmullerus* de Uſu, & Abuſu præcipitantium, ubi ait perſæpe concentrari acidum morboſum, quod compreſſum ad inſtar ſpiræ contortæ, ubi vim reſumat, ſuos niſus impetuoſiores reddere, quod idem experimur in Automate ubi diu quieverit, motus enim ſuos ab initio velociores efficit. *(d) Legendus Thomas Sidenham* de febre intermittente, ubi de Quartana, agens de uſu Pulveris Peruviani, quem magis laudat paulatim ſumptum, & pluribus vicibus, quàm in ipſa acceſſione, ut fieri ſolet, ſic enim ait ſenſim ſanguinem turgere, & officium ſuum abſolvere, neque enim bonum putat febrilem motum illico compeſcere, & ſanguinis deſpumationem cohibere. Legi quoque meretur Obſervatio D. Danielis Grugeri in Ephem. Ger. Decadis 3. Anno 3. *(e) ubi de intempeſtivo* Chinæ Chinæ uſu varios caſus refert, ſed unum præcipue memoratu dignum de Paſtore quodam, qui prius Epilepſia laborabat, ſingulis menſibus recurrente, ſed Quartana correptus, quæ ipſi

remedio erat, & ut ex Hippocrate à magnis morbis liberat, præterlapſo dimidio anno tædii ex longa febre pertæſus Corticis Chinæ Chinæ drachmam unam ad aliquot dies aſſumpſit, febris quidem abiit, aſt Epilepſia rediit.

(*a*) (*Caſus hic, & plures alii &c.*) PRovido ſanè conſilio *plures alios caſus infauſtos*, *Mutinæ*, & *Patavii*, ut ait, *ſibi obſervatos*, generalibus tantùm, & gratuitis hiſce terminis jactat, ſed ne unum quidem deſcribit, aut memorat Cl. Auctor: ſi enim omnes ejuſdem ſint ponderis, ac recenſiti hucuſque, nullo negotio evaneſcent in auras. Tres, aut quatuor protulit ille, accuſavitque ut nefaſtos ob infortunatum, ut contendit, exitum Peruviani Corticis in *diuturnis Intermittentibus* adminiſtrati: eos tamen nec funeſtos omnes, nec a modico tempore, ſed a ſeptem luſtris, & ampliùs in hanc uſque diem petitos; omnes verò fallaces a me deprehenſos, atque ut tales Orbi detectos. His nihilominus ab eo tempore uſque ad hodiernum forſan quingentos opponam, ſi opus ſit, in eâdem lineâ planè propitios. Tres alios objecit ſiniſtri eventus in *Intermittentibus Pernicioſis*, eoſque nedum fallaces, ſed apertè falſos a me demonſtratos. His quoquè octoginta circiter feliciſſimos (minimè ſupputatis, quos communicarunt Amici) in Therapeutice meâ, tum ſparſim, tum conjunctim facilè opponendos expoſui, & plurimos adhuc in hiſce reſponſionibus meis perquam recentes, compendiariò ſaltem, exponam. Unum denique expectationi haud ſatis reſpondentem in *Continuis* obtruſit; eumque partim commentitium, partim invalidum, nec bono tandem ſucceſſu carentem, ipſo fatente. Huic in ſolâ Therapeutice meâ inſunt, qui poſſunt opponi, ſaltem viginti quinque planè inculpabiles, cùm ex *Subcontinuarum malignantium*, tum ex *Lentarum* genere; ex eo tamen, de quo clarè, quantum ſufficit, ibidem locutus ſum. Neque enim ullam Febrem *Continuam*, quæ talis *ab ortu* jam fuerit, Peruviano Cortice curandam volo; ſed illam tantùm, quæ per accidens *recenter* fit talis, quæque fuit ab ortu *Intermittens*, vel ad ſummum *Subintrans*, ut aliàs dixi.

Cæterum ſi Caſus infelicem nonnunquam eventum ſortitos; eos videlicet, ubi a me incaſſum oblatus eſt Cortex, aucupabatur Cl. Auctor (quandoquidem immortales nequit efficere homines pharmacum iſtud, ſicuti neque iis ita unquam officere, ut ſinè calumniâ dici queat occiſus, qui ſervari non potuit) eos non aliunde emendicare habebat opus, quàm ex Tractatu meo Lib. 3. Cap. 5., & Lib. 5. Cap. 4.: ubi quotquot toto vitæ meæ curſu malè cecidiſſe obſervavi, aut ſaltem me obſervaſſe memini; eos omnes, nedum ingenuè deſcripſi, ſed eâ ſimul ratione indigitavi, ut indè regulam elicerem aliis communicandam, quâ mediante ab exhibitione fruſtraneâ Remedii, quod cùm non ſanat, ab hominibus malè feriatis necare dicitur, in ſimilibus circumſtantiis quiſque caveret.

(*b*) (*Febribus Continuis &c.*) *Continuis Febribus ab eſſentiâ talibus*,

bus, quales rationabiliter fuiſſe puto, quæ in citatâ Conſtitutione Uratislavienſi *populariter graſſabantur*, & cujuſmodi ſunt omnes, quæ nomine *Continuarum ſimpliciter* ſolent donari, Peruvianum Corticem, niſi noxiè, ſaltem inaniter adhiberi, non eſt quòd aliorum teſtimoniis conetur probare Cl. Auctor; cum delendo nimiæ hujuſmodi fiduciæ, & Praxeos intemperantis abuſui, ipſe quoquè in Tractatu meo, tum rationibus, tum obſervationibus ſedulò allaboraverim. Mihi propterea hæc, quæ ex Actis Lipſienſibus, ac ex Ephemeridibus Curioſorum Naturæ petita eſt Auctoritas, nullo pacto adverſatur. Sed ſi qua alicubi unquam reperiretur, quæ Chinam Chinam excluderet, ubi eam incunctanter neceſſariam ſtatui, ſcilicet in *Perniciosis Intermittentibus*, earumque præcipiti periculo jam detecto, Methodumque meam expreſsè damnaret, in funeſtis etiam circumſtantiis illarum de more perutilem; hujuſmodi, fateor, auctoritatem, aut auctoritates, quotquot fuerint, creberrimæ, ſemperque uniformi experientiæ meæ reluctantes, nihili facerem, etiamſi forent Reſponſa Æſculapii, aut Oracula Apollinis. At nulla adverſa, ſaltem quæ rem percutiat, uſpiam profectò reperiri poteſt auctoritas. Si enim Methodum Auctoribus penè omnibus uſque adhuc incompertam tradidi; quo pacto poterit ea ab iis, quibus cognita nunquam fuit, aut in uſum deducta, expreſsè damnari? Liceat ergo mihi hac in re peculiarem tantùm obſervationem, & longam, rationalemque experientiam promulganti, Scriptorum quorumcunque conjecturas, ſi quæ ſint, quæ genericè prolatæ adverſari videantur, ut falſas Magnorum Virorum haud ſatis expertorum ſuſpiciones, aut hallucinationes potiùs corrigere, quàm ut Oracula venerari.

(*c*) (*Videndus Ettmullerus &c.*) Videndus utique Ettmullerus; ſed ſecundùm id, quod §. 7. præcepit Cl. Auctor, videndus ubi *de Febribus* agit, *ac illarum Remediis*: ibi namque hæc ſaltem leguntur pag. mihi 198. *Vocatur etiam* (loquitur de Chinâ Chinâ) *Antiquartium Peruvianum, ex eo quòd in Quartanâ ſit ſingulare, utut etiam Tertianas Chronicas; item Tertianas duplicatas etiam Nothas feliciter curet.* Et paulò inferiùs cum Gentianæ pulverem loco pulveris Chinæ Chinæ aſſumi quoquè poſſe priùs dixiſſet, ſubdit hæc verba -- *Utut certum ſit, Chinam Chinæ eſſe egregium remedium, tam in Quartanis, quàm Tertianis diuturnis.* Neque ibi quicquam legitur, quod illius uſum vel minimùm improbet: tantummodo hanc cautelam ſubjungit. *Sed obſervetur, quòd ritè præmiſſa debent eſſe univerſalia, & quòd poſt uſum Chinæ Chinæ leniter expurgandum ſit Corpus, aliàs certò recidivant Febres.* Hoc tamen monitum, non tam de præmittendis univerſalibus, quàm de purgatione quacunque poſt propinatam Chinam Chinam inſtituendâ, ut ſcilicet inhibeatur relapſus in Febres, mihi, ut verum fatear, oſtendit apertè, hunc Auctorem cæteroqui præclarum, in uſu tamen Peruviani Febrifugi fuiſſe parum verſatum, ob rationes etiam infra recenſendas: nullum enim meâ, & univerſali expertorum ferè omnium obſervatione, medium certius eſt ad revocandas Febres Chinâ Chinâ depulſas, quàm poſt Antipyretici illius oblationem quæ-

libet, utut levis, successivè administrata purgatio. Sed hallucinatio hujusmodi, pluribus aliis Scriptoribus, hoc Febrifugum procul dubio rariùs expertis, fallacique tantùm ratiocinio fidentibus, etiam communis, maximè condonanda est huic Auctori, qui brevì dies suos implevit, nec trigesimum nonum ætatis annum transegit (obiit verò anno 1683.) scripsitque Posthuma hæc valde juvenis, eoque tempore, quo vix cœperat (nec forsan cœperat iis in regionibus, ad quas nonnisi seriùs pervênit) experimentis increbrescere fama remedii, illi fortasse vix noti.

Hujus rei conjectura est valde firma, ne dicam probatio certa, quòd ille Remedium describens loco citato, primò illud sub *Radicis*, mox sub *Corticis* nomine designet, tribuatque illi *saporem ferè instar Cinnamomi;* cum tamen quò ad saporem minùs distent a Cydoniis malis Mespila, quàm China China a Cinnamomo. In Phytologiâ postmodum Schroderi dilucidati meliùs edoctus, verum Chinæ Chinæ saporem se paulò magis nosse indicavit: novis tamen interim & ibi allucinationibus eum detentum videas; non modò quia in Italiâ Medicinam facientem dicat Digbæum Anglum, & in Galliâ Redium Italum (hæc enim sunt de levioribus) sed maximè quia genuinam Chinam Chinam *ex Româ* afferri asserit, quasi in Romano Solo hæc Planta frondescat, aut in Peruano florescat Roma; tandemque quia contendit Gentianam nostratem (proh lapsus!) esse æquiparandam, forsan & præferendam, eidem Chinæ Chinæ:

Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit herbas,
Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Fatetur nihilominus iterum hisce verbis, eam esse *Remedium expertum contra Febres Intermittentes quascunque, etiam Chronicas, in specie Quartanas:* item, *usum illius esse in debellandis Febribus Intermittentibus Francofurti quoquè satis frequentem, nec carere optato successu &c.* Quæ omnia, & his similia leguntur Classe primâ Phytologiæ Schroderi dilucid. pag. mihi 43., & 44.

Si ergo Auctor iste alibi, nempe ubi *De Usu, & Abusu Præcipitantium*, suis innixus ratiociniis quicquam protulit, quod Peruviano Cortici minùs favere videatur; quanti ponderis in hoc censenda sit illius assertio, ex superiùs dictis, & infra dicendis eruat Lector. Addo nihilominus, Ettmullerum ibidem, in citatæ nempe Dissertationis De Usu, & Abusu Præcipitantium Capite tertio, §. 5., priusquam suas exceptiones adducat, hæc præmittere - *Superiùs dixi, Corticem Peruvianum fugare suo usu quasvis Intermittentes; id quod verissimum arbitror: nec has solùm, quin &c.* ubi verò easdem exceptiones protulit, expresè loqui de usu tantùm, ut inquit, *illegitimo*, cùm videlicet (sequitur ille) *paulò ante, non post paroxysmum* assumitur Cortex, *vel proprio ausu, vel Medici præcoci consilio, & nedum ad Intermittentes Febres, sed & ad Continuas quoquè, tam benignas, quàm malignas, Symptomaticas, Lentas, & quæ ex decubitu materiæ peccantis in quandam partem oriuntur:* quibus in Febribus, vel perperam, vel saltem incassum usurpari eundem Peruvianum Corticem certum est, ut præter Ettmullerum ipse quoquè Libro 5. Therapeutices meæ satis admonui.

Cæte-

Cæterum notatu dignum eſt quod nuper innui, nempe omnem ſuſpicionem malorum, quæ ibidem recenſet hic Auctor, quæque ait poſſe contingere *ex uſu illegitimo* Peruviani Corticis, locum habere tantummodo, ipſo quidem latè fatente, ubi Cortex *ingruente paroxyſmo* exhibeatur; ſecùs ſi exhibeatur *poſt paroxyſmum* ſolutum. *Obtinet hoc* (inquit ille eodem §. 5. capitis tertii) *Obtinet hoc de Cortice dicto, ante paroxyſmum more hactenus recepto exhibito:* ſubdens poſtmodum ferme immediatè -- *Concinnior itaque, ac tutior iſta videtur exhibendi methodus, quâ poſt paroxyſmum, & intermiſſionis tempore, idque præſertim in infuſo cum Vino, repetitis tamen crebriùs vicibus, exhibetur:* ut ideo hac viâ, *cita, tuta, & jucunda magis videatur cura*. Hæc ille; qui proinde *crebram, & repetitam*, ut patet, oblationem Remedii, nedum non improbat, ut eam improbat Cl. Ramazzinus; verùm potiùs, eâ ſic inſtitutâ, *citiorem, tutiorem, ac jucundiorem* indè curationem emerſuram ſperat.

Quòd ſi nonnullas hìc illic interſevit Scriptor iſte querimonias, facilem nonnunquam Febrium recurſum connotantes, etiamſi Cortex adhibeatur *ex arte;* id ego quoquè, rariùs licèt, contingere nequaquam diffiteor: ſed cum ſæpiſſimè, ac de more contingat oppoſitum, uſui potiùs, quàm excluſioni Remedii favet hæc infrequens ejuſdem Auctoris obſervatio. Alias, ſi quas obtrudit mucidiuſculas ſcrupuloſitates, partim deſumpſit ille a Scriptoribus nonnullis priorum præſertim temporum (quorum alii adeò nervosè a Bado fuere impugnati, ut ne hiſcere quidem auſi fuerint, alii experientiâ ulteriore adeò profecerunt, ut eo extincto palinodiam ſponte cecinerint) partim deprompſit a ſemetipſo; cui & propria brevis ætas, & recens adhuc Corticis in eas præſertim Oras adventus, locum nequaquam reliquere, quo meliùs præconceptam qualemcunque hæſitationem diutiori, & crebriori uſu emendare potuerit. Sed ſi vixiſſet, ut facilè poterat, in hanc uſque diem, & triginta duorum annorum, qui ab ejus obitu uſque adhuc præteriere, experientiam fuiſſet nactus, aliarumque Nationum tot nova, & tam præclara legiſſet monumenta; nullus dubito, quin ſinè ullâ trepidatione cum reliquis conſenſiſſet, hujus remedii uſum, & innocentiam planè incunctanter admittentibus.

Ad rationem denique petitam *ab Acido morboſo Spiræ ad inſtar compreſſo*, quam adversùs, non Chinam Chinam, ſed *Præcipitantes omnes generaliter*, & quidem, ut rurſus ait, *ſub illegitimo uſu* adhibitos, adducit idem Ettmullerus, & *Automatis* exemplo illuſtrat, liceat reſpondere in caſu noſtro, Spiram Acidi morboſi haud difficulter forſan ita compreſſam iri, ut omni elaſticitate deperditâ nequeat ampliùs reſilire, ſi ſufficienti Abſorbentis Corticis *quantitate*, congruo *tempore*, ac *modo*, prout a me indicatum eſt, propinatâ, prematur illa fortiùs, ut tandem penitùs infringatur.

(*d*) (*Legendus Thomas Sydenham &c.*) Legendus quoquè, perlegendus, nocturnâque manu, ac diurnâ verſandus Celeberrimus Thomas Sydenham, quem pro Anteſignano & ipſe habui toto Therapeutices meæ decurſu: proinde qui me renuit ſequi, ſequatur Sydenham, mecumque

vel invitus ferme coincidet. Revera hanc ipſam hujuſce Scriptoris cautelam, a Cl. Ramazzino hìc loci recenſitam, de oblatione Corticis Peruviani partitè potiùs, & extra acceſſionem, quàm acervatim, & in ipsâ acceſſione in Quartanis, aliiſve diuturnis Intermittentibus, appoſui & ego; imò & uſu proprio confirmatam, exercitamque in illis iiſdem circumſtantiis expreſsè tradidi pag. 116., & 117. ejuſdem Therapeutices meæ. Id nihilominus lubet addere, hanc ipſam videlicet cautelam, etſi rationalem in illiuſmodi ſaltem caſibus, appoſitam tamen fuiſſe in Libro ſuarum Obſervationum Medicarum ab Anglo illo Scriptore, cùm nondum uſus Remedii, a 25. circiter annis tantùm tunc in Europam delati, erat univerſaliter ſatis perſpectus: neque ipſe perfectam illam adhuc erat nactus, quam deinceps acquiſivit experientiam, fiduciamque, in reliquis poſtea ejuſdem Operibus abundè patentem. Mirum verò, quòd auctoritatem hujuſce Scriptoris ullo pacto attulerit Vir Cl., haud ſatis animadvertens, quòd dum inquit, a Sydenhamio *laudari pulverem Peruvianum pluribus vicibus ſumptum*, ſibi ſtatim officit, qui eundem pulverem *minimè repetendum eſſe* inculcat ubique. Sic & loco ipſo per Cl. Opponentem allegato, & innumeris aliis aſſerta mea ubique confirmat Doctiſſimus Sydenham; illius verò dogmata omnia funditùs evertit. Liceat ergo, ipſo provocante, hìc immorari tantiſper, varioſque ejuſdem Sydenhamii Textus, prout proſtant in Tractatu meo, huc iterum transferre in conſpectum Diſſertationis Cl. Ramazzini, mala jugiter ad ſe ſe attrahentis, ut Cecias nubes.

In hac Diſſertatione §. 21., & alibi inquit is, Chinam Chinam *noxas plurimas*, videlicet *Obſtructiones*, *Cachexias*, *& Hydropem invehere*, quemadmodum & vidimus, & poſthac videbimus. Inquit verò Sydenham in Epiſtolâ Reſponſoriâ ad Bradyum pag. mihi 342. -- *Verè affirmare poſſum, non obſtante tam vulgi, quàm perpaucorum e doctis præjudicio, me nihil mali Ægris accidiſſe ab ejus uſu vidiſſe unquam, vel cum ratione ſuſpicari potuiſſe*: & paulò poſt -- *Profectò ſi tam effectorum durationem, quàm Corticis hujus innocentiam exploratam haberem, principem illi locum inter omnia, quot quot ſunt, remedia deferre nullus dubitarem &c. Tantùm abeſt, ut de ejus inſalubritate meritò quis conqueratur*. Vide Therapeuticen meam pag. 14., & 15., ibique plura etiam alia reperies ab hoc Auctore nonnihil acriter exarata. Scias enim, hæc de innocentiâ Peruviani Febrifugi ſcripta fuiſſe a Sydenhamio etiam ad diſſipandas nebulas, quas illius uſui, cùm primum cœpit in Angliâ crebriùs adhiberi, offuderat caſus aliquis, in quo illud, ut ait, *minùs opportunè fuerat Ægro ingeſtum*; cujus inopportunitatis conjecturam aliquam ulteriorem addidi & ipſe in Tractatu meo pag. 362.

Subdit Cl. Ramazzinus, doſim Chinæ Chinæ eſſe debere *ad Drachmam unam, vel duas tantùm, nec eam eſſe repetendam ad prophylaxim*, pluribus quidem in locis, ſed præcipuè §. 8., & §. 48. Aſſerit Sydenham, loco ipſo per Cl. Virum nuperrimè citato, præſcribendam eſſe *unciam unam Chinæ Chinæ*, pro curatione Quartanæ Febris cum

Con-

Conservâ Ros. commiſtam; *eamque bis in die paulatim eſſe aſſumendam*, donec tota Confectio ſit abſumpta, ſubditque hæc verba -- *Repetatur porrò ad tres alias vices interjectis ſemper diebus quatuordecim*. Uncias ergo quatuor, ſeu Drachmas 32. Chinæ Chinæ impendit Sydenham pro curatione, & prophylaxi Quartanæ Febris. Sed tunc nondum firmo talo incedebat ille in præſcriptione Corticis. Efficaciùs adhuc agit in citatâ Epiſtolâ ad Bradyum pag. 346., & 347.; ubi ulteriore experientiâ confirmatus, unciam unam Chinæ Chinæ *intrà biduum intermiſſionis* ejuſdem Quartanæ, duodecim ſcilicet partitis vicibus, ſingulo quadrihorio repetitis, integrè abſumit; *quaterque* renovat, *octo* tantùm diebus interjectis, eandem oblationem unciæ unius, ut ſupra. Videſis Therapeuticen meam pag. 127.

Contendit Cl. Ramazzinus, *In Malignis Intermittentibus incaſſum confugere Medicos ad Sacram Anchoram Chinæ Chinæ, cum Febres hujuſmodi ab initio difficulter dignoſcantur*; de quo latè §. 29., & 30. Affirmat Sydenham in eâdem Epiſtolâ pag. 352., Febres Intermittentes Symptomate inſigni Apoplexiam veram æmulante comitatas, quas inter magis *Pernicioſas* collocat Mercatus, quaſque ego *Lethargicas* appellavi, *Omiſſis omnino evacuationibus quibuſcunque, in primariâ Apoplexiâ fieri ſolitis, expectandum eſſe tantummodo, donec paroxyſmus ſponte evanuerit; quo tempore Cortex (modò citiùs idem ingeri non potuerit) quàm primùm eſt exhibendus, & in intervallis ab hujuſmodi acceſſionibus liberis idem ſedulò repetendus, uſque dum perfectè convaluerit Æger*. Ita ille. Vide Therapeuticen meam pag. 260., & 261.

Denique improbat Auctor Diſſertationis uſum Corticis Peruviani *in Febribus illis Continuis, quæ de Intermittentium proſapiâ ſunt, & quid malignum portendunt*, ut nuper §. 33. Contra in citatâ Epiſtolâ ſcribit incunctanter hæc Sydenham pag. 349. (vide Therapeuticen meam pag. 555., & pag. 620.) *Cum Febres quædam apud nos graſſentur, quæ etſi poſt ſecundum, tertiumve paroxyſmum reponere ſe in claſſem Continuarum nitantur, tamen ad Intermittentes debeant referri, nulla mihi religio eſt, Corticem vel in maximè Continuis hujus ſpeciei ſumendum proponere, qui dicto more* (videlicet ad ſcrupulos duos quartâ quaque horâ) *iteratus, ad apyrexiam certò Ægrum perducet*. Atque ita ſecundùm Sydenhamium ſingulis diebus naturalibus quatuor drachmæ Peruviani Corticis impendentur pro *certâ* curatione Febrium *maximè Continuarum*, quæ ſint *de Intermittentium proſapiâ*, pro quibus peculiariter curandis, ſubdit inſuper ibidem. *Hìc autem obſervandum, quòd quò magis Febris ad Continuitatem accedit, eò major Corticis quantitas eſt exhibenda*. Itane igitur iſtiuſmodi Patronis ſuam cauſam ſatagit ſuſtinere, & meam proſternere Cl. Auctor? Scilicet dum Chinam Chinam ab horto Medico evellere aggreditur, *Anagyrim incautus movet*.

Legendus itaque (repetam & ipſe) *Thomas Sydenham*, nedum in Obſervationibus Acutorum, ſed & in Epiſtolâ Reſponſoriâ ad Bradyum, & in Diſſertatione Epiſtolari ad Cole. Imò ſi adeò placeant, quæ Sydenham ſcripſit, eâdem quoquè ratione legendi Viri alii Celeberrimi,

berrimi non alia ſentientes, Sebaſtianus Badus in Anaſtaſi Corticis Peruviæ, Richardus Morton De Cortice Peruviano, & ejus virtute Febriſugâ, Chriſtianus Joannes Langius De Febriſugâ pariter ejuſdem Chinæ Chinæ virtute, Franciſcus Maria Nigriſolus, ſimulque Nicolaus Blegnyus, Talbotius, Reſtaurandus, Monginotius, d'Acquin, & Sponius Lib., cui titulus *Febris Chinâ Chinæ expugnata &c.* Videndus etiam Guilielmus Cole, Hadrianus Helvetius, Teophilus Bonetus, Antonius Franciſcus Bertinus, Joannes Jones, Joannes Jacobus Mangetus &c. *Legi quoquè merentur* inter antiquiores Rolandus Sturmius, Gaudentius Brunaccius, Antymus Conygius, & inter Recentiores Anſanus Franciſcus de Hyeronymis, Carolus Franciſcus Cogroſſius, Bernardinus Zendrinus, aliique propemodum innumeri, quos modò recenſere non vacat; in progreſſu tamen vacabit opportuniore loco.

(*e*) (*Ubi de intempeſtivo &c.*) Obſervationes *de intempeſtivo*, ut ait Cl. Auctor, *Chinæ Chinæ uſu* adversùs *tempeſtivum uſum* nil probant, ut pluries dixi; quodnam enim tam levidenſis texturæ cerebrum, ut remedii, quantumvis optimi, adminiſtrationem etiam intempeſtivam commendet? Quamobrem ad obſervationem D. Grugeri exclamabo tantùm. Quodnam crimen Peruviani Corticis, ſi Paſtor ille ignorabat Aphoriſmum Hippocratis 70. Sectionis quintæ - *A Quartanis capti non admodum a Convulſionibus capiuntur: ſi verò priùs capiantur, & Quartana ſupervenerit, liberantur?* Quænam Febris magis *depurativa*, quàm iſthæc? Anne propterea ignari Paſtoris loco damnabitur Remedium egregium, quod illam ſuſtulit? atque ubi Coquus peccavit, vapulabit Tibicen? Suppreſſionem Febrium Intermittentium, quæ aliorum nonnunquam morborum ſemina deleant, rejectam vide in Therapeutice meâ pag. 143. 144. 541., & alibi. Oportet ergo diſtinguere *Ubi*, *Quando*, & *Quomodo* ſit exhibendus Peruvianus Cortex, ut exhibeatur utiliter, quemadmodum expreſsè monui pag. 348. ejuſdem Tractatus. Nec aliter quidem nobis agendum in praxi; nec enim ipſe aliter, ac in Scriptis tradiderim, in praxi exerceo.

Uno Auguſti menſe currentis anni decem ſaltem Ægrotos vidi Quartanâ intermittente recèns correptos (hujuſmodi enim febrium feraciſſimus fuit hic menſis) quibus nil ferme aliud ſuaſi, niſi temporaneam ipſius Quartanæ geſtationem. Nemini eorum Chinam Chinam adhuc præſcripſi; cunctis tamen præſcripturus, ſi quando tempus, & opus id tulerit. Interim citra exigentiam Febris, vel deterioris, vel diuturnioris redditæ, eâ utar ſobrietate, quam mihi familiarem jugiter prodidi pag. 149. & 190. præcitatæ Therapeut. meæ. Summa itaque negotii hæc eſt. Febris haud infrequenter homini poteſt prodeſſe, ac revera nonnunquam prodeſt; ſæpius verò illi, aut vitam adimit, aut œconomiam vitalem plurimùm labefactat. Atque ita ſæpius utile, imò & neceſſarium eſt, Chinâ Chinâ febrem delere (quoniam inter Febriſuga non aliud æquè idoneum proſtat) nonnunquam verò temerarium, aut noxium. Munus ergo boni Medici eſt hæc duo probè diſtinguere, ut a Barbitonſoribus, & Pharmacopolis diſtinguatur & ipſe. Atque hæc ſunt, quæ non adeò facilem reddunt *rectam*, *&*

rationa-

rationalem administrationem celeberrimi hujusce Febrifugi : quâ de re vide Therapeut. meam , tum Cap. 8. Lib. 1., tum maximè Cap. 5. Lib. 4. Sic & in Febribus frequenter recidivis satius est pedetentim progredi , nec illarum recursum statim reprimere ; sed ita præbere se temperantem, ut partim ex se ipsâ, partim remedii vi Febris deficiat. Neque pudeat Medicum , Ægris Chinam Chinam pro Febrium quarumdam suapte naturâ diuturniorum medelâ intempestivè poscentibus, respondere quandoque illud Ovidii

Quod malè fers, assuesce; feres bene; multa vetustas
Lenit ———

§. 36.

(a) M*Emoratu quoque* dignum est , quod in paulo ante citata Uratislaviensi Constitutione legitur de duobus Clarissimis Medicis Ricchardo Louver celeberrimo Anatomico, qui Elegantissimum Tractatum de Corde edidit, & Sohort, qui in febre continua ex temulentia orta Peruvianum Corticem sumpserunt, qui nono, vel undecimo die , aut circiter utrumque è medio sustulit. *(b) Nefas porro ducerem* omittere id quod refert Doctissimus Joannes Willelmus Rhambergius in Ephem. Cur. Nat. Decad. 3. Anno IX. & X., ubi narrat historiam cujusdam legionis pedestris , quæ prope Manhemium æstiva Castra posuerat , & paulo post 400. fere milites febre tertiana correpti fuere, quibus Chirurgus ad aliquot dies Chinam Chinam exhibuit , qui brevi omnes hydropici evasere cum omnimoda virium & appetitus prostratione.

(a) (*Memoratu quoquè &c.*) IN Febre Epidemicâ *per essentiam Continuâ* citatæ nuper Constitutionis Uratislaviensis, quâ occubuerunt duo illi Cl. Medici , jam dictum est supra , Peruvianum Corticem perperam usurpatum fuisse ; de quo abusu satis clamat Tractatus meus , ubi semper , si non ut noxius, (quod profectò non auderem asserere) saltem ut frustraneus in illiusmodi circumstantiis a me rejicitur. Quòd si contendatur, eam Febrem fuisse de genere Subcontinuarum a me descriptarum (quod tamen minimè admittam) certè, quocunque modo usurpatus fuerit a duobus illis Medicis Peruvianus Cortex , non fuit saltem usurpatus *Methodo meâ*, iisdem ignotâ, quod mihi sat est. Neque enim Febres *Perniciosas*,

ſas, nedum *Continuas*, ſed nec *Intermittentes*, Cortice *ſemper* curabiles dico, niſi ille *meâ Methodo*, quam idcirco *Specialem* appellavi, diligenter adminiſtretur; secùs ſi Methodus quælibet apta *ſemper* eſſet ad opus, *peculiarem* meam promulgaſſem incaſſum. Ita nempe obſervavi Mutinæ; atque haud aliter putarim contingere potuiſſe & Uratislaviæ. Singulari nihilominus animadverſione dignum eſt, quòd mors illorum Virorum, quæ contigit exacto, ut mos eſt, Acutorum ſtadio, *tam fidenter*, *tamque animosè* a Cl. Auctore imputetur Peruviano Cortici, quamvis extra rem aſſumpto; *qui* ſcilicet, ut facilè decernit ille, *utrumque e medio ſuſtulit* (quaſi de mortifero quodam pharmaco ſermo eſſet) minimè verò tribuatur *Temulentiæ*, aut *Continuæ Febri epidemicè graſſanti*, ac *populariter*, ut ſupra, *funeſtæ*. Profectò ego neſcio quid nominis pſeudo-propheticæ huic divinationi conveniat.

Divinationem ſanè, ſeu potiùs rationalem conſequentiam valde diſſimilem ex hoc alio Caſu (quoniam de Medicis incidit ſermo) eliciendam ego cenſuerim. Vidi nuper Medicum hujus Urbis laborantem Febre *Continuâ* ejus generis, cui verè proficuus judicio quoquè meo, minimè cenſendus erat Peruvianus Cortex: Febris namque vix de *Remittentium ſimpliciter*, non de *Subintrantium* ſtirpe videbatur. Comitabatur illam dejectio valde frequens, jactatio, & faucium ariditas. Poſt ſeptimam circiter morbi diem (quo tempore amicitiæ causâ ad illum inviſendum acceſſi) Diarrhœæ cœpit adjungi ſudor aliquis, inanis tamen, & nullius adhuc juvaminis. Nonnullos poſt dies, cum rurſus ad eum acceſſiſſem, narravit ille mihi, ſe morbi vim, & vehementiam perteſum, eo ipſo mane potaſſe pulveris Peruviani drachmas duas uno hauſtu; ægrè tamen, nec planè ex animo conſentiente Docto Amico ipſum curante: ſubdidit nihilominus, totidem pariter ejuſdem pulveris drachmas ſe potaturum poſtridie. Admonitus a me de probabili vacuitate hujuſce tentaminis, non ideo tamen abſtinuit; cum me ſatis noviſſet a remedii ſemel jam ſumpti repetitione minùs alienum, ac a primâ illius ſumptione, ſi fortè fuiſſem conſultus. Animoſior adhuc factus eſt ille, poſtquam ab ore meo excerpſit haud difficulter, omnem ſuſpicionem tandem reſtringi ad irritum tantùm, minimè verò ad noxium uſum Febrifugi quavis malitiâ carentis. Sumpſit itaque iterum Corticem, prout animo præconceperat; mox tamen ceſſavit, conſilio etiam meo, remedii modicâ jam doſi adhibiti effectum, quicunque indè emerſiſſet, tantiſper expectaturus. Accedente interim morbi ſtatu, & Diarrhœâ nonnihil mitiore redditâ, largior non parum ſudor cœpit erumpere; qui ad vigeſimam primam uſque diem protenſus, viſus eſt Febrim ferme penitùs extinxiſſe. Non proinde tamen ea ſubſtitit; ſed obſcuris motibus quotidie exacerbata, anſam rurſus paulò rationabiliorem dedit Ægroto (me quoquè non diſſentiente) ut Chinæ Chinæ parcioribus doſibus aſſumptæ vires iterum experiretur. Quod etſi ad plures dies tentaſſet, ſemidrachmâ nempe illius, primò bis, deinde ſemel in die epotâ; nihilominus ad trigeſimam quintam circiter diem protracta eſt integra judicatio Febris, conſueto temperatioris Diarrhœæ curſu, & ſpontaneis de more ſudoribus tandem ſoluta.

Poſt

Post illius solutionem ingenuè fassus est ille mihi, se primis quoquè morbi diebus morboso pariter nescio quo percitum œstro (cum aliàs nunquam in suis Ægris curandis quicquam tale peregisset) nonnullas ejusdem Chinæ Chinæ drachmas clam quidem omnino, sed & incassum potasse. Non ego idcirco unquam crediderim, sanationem hujusmodi, quippe seriusculam, & difficilem, hoc casu adscribendam Cortici; sed Naturæ, opus, quod jamdudum molita erat, tandem perficienti. Id potiùs exinde concludendum putarim: primò nempe, Chinam Chinam, sicuti hunc Medicum sanitati restitutum, me quidem judice, nequaquam sanavit; ita duos illos Medicos a Cl. Auctore citatos, & vitâ functos nequaquam interemisse: secundò, eventum hunc, aliosque non absimiles mihi observatos, semper magis in dies suadere posse, usum verè proficuum, & rectum Peruviani Corticis, nec ampliores, nec strictiores pati cancellos iis, qui a me fuere in Tractatu meo constituti: tertiò denique, Antifebrile istud verè Specificum, tam cùm apertè convenit, quàm cùm minùs videtur convenire, nullas evacuationes criticas, cujuscunque sint generis, a Naturâ institutas, aut præordinatas interturbare; ipsumque tantummodo forsan obesse posse nonnunquam, ubi præproperè Febrim seriùs curandam valeat sistere; non ubi vim suam Febrifugam nequit exerere.

(*b*) (*Nefas porrò ducerem &c.*) Nefas ego duxissem potiùs recensere historiam hujusmodi. Toxicum certè aliquod paulò ante contudisset necesse est in eo Mortario incautus Pharmacopola, in quo Chinam Chinam postmodum quoquè contudit; unde quadringentorum simul Abdominum inflatio subsecuta. Dixerit potiùs Relator historiæ, eâ de causâ, quâ tota ferme Legio illa decubuit, (fortè ob locum, victum, aquas, & aerem) plurimos ex iis militibus, ab imperito etiam Chirurgo Chinâ Chinâ sinè methodo oblatâ curatos, subtumidos quoquè, aut Lienosos factos fuisse; quemadmodum in Urbibus, aut Locis palustribus, Febrium æstivarum feracibus, sive adhibito, sive non adhibito Peruviano Cortice, quotannis videmus accidere. Si enim verè *hydropici prope Manhemium* 400. *illi milites omnes evasissent ob Chinam Chinam*, ut asseritur, *ad aliquot dies assumptam*; cum tantus sit apud nos, exprobrante Cl. Auctore, ejusdem Febrifugi abusus, jam hydropicorum chiliades Mutinæ numerarentur. Sed hujus ingenii historias, bonâ cujusvis veniâ, inter Fabulas liceat reponere. Scilicet ad has nugas, ad has vaniloquentias confugere opus est Cl. Auctori, ut suam, cui germanæ non suppetunt historiæ, Causam futilibus tueatur.

§. 37.

FEbres hujus generis, quæ ubi eò pervenerint, ut amplius non recalescant corpora, audio istic algidas à Practicis appellari, (*a*) *sed scito illos decipi*, nam febres algidæ alio nomine castrenses dictæ, à sui initio usque ad

finem

finem algorem habent comitem perpetuum, de quo vide Etmul. de Febr., Helmo. de Febr., Sylvium, & alios. *(b) Hinc magnum documentum* habere possunt castrenses Medici, quàm periculosum sit in febribus hujusce indolis hoc Febrifugo uti, nam in morbis hujusmodi generis (quod idem de Epidemicis dicendum) sanum consilium est pravos & malignos humores ad ambitum corporis per diaphoretica sensim promovere, potius quàm figere, & concentrare, uti fecit Chirurgus ille imperitus.

POst tentatas hactenus, & successivo particulatim ordine repetitas aggressiones Tractatus mei, generale quaquaversum certamen tandem indicit, & hinc illinc classicum canit Cl. Auctor, modò hanc pro re natâ, modò illam partem invadens; omnimodam demum totius Operis eversionem molitus. Deinceps ergo quò me trahet identidem Cl. Viri vexatio inconstans; eò tendet lacessita, ut tempestivè occurrat, præsens ubique defensio mea. Pergendum igitur.

(*a*) (*Sed scito illos decipi &c.*) Hospes adeò non sum in Medicinâ, ut Febrium nomenclaturas frequentiores ignorem, earumve differentias confundam, qui aliquando saltem novi distinguere, Ægrotante ne inspectâ quidem, Bubonocelen, sive Herniam intestinalem ab hysterico dolore, & solâ Subligaculi præscriptione (admotione verò Peritis commissâ) statim sanare indè ortam passionem Iliacam, cui antihysterica remedia, & incassum, & perperam quis adhibebat. Quòd si istiusmodi Intermittentes Febres, quas descripsi pag. 280. Therapeutices meæ, quæque Sextam apud me Perniciosarum differentiam constituunt, *Algidarum* nomine, quippe alio peculiari carentes, indigitavi; minimè propterea me *deceptum* puto. Quâ enim ratione *Continuæ* Febres, quæ *a sui initio usque ad finem algorem habent comitem perpetuum*, *Algidæ appellantur*, ut docet ex Tripode Cl. Auctor; eâdem quoquè ratione *Algidæ* nuncupantur a me *Intermittentes illæ*, quæ ab initio Accessionis usque ad finem illius, consueti caloris loco, eundem pariter algorem habent comitem perpetuum: hac unâ differentiâ adjectâ quòd illæ *Algidæ Continuæ* vocantur; istæ *Algidæ Intermittentes*.

Vix tamen hìc risum continere queo, mente recolens, quòd de hujusce nomenclaturæ novitate me criminari contendat Vir Cl., auctoritate Helmontii, Ettmulleri, & Sylvii in medium adductâ, cum non aliis ferme, quàm hisce Patronis Causam ipse meam possim tueri. Si enim de Helmontio sit sermo, nemo unquam præ illo Scriptore, in morbis, aliisque rebus explicandis vocum novitate Medicinam ferè dixerim inquinavit; & tamen minùs ægrè tulerunt Scholæ *Blas*, *Gas*, *Archeum*, *Alkaest &c.* Helmontii, ac ferat modò nomen *Algidarum Intermittentium* Cl. Ramazzinus.

De Ettmullero, & Sylvio non aliud dicam, nisi me ab utroque Scriptore *Algidarum*, seu *Frigidarum Intermittentium* denominationem didicisse. Ettmullerus siquidem Cap. 17. De Febribus pag. mihi 187. Febrium *Frigidarum* exemplum aliquod allaturus, statim *Tertianam Intermittentem* describit his verbis huc summatim translatis -- *Exempla Febrium frigidarum non tam a Sylvio fuerunt observata* (statim igitur auctoritate Sylvii semetipsum, & me tuetur Ettmullerus) *sed & mihi contigit observare &c. Erat hìc Artifex, qui laborabat perfectâ Tertianâ, seu recurrebat febris tertio quoquè die, anticipando semper duabus horis cum nullo subsequente calore &c. Paroxysmus ingruebat cum insigni rigore, & horrore gravissimo, qui ultra horam integram durabat; postmodum cum deberet succedere calor, nullus apparebat omninò &c. Paroxysmi observabant ordinarium typum, anticipando per horas duas.* Hæc Ettmullerus. Ne verò ulla suspicio incidat, hujusmodi *Tertianam* minimè fuisse *Intermittentem*, etsi symptomatis prædictis stipatam, sed fortasse Continuam, observetur quid in illius curationis progressu manifestè subdat ipsemet Scriptor - *Præscribo*, inquit, *die intermissionis &c.* & rursus, *Die intermissionis denuò continuavit Misturam &c.* Iciens ergo ictus est eodem lapide, ut assolet, Opponens Cl.

Prodeat tandem in Scenam & Sylvius, qui Cap. 30. De Febribus Intermittentibus §. 7., & 8., pag. mihi 241. hæc habet -- *Ratione Symptomatum graviorum (quemadmodum de Synochis jam dictum) nomina diversa sortitæ sunt Febres Intermittentes. Nam primò Algidæ observantur nonnunquam, non tantùm frigore præsertim, sed frigore tantùm molestæ; adeout aliquando, & frequentiùs levis, aliquando & rariùs nullus sequatur Calor. Tales etiam semper Algidas in Nosocomio Academico habuimus ita manifestas, ut non tantùm incipiente, atque augescente, sed etiam vigente, ac declinante, imò cessante Paroxysmo, idest semper, tum suo, tum Adstantium, tum Medicorum sensu molestè ubique frigerent, nunquam teperent, minùs calerent ullibi Ægri. Suntque hæ Algidæ graviores semper forsan Quotidianæ.* Hæc pariter Sylvius. Et hâc pariter occasione Asciam cruribus suis illisit Cl. noster Auctor. Mirumque planè, quòd ob tam decentem, quam respuit immeritò, nomenclaturam, velit auctoritate præsertim Sylvii me redarguere Vir idem Cl., cum potiùs habeat unde Sylvium ipsum corripiat, qui majore forsan pusillorum scandalo haud veritus fuit in Catalogum Febrium plures referre magis peregrinas, *Sputatorias* puta, *Ureticas*, imò & *Cacatorias*, Nasutulis fortè plurimis non benè olentes.

(*b*) (*Hinc magnum documentum &c.*) Maximum documentum, quod in *Algidis Intermittentibus* curandis possint habere tam Urbani, quàm Castrenses Medici, est, ut fidenter utantur Peruviano Cortice, qui teste experientiâ illas quotidie sanat; nunquam verò easdem sanant, quæ incassum tunc adhibentur Medicamenta Diaphoretica. Hujusmodi enim Febrifugus Cortex Fermentum omnium Intermittentium Febrium, etiam Perniciosarum, cujuscunque demum naturæ illud fuerit in diversis earum Speciebus, *absorbet*, sive, ut explicat citatus a Viro Cl.

Ettmullerus De usu, & abusu Præcipitantium, *invertit*, *attemperat*, *saturat*, aut etiam si ita placeat, *figit*, atque *concentrat* : quod perinde est, tum apud eundem Auctorem, tum apud me; in eo videlicet sensu, in quo explicui in Therapeutice meâ a pag. 43. usque ad 47., & non aliter. Quid igitur mali putat innuere Vir Cl., dum ait, etsi gratis, Chinam Chinam morbosa semina *figere*, & *concentrare*, si D. Hippocrates Lib. de Vet. Med. docuit apertè, *Concentratione*, & *permixtione meliora*, *ac mitiora omnia fieri in homine?* Tantum ergo abest, ut ex hujusmodi *Concentratione*, aut *Fixatione* Fermenti febrilis mole *perexigui* (intellige idcirco *concentrationem* illius intrà porosam Substantiam Corticis, non intrà viscera humani corporis) sive in *Algidis*, sive in *Æstuosis* Febribus quicquam sequatur incommodi; quin potiùs enervato æqualiter, & absorpto principio illo diversimodè hìc illic fermentante, omnes Intermittentium Perniciosarum Species etiam oppositæ, vel saltem, quæ tales nobis apparent, nempe tam de genere *Colliquativo*, quàm de *Coagulativo*, *victas dent manus*; quemadmodum annotavi, manuducente semper experientiâ, pag. 41., & 42. toties memorati Tractatus mei. De hoc itaque Febrifugo rursus affirmare liceat, quod generaliter olim de Remediis *Antifebrilibus* scripsit idem Hippocrates Lib. De Affectionibus, Illud nempe *Vim habere in Tertianis*, & *Quartanis Febribus*, *ut potum corpus conservet in consuetâ caliditate*, *ac frigiditate*, & *neque præter naturam calefiat*, *neque frigefiat*, ut cæteroqui in *Algidis* solet frigefieri, & in *Æstuosis* calefieri : eo enim ipso, quòd inhibet Paroxysmum febrilem, inhibet simul ejus comitem Algorem, ac Æstum, ut in historiis propemodum innumeris demonstravi toto ferme Libro Quarto ejusdem Therapeutices. Ut quid ergo inutiliter pugnatur ampliùs ratiociniis hinc indè fallacibus, ubi litem omnem dirimunt facta?

§. 38.

(a) V*Ide quæso mi Nepos* quomodo ex nimia facilitate præscribendi Peruvianum Febrifugum in febribus, hoc remedii genus factum fuerit adeo commune Chirurgis, Pharmacopœis, Agyrtis, & ipsis quoque Fœminis, ut non amplius in Medicorum potestate sit illud rite administrare, & si Medicus rationibus velit obsistere, ægri ipsi febris obstinationem fastidientes, inscio illo Quinquinam capiant, quale vitium in hisce regionibus satis obvium & familiare est, sed magno ægrotantium damno, qui pœnas luunt, postmodum hippochondriacis affectibus, chachexiis, ac lentis febribus correpti, ut postea

ſtea cogantur Medicos pro curatione accerſere, qui multis remediis, (b) *atque febres excitando* morbum vincant, & remedia quærant ad ſepultum ignem ſuſcitandum, in quem finem laudatus Etmullerus ſpiritum ſalis armoniaci commendat, & (c) *ficus Pharaonis*, qui tertianas febres excitare creduntur. (d) *Novum non eſt ignem febrilem* penes prudentes Medicos ſuum uſum habere. Sic Celſus ſcripſit *licere febres parvas augere, fortaſſe enim curationi opportuniores fient*. (e) *Aureus* extat locus apud Hippocratem de febre, quæ in Apoplexia interdum accenditur, qualem locum obſervat Ballonius Medicus experientiſſimus, nam ſi Apoplexia ſit ſine febre, venam ſecandam ſuadet, ſi vero cum febre præſertim acuta, à V. S. omnino cavendum, ipſi enim Naturæ arma præripimus, quibus hoſtem ſuum potuiſſet confodere. Alter locus Hippocratis extat in Libris Epidemiorum, *Puerperis convulſis ignem fac*, ajebat ille, hoc eſt febrem magnam excitato, febris enim continua græce pyr dicitur, parva autem pyretos. Idem præſtat ignis febrilis corporibus male affectis, ac ignis agris humidioribus.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,

ajebat Virgilius in Georgicis, varias quidem rationes inibi affert Poeta vere phyſicas, ſed illa potior eſt, cum ait

——————ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor.

(a) (*Vide quæſo mi Nepos &c.*) IPſam Peruviani Febrifugi excellentiam ſibimet aliquando obfuturam; adeòque fore, tum ut fauſtorum eventuum frequentia illius *abuſum* apud imperitos accerſat, tum ut ex hujuſmodi *abuſu* aliquod quoquè fundamentum acquirat Adverſantium dicacitas, pro eo excludendo etiam tunc cum legitimè deberet admitti, jam pag. 383. Therapeutices meæ ſum pridem vaticinatus. Neque tamen uſum rectum apud gnaros ſupprimendum credam, ne apud ignaros invaleſcat abuſus. Quòd ſi *nimiæ in præſcribendo Peruviano Febrifugo facilitati* imputet Cl. Auctor, quod remedium hocce, inter pretioſiora certè ſervandum, *factum ſit commune Chirurgis*, *Pharmacopæis*, *Agyrtis*, *& ipſis Fœminis*, jure potiori imputabo ego *nimiæ facilitati* Obtrectatorum illius

in eo proscribendo, quòd præstantissimum, & tutissimum hujusmodi Medicamentum hodie apud Uulgus audiat pro Pharmaco ancipiti, quod (ut olim de phlebotomiâ in Apoplecticis scripsit Celsus) Ægrotantes *vel liberet*, *vel occidat*: quo fit interdum, ut illud, magno cæteroqui in pretio, & honore habendum, vilescat; sitque non modò (æquè indecenter quidem) nunc usui, nunc ludibrio *Chirurgis*, *Pharmacopæis*, *Agyrtis*, *atque Mulierculis*; verùm etiam in Fabulis materiam dicteriorum suppeditet vel *Pueris ipsis*, & cuicunque insimul libet claudicare cum simulantibus Claudum, & pro re natâ cum Pueris puerascere.

(*b*) (*Atque Febres excitando &c.*) Ad suscitandam iterum Febrem a Chinâ Chinâ depulsam Remedium certissimum est, nec ullum aptius prostat (quid enim aliunde emendicat Cl. Auctor?) quàm quælibet paulò post instituta purgatio, ut dictum est nuper, & latiùs adhuc olim pag. 125., 152., & 153., imò & exemplo confirmatum pag. 416. ipsius Therapeutices meæ: nisi fortè inter ipsam Chinam Chinam, & Purgans aliquod peculiare, V.G. de amaricantium Stirpe (quod quis observarit, quodque ego haud satis experiri studui) detur aliqua Symboleitas, quæ mutuum eorum nexum facilè ferat, & sinè dissidio patiatur. Utcunque; generalis hæc Peruviani Corticis, nescio an dicenda mira proprietas, an potiùs infirmitas; quòd nempe ab assumpto quovis vel levissimo Leniente, hujusce Febrifugi virtus adeò infringatur, & langueat, ut redeat statim Febris antea fugata, hæc inquam proprietas, Medicis haud satis expertis (hujusmodi sunt omnes, qui hæc non callent) minùs perspecta, in causâ forsan aliquando fuit, estque etiamnum, ut Auctores nonnulli cæteroqui docti, ad educendam, ut putant, e corpore Causam febrilem, ipsi Chinæ Chinæ admisceant Purgantia Medicamenta, vel post biduum, aut triduum in eundem finem ea præscribant, vel, ad alvum, ut identidem assolet, stypticam leniendam, etiam post octiduum: quo fit persæpe, ut frustranea verè in primo casu evadat Febrifugi oblatio; in posterioribus verò casibus culpetur idem Febrifugum de inopinato Febris reditu, vel de pejore etiam noxâ, si Febris per Catharticum revocata redierit gravior: cum tamen culpa omnis verè sit adscribenda purgantibus, utut levissimis, perperam commistis, aut subinde superepotis, ut crebra diligentes Scriptores, Observatoresque docuit experientia. Sic omnino quidem injustè damnatâ ab uno, vel altero Auctore minùs attento Chinâ Chinâ insonte, plures postmodum in fide alienâ eidem condemnatoriæ jejuni prorsus, & inexperti subscripsere sententiæ.

Nec minùs hodie forsan hallucinantur nonnulli, Chinæ Chinæ virtuti eousque fidentes, ut illam æquè sartam tectam putent a Purgantium injuriâ, si eadem post epotum, ac si ante epotum hujusmodi Febrifugum assumantur; quod profectò experientiæ quotidianæ manifestè repugnat, prout pluries, ac pluries observavi. Solvens equidem Medicamentum ante Chinam Chinam præscriptum futuram Corticis in futurum præscribendi actionem non impedit; subsequens autem delet de more prægressam. Quòd si quis, dum Chinâ Chinâ utitur, intermisceat quoquè usum Purgantis cujuspiam; sed pari simul passu, &

dosi æquè liberali in ejusdem Chinæ Chinæ oblatione etiamnum perseveret; is forsan damnum, quod Purgans intulit, neutiquam dignoscet, quia veneno nova successit antidotus; facilè tamen dignosceret, si purgante exhibito, a Corticis postmodum exhibitione feriaretur paulisper; Febre scilicet ante novam Febrifugi oblationem iterum redeunte. Ad quid igitur Sisyphi saxum rotare inutiliter, vel texere vicissim, atque retexere telam Penelopis? At de hoc jam satis. Redeamus ad Virum Cl., pro suscitandis Febribus intempestivè depulsis remedia quærentem.

(*c*) (*Ficus Pharaonis &c.*) De *Ficu febriferâ*, quam *Pharaonis* appellant, quamque in Sardiniâ in Ducatu Galuriæ abundè reperiri ferunt, fusè loquitur Badus (quem deinde secutus est Morton) de Cortice Peruviæ Lib. 1. a pag. 125. ad 129., adducitque auctoritatem Hieronymi Cardani, & testimonium de visu Petri Aponensis. Hæc tamen, nec forsan immeritò, inter fabulosas narrationes referunt plurimi. Sed quid, si Ficum febriferam Pharaonis inter Fabulas recenseret, simulque temerariam assereret, imò & a nostrâ potestate longè dissitam praxim ipsam excitandi Febres, pro aliorum morborum medelâ, eamque idcircò rejiceret, & derideret idem, qui modò laudat, Cl. Ramazzinus? Audiamus illum denuò in Orat. tertiâ Jatrici Argumenti pag. 94., & 95. ita loquentem, etsi aliàs quoquè in memorabili *Collatione* Textuum illius audiverimus lit. N. O. P. -- *Cum in universâ Morborum classe nullus extet nobis hostis infensior, & cui minùs fidere oporteat veluti Febris, attamen eò audaciæ ventum est, ut inter Quæstiones medicas sit, num ad alios morbos curandos Febrem excitare liceat* (quid ergo dicendum de affirmativâ sententiâ, si tam audax est sola Quæstio?) *eò quòd interdum in quibusdam affectibus, veluti convulsione, & hypocondriorum dolore, superveniens Febris remedii loco fuerit, quasi in nostrâ potestate sit ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipsum restinguere. Quam libenter scirem, quodnam corpus, sive de genere simplicium, sive Compositorum prostet, quo quis Tertianam Febrem, Quartanam, Synocham, vel quamcunque aliam excitare possit. Pro Fabulâ enim accipitur, quod quidam de Pharaonis Ficu referunt, quam ajunt Tertianam Febrem excitandi vim habere.* Sic suis ipsius pennis capitur Cl. Auctor. Sed pergamus.

(*d*) (*Novum non est ignem febrilem &c.*) Ignem febrilem, quando debitam succorum ebullientium *despumationem* promovet, suum usum habere penès prudentes Medicos, latè dixi & ego in Opere meo Cap. 8. Lib. 1., præcipuè pag. 143, & Cap. 5. Lib. 4., præsertim pag. 536.; secùs verò, quando eorundem Fluidorum immanem effervescentiam, *corruptelam*, aut in visceribus stagnationem producit, sive illam consequitur. Num verò ad *ancipitem* hanc succorum *defæcationem* quærendam, *liceat* prudenti Medico sequi Consilium Celsi, *parvas nempe Febres augere, ut curationi fortasse opportuniores fiant*; ex ipso audiamus iterum Cl. Ramazzino, qui ex professo hanc quoquè Quæstionem eâdem pag. 95. Orat. Jatrici Argumenti resolvit his verbis. *Non absimilis priori* (videlicet nuper expositæ) *est alia Quæstio, non adeò tamen audax, quam habet Celsus, num Febrem lentam augere*

 liceat,

liceat, ut curationi opportunior fiat. Verùm quàm ſuſpecta, & quàm infauſti ominis ſint beneficia, & dona, quæ ab hoſte proveniunt, ſatis compertum eſt, ut vetus proverbium admonet, Hoſtium munera non munera. O quàm egregiè in hanc rem Seneca. Graviſſima infamia eſt Medici, opus quærere: multi quos auxerant morbos, & incitaverant, ut majori gloriâ ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magnâ miſerorum vexatione vicerunt. Ita & hanc Quæſtionem adversùs ſemetipſum reſolvit Vir Clariſſimus, ex eodem ore calidum pariter, & frigidum efflans, ut eandem Pultem calefaciat, & frigefaciat pro libito.

(*e*) (*Aureus &c.*) *Aureus* potiùs uterque *locus* eſt Cl. noſtri Auctoris nuperrimè recenſitus, dignuſque planè, quem obſervaret Ballonius, ſi modò viveret, ut cum Hippocratis, & Celſi Textibus conciliaret. Sed ſive ex auro, ſive ex aurichalco fuerint loca per Cl. Virum allata, locum certè ullum nequeunt habere, ubi Febris *Corruptiva* per Corticem tempeſtivè, methodicè, ac verè ex arte fuerit ante depulſa. An verò eâdem poſitâ, quæ ſolùm poni debet, *Corruptrice* Febre, locum opportunum habeant tot alia ex Græcis dictionibus ſatis notis, & ex Virgilii Georgicis huc gregatim, confertimque translata, ne dicam intruſa, non quæram. Quiſpiam fortè animoſior haud planè importunè huc traheret Jambos illos Nicoſtrati,

Loqui ſi indeſinenter, multaque & velociter
Prudentiam indicaret; utique hirundines
Fortaſſe quàm nos ſapere dicantur magis.

§. 39.

NOn *ſemper* terreri Medicum decet, ſi videat in febribus calorem augeri, *pus* enim *fit* ajebat laudatus Ballonius, hoc eſt humorum maturatio, merito itaque reprehendit idem Scriptor eos Medicos, qui in febribus cum videant calorem augeri, mittunt ſanguinem, quod procul dubio non facerent, ſi abſceſſum viderent in parte aliqua externa, nam potius maturantia, & calorem foventia, quàm V. S. & refrigerantia adhiberent, *quæ enim ſuppurantur non revertuntur*, ajebat Hippocrates, *ipſa enim maturatio judicatio ſimul & abſceſſus*. Haud aliter evenit in periodicis præſertim febribus, ex uſu Quinquinæ intempeſtivo, impeditur illa humorum maturatio, quam Natura intendebat, hinc poſtea habitus cachectici fiunt, & diſpoſitiones ad hydropem.

(*Non*

(*Non semper &c.*) CAlorem Febrium etiam intensiorem, ac sensibiliter adauctum non semper debere Medico terrorem incutere; sed esse pluries verum opificem intestinæ secretionis heterogenearum particularum dissidentium ab invicem, turbasque effervescentis sanguinis excitantium, ac proinde esse quoquè non rarò instrumentum bonæ Judicationis morbi; tum locis nuper citatis in Paragrapho antecedenti lit. d., tum alibi in totâ Therapeutice meâ adeò inculcavi, ut fortè nimiùm. *Neque enim* (ajebat Galenus in Comment. Aphor. 12. primæ Sect. Hippocratis) *neque enim fieri potest, ut magna incrementa suscipientibus accessionibus, non proxima sit Morbi consistentia*, ac per consequens ipsa impuritatum ebullientium secretio. Atque hanc a Naturâ expectandam potiùs nobis esse, si probabiliter queat expectari, quàm intercipiendam, aut quodammodo impediendam Chinâ Chinâ, quâ solùm absorbetur Fermentum effervescentiam gignens, ac fovens; iisdem pariter locis, atque insuper pag. 356., & 357.; item pag. 544., ac 545. apertissimè prodidi: cum verè melior, ac perfectior censenda sit (ut ibi sum fassus, atque iterum repeto) judicatio Febris, quæ sponte fit ab ipsâ Naturâ, *perfectè, ac integrè* judicante, quàm quæ obtinetur a Cortice Peruviano, aut alio quovis Absorbente Specifico. Ac propterea verum nonnunquam erit, aut esse poterit (nec tamen perpetuò) quòd ubi adauctus Febrium æstus ad *depurationem* tendat, ex *usu Quinquinæ* tunc, ut ait Cl. Auctor, revera *intempestivo*, *impediatur illa humorum maturatio, quam Natura intendebat*.

Id autem certè non est de nihilo; etiamsi non adeò facilè indè *fiant habitus cachectici, aut dispositiones ad Hydropem*, ut sinè ullâ hæsitantiâ ipse decernit; quasi ex solâ Febrium, Cortice nullatenus curatarum *diuturnitate* Cachexiæ nunquam contingant, aut Hydropes, de quo vide Therapeut. meam pag. 179.; & quasi eodem Cortice ritè administrato non curentur eædem Cachexiæ, aut dispositiones ad Hydropem ab ipsâ Febrium *diuturnitate* prodeuntes, ut experientiâ multiplici confirmarunt Raymundus Restaurandus, Cap. *De Hydropis succedentis Febribus curatione ope Chinæ Chinæ*, ac alii quamplures; imò quasi suppressis etiam intempestivè Febribus, quandoque Natura non queat Fermentum ipsum febrile, præmaturè licet absorptum, sponte subigere, aut ad illius perfectam expulsionem converti; & quasi denique, redeuntibus nonnunquam post Corticem, sive præmaturè forsan, sive etiam tempestivè administratum, Febribus, aliquem rursus iisdem progressum permittendum esse ipsemet non suadeam, priusquam repetatur Febrifugum; vel ad omittendam planè illius repetitionem non horter Medicos pag. 31., 339., & 340. Therapeutices meæ, quoties levior, ut crebrò assolet, illarum recursus solutionem quoquè spontaneam, ope ipsius febrilis æstus *depurativi* jam redditi sensim promovendam, haud longè distare prænunciet. Ad quid ergo futiles istæ Viri Cl. Declamationes nonnisi aerem ferientes?

Quia verò idem sæpenumero Febrilis æstus (ut vela contraham) in *diuturniorum Intermittentium* progressu succos nutritios potiùs exhaurit,

haurit, cruoremque ipſum per repetitas deflagrationes ſpiritibus depauperat, graviaque ſenſim accerſit etiam ſymptomata, ut *corruptionis* potior ſit metus, quàm ſpes futuræ *depurationis* : item cum in iiſdem Intermittentibus, mox Subintrantibus, ac dein *Subcontinuis* redditis, cum ſymptomatis peſſimis in dies increbreſcentibus, ille idem æſtus acutiem certò, mox & necem probabiliter interminetur : denique cum in ipſis Intermittentibus quidem, ſed *Perniciosis* (& hæc eſt rerum ſumma) laudatus nuper a Viro Cl. hujuſmodi febrilis calor, nonnunquam & funeſtus algor, certam, ultimam, & inevitabilem, nedum portendat, ſed & jam inferat cladem ; propterea in hiſce caſibus, & circumſtantiis, in quibus tantùm Peruvianum Corticem abſolutè laudat Therapeutices mea, & quidem adhibitum Methodo pro caſuum varietate pariter variâ, ipſum proſcribi eo nomine, *ne videlicet impediatur illa humorum maturatio*, quam in Febribus *ſalutaribus* promovere nonnunquam ſolet calor adauctus, minimè admittam; etſi mille Hippocratis, & Ballonii Textus ad ſuam ſententiam detorquere conetur idem Cl. Auctor.

§. 40.

H*Æc olim* non ignota erant Medicis Mutinenſibus meorum temporum, uti D. Joanni Manzino Viro ſane doctiſſimo, ſed Chinæ Chinæ nimis infenſo, D. Joanni Baptiſtæ de Grandis, D. Scajolæ Equiti, D. Antonio de Abbatibus, D. Antonio Ferrarino, Viro, ſi quis alius, omnigenæ eruditionis, Protomedico vere digniſſimo, hactenus ultimo eorum, qui in Aula Eſtenſi hujuſmodi titulo fuerint inſigniti, aſt ii omnes jamdudum è vivis exceſſere ; vivit tamen adhuc D. Franciſcus Tonanus feliciſſimus Practicus jam ſenex, Platonis ætatem prætergreſſus, qui eorum quæ diximus teſtis eſſe poteſt, ſcitque ipſe quàm raro, quam caute à laudatis Viris præſcriberetur in quibuſcumque febribus Peruvianus Cortex, ut pote quem ſuſpectum habebant, & infidum, cum nihil de cauſa morbifica viderent excerni, ac idem evenire, quod interdum in Corporibus à Chacodœmone obſeſſis evenit, quando ab Exorciſta malignus ſpiritus ſolum in aliqua parte figitur, ſed non expellitur.

(*Hæc olim &c.*) MEdici Mutinenſes *temporum Viri Cl.*, meorum quoquè fuere temporum. Cum enim ille Mutinam primò domicilium tranſtuliſſet Vir jam maturus; tum verò Praxi medicæ primam ego navarem operam Adoleſcens, Concives meos optimè noveram ante adventum illius, non in Exedris, ut longè ſeriùs, ſed in Cuneis tunc ſedentis. Eorum ferè omnium trepidationem, cunctationem, imò & averſationem, quò ad recipiendum Chinæ Chinæ uſum, vivente Fraſſono Præceptore meo (qui primus Mutinam advocavit hocce Febrifugum, ſtatim ac illud in Europam cœpit deferri) ſatis in propatulo poſui pag. 4. Therapeutices meæ. Sed antiquiores illi priorum temporum Mutinenſes Medici (rectiùs dicam omnes ferme illius ævi) quidquid novi Arti acceſſiſſet, quod non noviſſet Galenus, pro commentitio reputantes, nedum de Chinæ Chinæ uſu tunc apud eos naſcente; ſed de ipsâ quoquè Sanguinis Circulatione, de Chyliferis ductibus, aliiſque ad oculum patentibus Inventis haud modicè dubitabant; veterem adhuc Hepatis hæmatoſim, Facultates Viſcerum attractrices, & mille alia figmenta contra mechanicum humani Corporis artificium, quod manibus contrectamus, acriter ſuſtinentes. An propterea Medici hodierni deliramenta hæc nequaquam ſecuti, aliamque cohærenter ad detecta exercentes praxim, ut Nugatores, aut Novatores improbi erunt damnandi?

Addo tamen hìc, quod in eodem Opere meo pag. 5. innui, videlicet, poſt obitum egregii illius Viri, qui contigit anno 1680., plures eorum paulatim mutaſſe ſententiam, & Peruviano Cortici humaniores evaſiſſe. Hujuſmodi fuit inter cæteros D. Antonius Ferrarinus Archiater certè dignus, qui ſibi tranſmiſſam in Schedulis a Celeberrimo Malpighio Talbotii Methodum, mihi de mandato ipſius Malpighii libenter, & ex animo communicavit, laudavitque; cum cæteroqui antea fuiſſet ab hoc Remedio omnimodè averſus, ut conſtat pag. 184. Therapeutices meæ hiſt. 16. Ille namque fuit, quem ibidem deſcripſi Fraſſono repugnantem, quamvis nomen illius, quod tunc aperire haud opus erat, ſubticuerim; quemadmodum pag. 438. hiſtoriâ 6. & pag. 442. hiſt. 8. ſubticui quoquè nomen D. Franciſci Tonani, ante paucos menſes, poſt editam nempe Cl. Auctoris Diſſertationem vitâ functi; ſed cujus teſtimonio nihilominus non indiget prævia confeſſio mea. Miror verò, quòd Catalogum Medicorum Mutinenſium ſui temporis contexens Vir Cl., Virum digniſſimum D. Antonium Fraſſonum unicum Præceptorem meum prætermiſerit, de ſe quoque bene meritum, & Chinæ Chinæ in hac Urbe primum, ac celeberrimum Fautorem, Medicumque experientiſſimum, qui unus tot ſaltem Ægrotos quotidie inviſere conſueverat, quot inviſebant conjunctim omnes alii a Cl. Auctore hic recenſiti: ſimulque miror, quòd tot alios ſuppreſſerit, eodem Febrifugo, præſertim poſt Fraſſoni obitum, palàm utentes; quaſi ſolummodo a Cl. Ramazzini diſceſſu itrepſerit in hanc Urbem merx vetita, & contagioſa Peruviani Corticis.

Parcant, quæſo, Manes Viri Critici, Medicos Mutinenſes hodiernos Antiquiorum ſeveritate caſtigare molientis, parcant inquam, ſi

& hac in re, quæ opinabilis non eſt, ſed hiſtorica, illum inconſtantiæ redarguere cogor, & contradictionis planè inexcuſabilis. Inquit ille hoc Paragrapho, *Medicos Mutinenſes ſuorum temporum rarò admodum præſcribere conſueviſſe in quibuſcunque Febribus Peruvianum Corticem, utpote quem ſuſpectum habebant, & infidum &c.* Ante annos verò 24. (quod non breve eſt temporis ſpatium) anno ſcilicet 1690., dum priorem ſuam de Conſtitutionibus Epidemicis Mutinenſibus Diſſertationem conſcriberet, uteretur autem ſatis liberaliter, forſan & præ aliis, Peruviano Cortice; neſcio quo actus tunc ſpiritu, *Medicis Mutinenſibus ſuorum temporum* hac eâdem de Causâ, quòd nempe Chinâ Chinâ eâ Conſtitutione fuerint uſi, Num. 15. ejuſdem prioris Diſſertationis pag. 17. Edit. Patav. ita ſuccenſuit -- *Major itaque pars Medentium apud Noſtrates* (ſemper illi cum majore hujus Urbis Medicorum parte lis eſt) *ut vulgi calumniis, & aſſiduis Ægrorum querimoniis ſe ſubducerent, in hac Tempeſtate ad Peruviani Corticis ſacram Anchoram confugere, at parum proſperè; nam in periculoſiores ſcopulos Ægrotantes ſuos perſæpe deduxere. Uſu Febrifugi per aliquot dies equidem ſub doloſo cinere latebat ignis; verùm poſtliminio violentior recandeſcebat. Qui tamen peritiores erant, ac rebus Ægrotantium magis quàm propriæ ambitioni conſultum volebant, Nabant ſine Cortice.* Major ergo Mutinenſium Medicorum pars anno etiam 1690. Peruviano Cortice utebatur, imo & abutebatur, ſi Cl. Auctori habenda ſit fides. Sed illum fortaſſe paulò poſt ſuaſit religio quædam, ut ad leniendam hujuſmodi ſugillationem molliora hæc verba ſubdiderit in ſecundâ Conſtitutione, anni videlicet 1691. Num. 34. pag. 126. -- *Sicuti præcedenti anno Peruviani Corticis uſus in Quartanis ac diuturnis Febribus improſperè ceſſit, ita hoc Anno ſaluberrimus fuit; & ii qui paſſi ſunt recidivas, Febres mitiores poſtmodum experti ſunt, ac antequam Hyems accederet, perfectè convaluerunt:* quod & propè finem rurſus confirmavit Num. 37. ejuſdem ſecundæ Conſtitutionis pag. 131. ſic inquiens -- *Sicuti in ſuperioris Anni Conſtitutione noxius fuit Chinæ Chinæ uſus, ut adnotatum, ita in hac ab illâ toto Cœlo diversâ valde ſalubris compertus eſt; multi quidem Quartanarii hoc Autumno per Urbem vagari viſebantur, ſed quot quot ad hoc remedium confugere, vel integrè ſunt reſtituti* (poſſunt igitur, ipſo fatente, non ſolùm *inducias obtinere*, ſed & ſinè Febris recurſu, & ſinè noxâ *integrè reſtitui* Ægrotantes, abſq; eo quòd eadem Febris *tacitè cubet, & corpus eorum depaſcat*) *vel ſi nonnulli recidivas paſſi ſunt, paulo poſt convaluere.* Ex his omnibus, ut reor, ſatis patet, Medicos Mutinenſes, non aliquot tantùm, ſed *majorem*, ut inquit, eorum *partem*, modò quidem *feliciter*, modò, ut aſſerit ille, *improſperè*, temporibus Cl. Auctoris Chinâ Chinâ uti conſueviſſe: atque ita quidem, ut ejus Cenſuram de intemperantiâ minimè declinare potuerit vetuſtior ille Virorum Cœtus, qui modò ut maximè temperans in medium adducitur in reprehenſionem hodierni.

Quòd ſi curioſus quiſpiam, qui Catalogum eorum legerit Medicorum, quos Vir Cl. quinario tantùm, vel ſenario numero comprehenſos voluit, alium pariter Catalogum, non totidem tantùm, ſed plures

Profeſ-

Professores Cortici amicos continentem, præ oculis habere desideret; occurrent primo statim loco recensendi, quippe temporibus Viri Cl., & quidem valde remotis florentes, modò verò è vivis sublati, laudatus nuper D. Antonius Frassonus Chinæ Chinæ celebris administrator, D. Annibal Cervius Cl. Auctoris antiquus olim Antagonista, adeòque eidem notissimus, nec non D. Marcus Antonius Montagutus Medicus quondam Aulicus eximius, quo vivente nedum ego, sed & ipse non multò post D. Ramazzinus (qui cæteroqui, ut doctrinâ, ac ætate me longè præibat, ita & ordine temporis, ac dignitatis merebatur præire, nisi aliter Domino placuisset) ad Serenissimi Francisci Secundi gloriosæ memoriæ Ducis extraordinarium Famulatum fuimus acciti; ut proinde quinam in usurpandâ Chinâ Chinâ fuerit mos Aulici illius, & doctissimi Professoris, cùm viveret nobiscum agentis, ipsum Cl. Ramazzinum nequaquam latere potuerit; occurretque demum inter recentiùs defunctos D. Joseph Candrinus, eidem Cl. Auctori Præceptori quondam suo sat notus. His accedent secundo loco, viventes adhuc, & bene valentes (memetipsum omitto, quem inter Juniores olim meritò collocandum diceret Vir Cl., novus tamen & ille in hac Urbe, cùm ego novus in Praxi) occurrent, inquam, inter adhuc viventes D. Jo: Baptista Riccius Practicus pariter notissimus provectioris ætatis, D. Paulus Floranus ætate simul, & experientiâ spectabilis, qui tempore militaris incendii Genuensis Urbis, ubi domicilium contraxerat, in Patriam concessit iterum, Genuensis pariter Badi Chinæ Chinæ Propugnatoris celeberrimi sensibus imbutus, vivâque ipsius voce etiam instructus; tandemque Aulicus ipse Collega meus, scientiâ, & eruditione Clarissimus, D. nempe Johannes Baptista Davinius: Viri sanè omnes, & Docti, & Peruviano Cortice usi temporibus Cl. Auctoris, eodemque etiamnum pro re natâ, nec raro, nec trepidanter utentes, sed simul nec abutentes, ut ex quamplurimis visitur, quos recensere tædiosum foret, meæ Therapeutices locis. Sed quid si inter alios abundè Chinâ Chinâ utentes numerandus foret Auctor ipse, nec non etiam (ultimis quidem temporibus) illius Nepos, qui tamen dicitur Relator abusus, aut criminis, cujus est complex? Absit tamen, ut id ulli eorum exprobrem, de quo mitius judicium infra ferendum mihi §. 49. An verò quisquam ex iis Professoribus, quorum non meminit Vir Cl., quia illum non meminisse juvabat, putarit, aut putet, *Malignum Causæ morbificæ Spiritum veluti exorcizatum figi a Chinâ Chinâ in aliquâ Ægrotantium parte* (ut quodammodo fieri videtur ab illis, qui eam semel oblatam non ampliùs offerunt, unde febrile fermentum per temporaneam absorptionem nonnihil figitur, sed non planè subigitur) an potiùs putet, *Spiritum* illum ab ægrotante corpore penitùs *expelli*; meum non est investigare. Ad me quod attinet, si fortè uspiam, in Ventre porrò inflato (Jubet seriis ludicra quandoque miscere) quadringentorum illorum Militum, de quibus §. 36., verum Cacodæmonem a Maleficâ Chinâ Chinâ, vel a Chirurgo Incantatore illùc relegatum, delituisse crediderim.

§. 41.

QUinquinam autem facultatem figentem habere *(a) pro re certa suppono*, cum motum sanguinis, & spirituum compescat, & alvum ipsum densiorem faciat, observatur enim, iis qui ad plures dies hoc remedio usi fuerint, ventrem adstringi, ut clysteribus indigeant: vim hanc hujus Febrifugi fluida quæque in nostris Corporibus cogendi, talem esse credidit *(b) Gedeon Harveus*, ut scripta hæc verba reliquerit, *omnes evacuationes supprimit China China per se, sed non per accidens*.

(*a*) (*Pro re certa suppono &c.*) S*Upponit pro re certâ* Cl. Auctor, quod ab aliis Scriptoribus admodum controvertitur, & a quamplurimis mordicùs negatur, *Quinquinam* scilicet *facultatem figentem habere*, *& vim Fluida quæque in corporibus nostris cogendi*. Recèns tamen acquisita hæc est eidem cognitio, cum §. 4., 5., & 6. *ignotam illius*, *abditam*, *secretam*, *& incompertam adhuc virtutem*, *humanum captum excedere*, constanter asseruerit, pleno ibidem hæc decantans gutture. *Diu equidem*, *sed frustrante diligentiâ a sagacioribus Medicis allaboratum est circa hunc Corticem*, *ut aliquid proferrent*, *quod animum veritatis avidum expleret*; *sed vincit adhuc natura latendi &c.* Quòd si iis in locis se locutum dicat de solâ Virtute febrifugâ sibi verè occultâ; hìc verò de solâ figente sibi notâ, tamquam de duabus rebus toto Cœlo diversis; itaut in vi figente, & notâ nullatenus consistat febrifuga occulta: ut quid, quæso, in totâ Dissertatione soli Virtuti occultæ, quæ febrim pellit, irascitur Auctor Cl., nec pugnat unicè contra Figentem damnosam; quam tamen corrigere posset (si adesset illa) per contraria sua satis obvia sinè detrimento Febrifugæ in abscondito degentis?

Verùm ut isthæc quoquè sileat de Figente Peruviani Corticis Facultate fallax cantilena; aliud est, Chinam Chinam compescere turbas febriles effervescentis *præter naturam* sanguinis, absorbendo fermentum illud *acidum*, seu *salso-acidum*, quod §. 46., ut videbimus, adstruit pro Causâ Febrium Intermittentium idem Cl. Auctor; aliud est, figere motum ipsum *naturalem* cruoris, atque spirituum, cæterorumque fluidorum, ut valde crassâ æquivocatione videtur ille confundere, Ocream fronti quasi applicans, & Galeam tibiæ. Quid quæso spirituum agitatorum, aut irritatorum turbas sedat, compescit, & consopit magis, quàm Opium, ut habet §. 5., & 48. Vir Cl.? Et tamen ex hoc ipso virtutem eidem Opio rarefacientem potiùs, quàm densantem fluida, tribuit, mechanicâ adductâ ratione, Pitcarnius adversùs Ettmullerum

Dissert.

Differt. De Circul. Sang. in Anim. gen. , & non gen. Quòd si cum eodem Ettmullero , quem libentiùs sequitur Vir Cl. , *absorptionem* ipsam Fermenti febrilis, mole dubio procul perexigui , velimus donare nomine *fixationis* , *attemperationis* , vel *saturationis* illius, quæ omnia idem sonant apud eundem Auctorem ; facilè in Cl. Opponentis castra descendam : dummodo liberiorem subinde fieri fluidorum motum , cùm circularem , tum fermentativum concedat ; nec plus *figi a Chinâ Chinâ* sanguinem velit , quàm *figatur a Chalybe* , qui pariter dicitur Acidum obstruens *absorbere* , dum ad Chlorosim V. G. curandam , aliasve tollendas ipsius sanguinis stagnationes assumitur ; de quibus vide latè Therapeut. meam a pag. 43. usque ad 47. Verùm historias potiùs Febrium Syncopalium , Lethargicarum quoquè , si lubeat ; sed præ cæteris Algidarum , Peruviano Cortice sanatarum , ubi marmoreum frigus , & micatio pulsuum jam ferme abolita , stagnationem , aut fixationem ferè omnimodam cruoris , atque spirituum apertè prodebat , lustrare sufficit , eamque signatè , quam proprio testimonio firmare potest , ni renuat , ipse Cl. Auctoris Nepos , pag. 444. recensitam . Ex subitâ namque eorundem pulsuum elatione , ex calore quaquaversum ad exteriora diffuso &c. facile erit dignoscere , an China China illis casibus *Cruoris* , *Spirituum* , *& Fluidorum omnium fixationem* induxerit .

Per hoc verò , quòd Febrifugum istud de more *alvum densiorem faciat* (quod facilè admiserim , etsi non paucis quoquè identidem solvat , reddatque laxiorem) nolim deduci a Viro tam docto , eâdem ratione figi *Spiritus* , & densari *Sanguinem* , quâ densantur feces alvinæ . Pudet hæc ulteriùs persequi : proinde liceat tantùm reponere , Vina generosa , & meraca , si austeriora sint , ut austeriusculus est Chinæ Chinæ sapor , alvum adstrictam facere : interim tamen sanguinem , aut spiritus non figere ; sed in ebrietatem magis quàm Vina tenuia , dulcia licèt , ac alvum laxantia , compellere .

(*b*) (*Gedeon Harveus &c.*) Gedeonis Harvei auctoritati fortasse subscriberem , nisi opposita , diuturna , & multiplex me retraheret experientia . Evacuationes Sudoris , Urinæ (cujus excretionem depulsis Febribus China China peculiariter promovet) Menstruorum pariter , ac Lochiorum , imò & ipsius DiarrhϾ , dummodo *Criticas* , nunquam ab hoc Febrifugo suppressas vidi , ut in Therapeut. meâ pag. 42. innui ; pag. verò 469. , & 471. exemplis confirmavi ; utque magis adhuc posui ob oculos casu recenti , in responsione meâ nuperâ ad §. 36. hujusce Dissertationis allato lit. a. *Symptomaticas* equidem a Febre pendentes indirectè , sive *per accidens* supprimit , sistendo Febres , quæ immaturas hujusmodi excretiones producunt ; non verò *per se* , sive per vim propriam , ipsique peculiariter insitam . Proinde nonnihil allucinatus est (si hoc vocabulo uti liceat sinè crimine) Vir quidam doctus , qui commendari a me in Therapeut. meâ Peruvianum Corticem pro curatione Dysenteriæ suis in Scriptis promulgavit ; fortasse quia Febres quasdam Perniciosas , quas ratione adjuncti dysenterici cujuspiam Symptomatis *Dysentericas* appellavi Lib. 3. cap. 1. , eo facilè remedio sanari protulerim : quod tamen de *Dysenteriâ* verâ , & essentiali , quæ

Morbus

Morbus eſt, non Symptoma, nequaquam intelligendum, ut expreſsè monui pag. 375. ejuſdem Operis. Sed alterutro forſitan loco, haud ſatis clarè memetipſum explicui. Antifebrilis ergo ſolùm, non antidyſenterica eſt China China: neque idcirco prædictam, aut ullam aliam evacuationem, præſertim Criticam, ſeu quæ febrilis ſymptomatis rationem non habeat, figit, aut ſiſtit per ſe, directè, ac ex naturâ ſuà, ut falsò autumat Gedeon Harveus.

Ubi experientia loquitur, auctoritates ſilent: ſi tamen ulla arrideat, ea nunc deſumatur a Scriptore in uſu Remedii plurimùm exercitato, qualis eſt Morton, cujus teſtimonium crebrâ, & longâ praxi credibilius redditum, poterit citra injuriam cuilibet alteri opponi; maximè cum a Mortono ratiocinium confirmetur eâ ipsâ experientiâ, quæ ab Harveo aliter ſe habere creditur ex vi ratiocinii. Inquit itaque *De Peruviani Corticis Virtute Febrifugâ* Exercit. 1. Cap. 7. laudatus Auctor, *figentem* hanc, atque *obſtruentem* vim Cortici objectam explodens. *Quo pacto Pharmacum, quod in Puerperio* (nulla certè evacuatio magis ſolicitè ſervanda, quàm iſthæc) *ſalubriter miniſtratur, inter obſtruentia numerari poteſt?* Aſt ſuſpectus ſemper habebitur Morton. Vertamus nos ad Ettmullerum, a Cl. Auctore in hac materiâ tanti habitum, & videamus, an Scriptor iſte, ubi Chinæ Chinæ facultates ex profeſſo recenſet, *figentem* illi, & *condenſantem* attribuat. Inquit ergo ille in Phytologiâ Schroderi dilucidati pag. mihi 43. edit. Lugdun. in Fol. -- *China China calida, & ſicca eſt, vim habens aperiendi* (en primo ſtatim loco vis *aperiens*, non *figens*) *diſcutiendi, attenuandi, reſolvendi, putredinem arcendi, roborandi*. An hæc omnia cum ſuppoſitâ virtute *figente*, & Fluida quæque *cogente* conveniant, vel rudes judicent Pharmacopæi. Quòd ſi de hac celebri figendi vi auctoritatem ratiocinantis quis optet, in promptu eſt Sententia Villiſii, a Cl. Auctore pluries pro ſuâ Cauſâ citati, & *de Febribus* cap. 6. ſcribentis. *Annotetur, quòd hoc remedium, non quemadmodum vulgaria Febrifuga ſanguinem figendo &c. acceſſiones febriles ſiſtit &c.* Suum ergo ſequatur novum Scriptorem Vir Cl. Ego meos, utut veridicos, præcisè non ſequor; ſed ratione manuducente experientiam.

§. 42.

NUnc autem quando uſus, *quem penes arbitrium jus eſt & norma medendi*, ita Mutinæ obtinuit, ut tanto in honore Febrifugum iſtud ſit, ut nullibi magis, expectandum num ad longum tempus duratura ſit illius fortuna, habent enim ſua fata medicamenta, ſicuti cœtera omnia. Radix Chinæ ab Indiis Orientalibus in Europam devecta, olim inter Medicamenta ad morbos chronicos, & con-

& contumaces propulſandos, principatum obtinuit, ac tantam affinitatem cum natura humana habere credita, ut cum cibariis ipſis locum obtineret; modo pene obſolevit illius uſus, ac in Officinis carioſa reperitur. Qualis ſors Quinquinam maneat, impoſterum decernet tempus.

(*Nunc autem &c.*) ETſi uſus ita obtinuerit Mutinæ, ut hìc non minùs, quàm alibi in præſcribendo Peruviano Cortice *Ars Medica*, *non ſecus ac militaris*, *ſuos Fabios habeat*, *ſuos Marcellos*; ſortem nihilominus fauſtam, quàm intrà univerſæ jam Europæ confinia China China ſortitur, eouſque duraturam crediderim, quouſque illa germana, ſincera, & minimè adulterata ad nos devehetur. *Radix Chinæ*, quæ a Viro Cl. confidenter hìc loci traducitur velut inutilis, plus forſan ac verè mereatur, ab eo contemnitur. Si tamen illa de more beneficia præſtaret in morbis Chronicis, quæ *Chinæ Chinæ Cortex* perpetuò præſtat in Febribus, non tam facilè in Officinis cariem contraheret. Quemadmodum verò Peruvianum Febrifugum tandiù plurimi habitum eſt apud nos, quandiù in Scriptis Viri Cl. *habitum eſt in tanto honore*, *& pretio*, *ut nullibi magis*; ita fortaſſis poſthac in minore habebitur, poſtquam ſcilicet adeò ſiniſtrè de ipſo *locutus eſt* varius pro re natâ, & verſatilior ginglymo Cl. Auctor,

Quem penès arbitrium, jus eſt, & norma loquendi.

§. 43.

VErum hic mirari ſubit quomodo *(a) intra Scultennam*, *& Gabellum* tam altas radices egerit Planta hæc Peruviana, non ita vero in ſolo Bononienſi finitimo. Certe *(b) apud Bononienſem Scholam*, quæ cœteris pro Regula Policleti eſſe poteſt, ſatis moderatus ſemper fuit, eſtque etiamnum, ut audio, hujus febrifugi uſus. *(c) Quanta cautione* Peruvianum Corticem præſcriberet Celeberrimus Malpighius, ſatis patet ex Centuria Conſiliorum hujus Auctoris Patavii impreſſa Conſilio 97., in quo Vir iſte Sapientiſſimus in Febre lenta cum tenſione abdominis poſt uſum Aperientium, Diureticorum, Chinam Chinam proponit ad ſcrupulum unum ſingulo mane, ſive alternis diebus per quindecim dies. Itidem in

Opere

Opere ejusdem posthumo, Londini impresso, hæc de China China leguntur verba. *(d) Remedia, quæ vulgariter inventa creduntur à casu, & fortuito, & à sola Empirica, egent pariter, ut examinentur à ratiocinante, & reducantur ad tutam operandi naturam; Id experimur in usu Chinæ, quæ sine arte adhibita, non solum est causa recidivarum, sed etiam fixationum, & ut plurimum cachexiæ. (e) Hinc necesse fuit pro illius tuto usu ab eadem elicere tincturas in pauca dosi, & paulatim, & aliis cautionibus, à priori erutis, eam exhibere.* Omittam referre, quæ de hujus remedii *(f) malo usu* Scripta extant *(g) apud Georgium Baglivum* in Libro de Fibra Motrice, *(h) Nicolaum Lemeri* in cursu Chimico, *(i) Theophilum Bonetum* in Medicina Septentrionali, Mercurio Compitalitio, & apud Polialthem.

(a) (Intra Scultennam, & Gabellum &c.) NOn intrà Scultennam tantùm, & Gabellum altas radices egit Planta hæc Peruviana; verùm eas quaquaversum diffudit, totque saltem in Regionibus jecit, quot sunt natales loci Scriptorum omnium, quos recensere cœpi §. 35. lit. d., & quorum seriem ulteriorem nunc persequi hæc ipsa me cogit uni *Scultennæ*, atque *Gabello* adscripta fertilitas: cum alioqui ab imo trunco ad elatiores usque ramos satis conspicua pateat hæc Planta ad Arnum, ad Padum, ad Sebetum, ad Tyberim. Tam latæ propagationis ampla hinc illinc specimina exhibent Viri Clarissimi, Hieronymus Bardi, Johannes Nardius, Vincentius Protospatarius, Hieronymus Sanctasoffia, Franciscus Redius, Antonius Vallisnerius, Lucas Tozzius, Joseph, & Thomas Donzellus, Joseph Lanzonus, Pompejus Sacchus &c. Sed has in Solo tantùm Italico. Quas verò in Transalpinis Provinciis, Exterisque Nationibus non egit illa radices? Eam scilicet, præter allegatos citato Paragrapho Auctores Celeberrimos, excoluere insuper ad ripas Iberi, Tamesis, Sequanæ, Rhodani, & Rheni, Gaspar Kaldera, Joseph Villerobel, Thomas Villis, Robertus Bradyus, Dyonisius Jonquet, Digbæus, Hœferus, Rolfincius, Glantzius, Zuvelferus, Thomas, & Erasmus Bartholinus, Martinus Lister, Andreas Nicolus, Moyses Charas, Fridericus Illmer, Johannes Dolæus, aliique adhuc non pauci ad tædium evitandum reticendi.

Prope alia ergo Flumina, a Nostratibus etiam longè dissita, firmissimas radices egit, & ramos expandit Orbi toti spectabiles exotica hæc Planta; magis quidem, & minùs pro variâ Soli, & Cultorum ratione; sed centum in locis longè majores, atque altiores, quàm Mutinæ. Præter Cultores verò, seù Scriptores, quos retuli, suis Ope-

ſuis Operibus notos (quibus addere quis poſſet omnes a Viro Cl. pro ſuæ Cauſæ teſtibus adductos, & infra adducendos) quot Medici tacitè in Hortulo ſuo domeſtico, ad privatam ſcilicet praxim, hanc alunt, aut excolunt Plantam, etſi omnium oculis non exhibeant palàm? Horum numerum novit, qui ſtellas dinumerat ſolus, & arenas Maris. Primis certè temporibus, quibus uſui cœpit eſſe Febrifugum iſtud, quinquaginta ſaltem Illuſtrium Medicorum teſtimonia de illius innocentiâ, & vi ad Febres quaſcunque Periodicas, nonnunquam etiam Continuas, Scriptis mandavit Sebaſtianus Badus nunquam ſatis laudatus. Modò quot millia poſſint haberi, conjiciat quiſque: ut proinde prorſus immeritò mihi, cui forſan nonnullam quis alius tribueret utilioris adminiſtrationis laudem, culpam liberalioris, imò & turpe abuſus crimen fidenter, etſi diſſimulanter, objiciat Auctor Clariſſimus.

Nolim tamen hìc me quiſpiam redarguat verbis illius §. 49., quòd *communium errorum reprehenſionem in propriam calumniam referam*, cum de Cortice Peruviano *Mutinæ* non ſcripſerim ſolus: extat ſiquidem in Diario, quod vocant Italicè *Galleria di Minerva* Venetiis edito, Tom. 6. pag. 119., Diſſertatio quædam Anonymi *De Chinæ Chinæ in Febribus utilitate, & de vanâ quorundam methodo &c.*, ſub dat. *Mutinæ* die 5. Novembris 1699.; in quâ Lucubratione non parum eruditâ, & eleganti, cum plurimus, & latus admodum ſuadeatur Chinæ Chinæ uſus, huic potiùs, quàm meæ Therapeuticæ in hoc caſtigatiori, videtur adaptari poſſe, atque congruere Cl. Auctoris Cenſura. Verùm patent nimiùm peculiares illius in Opus meum ſuggillationes: & dato etiam, quòd utrique noſtrum plectendo idem intendatur Arcus, tutelam ſaltem meam in damnum bonæ praxeos renuo negligere, aut in detrimentum veritatis. Alienæ quidem Lucubrationis ſenſa, a ſenſibus præſertim meis non parum aliena, tueri meum non eſt; ſed nec ſilentio prætereundum, quòd ſicuti Diſſertatio illa *Academica* inſcribitur, non *Medica;* ita Auctor illius (quod certò ſcio) longè aliter ac ediderit in eo Scripto, Corticem Peruvianum præſcribit in praxi.

(*b*) (*Apud Bononienſem Scholam &c.*) Scholæ Medicæ Mutinenſi, cujus partem ſat debilem ago ipſe, *pro Regulâ Policleti eſſe poſſe Bononienſem*, Patavinam, Piſanam, Ticinenſem, aliaſque inclytas Univerſitates, tam meo, quàm meorum Collegarum, & Comprofeſſorum nomine minimè cunctabor fateri. Quænam ſit illarum inter ſe ſe ipſas proportio, res eſſet audaciæ plena velle decernere. Utcunque de eâ re ſit, certum eſt, illas omnes uſum Peruviani Corticis admittere longè latiorem, ac in ſuâ Diſſertatione ſanciverit Cl. Auctor. Et quò ad Bononienſem Scholam, ipſe quoquè nedum audio, ſed & ſcio, *moderatum*, ut decet, apud eam *ſemper fuiſſe*, *ac etiamnum eſſe hujus Febrifugi uſum* (quis enim ullius immoderantiæ velit arguere prudens illud, ac celeberrimum Athenæum?) ſed æquè ſcio, moderatum illum uſum longè tranſcendere cancellos anguſtiſſimos, a Cl. Auctore conſtitutos; meamque praxim, quæ apud eum audit *abuſus* nomine, haud ita audire *in ſolo Bononienſi finitimo*.

Hujuſce rei fidem manifeſtam facit Diſſertatio lucubratiſſima circa hanc

hanc materiam anno 1711. a Clarissimo Viro, in praxi æquè, ac in Exedrâ exercitatissimo, D. Francisco Simonio conscripta, & a Clarissimo pariter, Scriptisque suis doctissimis Orbi jam noto, D. Jacobo Sandrio subscripta, & approbata. In eâ siquidem responsoriâ ad aliam Dissertationem e Pisauro missam ad duos hosce Viros Celebres Bononiensis Universitatis, de suo circa usum Quinquinæ judicio requisitos, occasione cujusdam Epidemicæ Constitutionis, in Urbe Pisaurensi grassantis, responsa hæc sapientissima, & verè practica expressa leguntur. *Planè asserimus, Febrem quamcunque Peruviano Cortice curabilem, quantùm quidem nobis observare licuit, de naturâ Intermittentium esse oportere, licèt sæpenumero continuè Ægros vexet. Præsupponendum enim hìc est, quod optimè docet Sylvius de le Boe in Appendice Prax. Med. Tract. 9., aliud esse continuè febricitare, aliud Febre continuâ laborare: atque hæc duo non tam a plebejs, verùm Medicis quoquè haud raro malè confundi* (& hoc est, quod ego explicare, & distinguere totis viribus conatus sum in Therapeutice meâ a pag. 611. usque ad 621.) *cum de facto possint Ægri continuè Febribus affligi, sed Intermittentibus, quæ idcircò neutiquam pro Continuis habendæ &c. Reliqua, quotquot sunt, quæ Febres istas comitantur Symptomata, sive benigna, sive maligna appellata, nihil ad præfatam Diagnosim spectant, nihilque de Speciali earum naturâ mox indicatâ detrahunt &c. Quare neque ab istorum præsenti malignitate, & pernicie Corticis Peruviani usum frustrari, tum ratione, tum experientiâ didicimus.* Tandem exclusis a ditione ejusdem Corticis Febribus ab essentiâ Continuis, Symptomaticis quoquè omnibus, Inflammatoriis &c. (quod & ipse in eodem Opere meo planè decerno) sic in eâ Dissertatione concluditur. *Omnibus hisce conditionibus ex parte Febrium ritè perpensis, atque servatis, nos quoquè divinam planè, & admirabilem hujus Corticis utilitatem ultro asserimus, atque iis omnibus elogiis libenter subscribimus, quibus ejus famam condecorarunt Celeberrimi Scriptores plurimi. Quin imò facilè id etiam largimur, quod . . . . . : D. Franciscus Torti jampridem se ostensurum promisit in suo, quem propediem avidè expectamus, de re istâ Tractatu; Perniciosas scilicet, & Malignas Febres (modò indicatæ naturæ sint) ejus usu tutò curari posse &c.*

Hæc sunt sensa duorum inclytæ Scholæ Bononiensis luminum, quibus vel præibat, quoniam præibat ætate, vel saltem astipulabatur in praxi, cum viveret, Cl. *Livizzanus*, Famigeratissimi Malpighii amicissimus; astipulaturque hodie eidem veritati, sibi & usu, & dogmate planè compertæ, Cl. quoquè *Albertinus* ejusdem Celeberrimi Malpighii Propinquus, aliique sat noti. Imò, si liceat addere, quæ ex ore ipso eorundem Professorum nuper accepi, dicam, Cl. Simonium perplures casus mihi narrasse *Nobilium* Virorum *Perniciosis* Intermittentibus laborantium, & Chinâ Chinâ *liberaliter* oblatâ ab eodem felicissimè sanatorum: Cl. verò Albertinum mihi pariter exposuisse, se non modò in vulgaribus Intermittentibus eo Febrifugo familiariter uti consuevisse; sed & illud celebri cuidam Pharmacopolæ, *Perniciosâ* Tertianâ detento, præscripsisse *ad drachmas sex*, tempore inter tertiam, & quartam

tam

tam acceſſionem medio, partitè oblatas; calculum ſuum libenter apponentibus Viris Eximiis, D D. Livizzano, & Salano, in conſilium vocatis. Quo præſidio adhibito, Æger cæteroqui moriturus facilè reſtitutus fuit, atque etiamnum vivit incolumis. Malè itaque praxi meæ objicit Vir Cl. praxim Bononienſis Scholæ, cujus uſum ſaltem recentiorem, cùm ſuam Diſſertationem conſcripſit, haud ſatis callebat.

De aliarum Scholarum ritu non loquor, cum nec loquatur Auctor Cl., & cum de illo ſatis ſuperque loquantur nedum Scriptores, verùm & fama univerſalis. Jam notum quippe quinam generaliter Italiæ noſtræ, quinam Galliæ, quinam Angliæ, quinam Hiſpaniæ mos ſit. Accepi nuper a Sacerdote Aragonenſi inclytæ Soc. Jeſu, Viro fide digniſſimo, Scholam Cæſaraugustanam in uſu adeò frequenti Febrifugum hoc habere, ut nihil magis; neminemque, cui præſtò ſit illud, quod immediatè a P. P. ipſis beneficæ illius Societatis ab Indiis aſportatur, Febres unquam recidivas pati. Sed nimiùm diſtant a Cælo noſtro, ut Viri Cl. aſſenſum mereantur, aut fidem, iſtiuſmodi Scholæ. Cæterum ſi Patavinam ſuam Orbi tam celebrem, ſibi (uni forſan, qui de Cortice tam malè ſentiat) vel modicè faventem noviſſet ille, non reticuiſſet profectò.

Sed quoniam cuncta, quæ ſibi quoquo modo favorabilia tantummodo imaginabatur, in medium tam facilè adduxit, cur non licebit & mihi Scriptorum qualiumcunque meorum ſortem, modeſtè ut decuit hucuſque ſuppreſſam, approbationemque omnimodam, quam a permultis inſignibus noſtri Seculi Profeſſoribus (unâ quidem ſuadente materiâ) Scripta eadem ſortita ſunt, cavillationibus Viri Cl. ſaltem ad defenſionem opponere? Cur inquam non liceat, cum idipſum non me tantùm reſpiciat, ſed & publicum Bonum, cui in primis ſervando mea hæc inſtituta eſt Apologia? Sanè apud Homines a partium ſtudiis liberos magno momento erit, ut ab illis Methodus mea in beneficum uſum adoptetur, ſi ea doctiſſimis ævi noſtri Profeſſoribus probata compareat. Inter tot tamen, tantoſque Viros laboribus meis propitios unus ſit inſtar omnium Celeberrimus *Lanciſius*, *Vir*, *ſi quis alius*, *omnigenæ eruditionis*, *Archiaterque Pontificius verè digniſſimus*, & effectuum Chinæ Chinæ utiliſſimorum Obſervator neutiquam recens, ut ex Therapeut. meâ pag 257. Illius ergo Epiſtolam perelegantem (innumeras aliunde acceptas ſupprimo, ne jactare videar, vel oſtentare) exuberante licèt erga me humanitate refertam, cùm primò Opus meum recepit, excepitque, liceat proferre; eo ſaltem titulo, ut Romanæ Scholæ, quam non immeritò repræſentat unus, haud malè acceptum probem Tractatum meum: cujus omnia quotquot ſunt, ſatis ab Opponentium ſophiſmatis tuta, imò & ſarta tecta, in eâdem Epiſtolâ, ipſo Judice, reputantur. Unum autem ex integrâ Romanâ Academiâ Lanciſium ſeligo, quòd hic illius eſt Caput; non quòd aliis ea careat Viris Illuſtribus ob egregia ſcripta Orbi jam notis, & de Opere meo humaniter æquè ſentientibus. Excipe tamen (quod auſpicatiſſimum mihi) Excellentiſſimum Barnabam Ciccolinum, Romæ ſcriptitantem, atque in Libello ſuo noviſſimo, cui Titulus -- *La Filoſofia e Medicina de' Savj* -- acri-

vj -- acriter incandeſcentem adversùs non me unum quidem, ſed Neotericos omnes, vel minimè lectos, vel perperam intellectos, atque Atomiſtarum nomine illis affixo, confidenter traductos; eo tamen ingenii acumine, ac robore, ut verear, ne (quod ajebat Cic. 1. de Orat.) *aliis miſerandus, aliis irridendus eſſe videatur*. Et hoc illi reſponſum; nec unquam aliud.

Quia verò quadam veluti pietatis, ac religionis ſpecie Vir iſte bonus eâ ineptiit Magiſtrali ſecuritate, ut ideo a probabilitate minimè alienum ſit ſuſpicari, quòd Religioſiores ſaltem Viri, ſapientiâ quidem, zeloque pollentes, ſed rei Medicæ haud ſatis gnari, nonnullam illi fortaſſe adhibituri ſint fidem; quippe facilè metuentes, ne doctrina, quam tradidit Renátus des-Cartes, etiam caſtigata, nimiùm nihilominus accedat adhuc ad errores Democriticos; quam verò tradidit Petrus Gaſſendus, ad Epicureos (quibus Sectis, Carteſianæ præſertim, neceſſariò addictos Recentiores Medicos, quotquot ſunt, ſatis abſurdè arbitratur, blateratque Excellentiſſimus Ciccolinus) idcirco, non ut illi quicquam reponam, ſed ad tollenda, ſi qua fuerint, ſuper hac re Puſillorum ſcandala, pauca hæc raptim liceat addere, tum Medicos omnes Neotericos univerſim, tum memetipſum peculiariter a futilibus hiſce facillimè vindicantia.

Notum ſit itaque, hodiernam ſolidiorem Medicinam, quà Theoricam, quà Practicam, pro ſuo ſtabili fundamento unicè agnoſcere Structuram organicam humani Corporis, poſtremo tantùm ævo noſtro meliùs detectam, oculo judice: adeòque in Viſcerum, Glandularum, Ductuum &c. compage, texturâ, diſpoſitione, ac uſu; item in variâ Fluidorum naturâ, motu, commiſtione, fermentatione, ſecretione &c. hìc evidenter, illic probabiliter cognitis, omnes fundari Hypotheſes, & omnia Syſtemata Recentiorum Theoretica; ſive deinde cuncta hæc Scholaſticè conſiderata, vel more Peripatetico, vel Carteſiano, vel quovis alio (quod perinde Medico eſt) explicentur, pro vario ſcilicet Philoſophantium, & Scholarum totius Orbis arbitrio, aut ritu: eandem verò Medicinam Recentiorem, quò ad exercendam Praxim, ſiſti, velut in baſi ſat firmâ, partim in Inventis iiſdem Anatomicis, partim in obſervatione experimentali; quâ identidem non modò remediorum ferè omnium, etſi ex arte adminiſtratorum, incertitudo perſpicitur, quam præſeferunt tum ratione ſui, tum ratione Subjecti ſuapte naturâ mutabilis; verùm etiam certa quotidie viſitur nonnullorum, a Veteribus in magno pretio habitorum, inefficacia; clarèque dignoſcitur, Priſcam, quæ ad noviter detectorum normam minimè correcta ſit, medendi Methodum, nec cohærere principiis conſtituentibus humanum Corpus, nec reſpondere expectationi Medentium in morbis curandis, peritiorum judicio, & conſenſu unanimi. Utinam tam perſpicuè didiciſſemus, quæ ſeligenda ſint, ac utilia, quemadmodum didicimus, quæ vana, vel noxia ſunt, atque vitanda. Hinc emerſit Galenicæ nonnunquam, vel Galeno ſaltem adſcriptæ Methodi caſtigatio in nonnullis; in nonnullis aliis approbatio, prout detecta veritas identidem ſuadet, propriumque munus exigit, & quæſita præ cæteris Ægrotantium ſalus.

Cæte-

Cæterum nec Priſcorum Medicina probos, pioſve facit Homines, niſi aliunde ſint tales, nec Recentiorum impios, aut improbos. Sic potiùs conſcientiæ ſuæ non deeſſent quandoque, qui nova medici ordinis minimè ponderata, aut examinata cæco quodam inſtinctu contemnunt. Hac de re vide Therapeut. meam pag. 60. 61. 62. Nihil ergo rei magis habet Neotericorum Medicina cum Philoſophiâ Carteſii, vel Gaſſendi, quàm cum Philoſophiâ Ariſtotelis: a quibus etiam omnibus Scholis, ſi libeat, poteſt illa præſcindere. Hanc idcirco praxim, non minùs quàm vetuſtiorem, potis eſt exercere citra religionis detrimentum Chriſtianus quilibet Medicus, ac ſummè pius, non ſecus ac illam exerceat Judæus, vel Scytha. *Phyſicam Ariſtotelis*, & *Galeni Ignaram* longè ante hoc Seculum promulgavit, ſuamque *Novam Medicinam*, novamque Sectam fundavit Jo: Baptiſta Van-Helmont; necdum tamen in Scholis ortum habuerat Carteſii, vel Gaſſendi Philoſophia.

Quod eſt ad me, nulli me Factioni profiteor ſerviliter deditum, ſive de rebus Medicis ſermo ſit, ſive de Philoſophicis: neque ideo Remedia, quæ, Hippocrate duce, incerta protuli, ſive *periculoſo* identidem *experimento* obnoxia (cujuſmodi ſunt eorum non pauca) planè ob idipſum proſcribenda cenſeo; iis ſiquidem utor & ipſe defectu certiorum, ut patet undique ex Tractatu meo; eâ tamen utor fiduciâ, & cautelâ, quæ incertitudini nunc majori, nunc minori æquum eſt ut reſpondeat. Inertia ſolummodo, & inutilia, quæ nempe talia deprehenderim, quantumvis magnifica, conſtanter rejicio: contra verò, efficacia, quæ ſcilicet longo uſu expertus ſim talia (ſunt autem hæc numero non multa quidem; ſed nec tam pauca, quin ſatis) conſtanter quoquè adhibenda ſuſtineo; ut abundè jam in eâdem Therapeutice meâ. Hanc ſanè ſi luſtraſſet, ut cæteroqui par erat, Excellentiſſimus Ciccolinus ſolis paginis 25. 26. 27. & 28. ab eodem citatis, vel etiam pag. 244. & 253., magiſque attentè conſideraſſet quæ a me ſunt abſolutè, quæ tantùm comparativè, aut cum aliquâ limitatione prolata, quæque pariter in totâ hiſtoriarum inibi narratarum praxi mihi uſui fuere remedia, vel denique ſi Lexicographos, ubi illi opus erat, conſulere non erubuiſſet; profectò nec tam facilè pro Bajulis a me fortuitò alicubi memoratis Apparitores, aut Lictores intellexiſſet, nec tot abſona, falſa, & vana, quæ puderet hìc recenſere, æquè inaniter quidem ac illepidè obtruſiſſet.

Sed quoniam ex Opere meo latinè conſcripto laborare noluit, ut ſatis perciperet quid obiter ſaltem de Carteſii doctrinâ ſenſerim pag. 296.; commodiùs certè poterat, atque etiamnum poſſet idipſum ediſcere ex Diſſertatione quadam meâ Epiſtolari anno 1706. vernaculo ſermone exaratâ ad Doctiſſimum D. Marchionem Urſium, & ab eo editâ in Eruditiſſimo Libro ſuo, cui titulus -- *Lettere di diverſi Autori in propoſito delle Conſiderazioni del Marcheſe Giovan Gioſeffo Orſi &c.*: a pag. 287. uſque ad 330. ejuſdem Operis: ibi namque, ubi fusè de Carteſio, nec non de Gaſſendo, & Ariſtotele ſermonem habui, me nullius in verba Magiſtri quò ad res Philoſophicas unquam juraſſe, apertè viſitur. Ea ſiquidem ſemper, quæ tam in Sententiâ ejuſdem Ariſtotelis, quàm Carteſii, Gaſſendi, aliorumve ſaniora, & meliora

credidi, ni mea me fefellit electio, conatus sum hinc indè excerpere, & pro ingenii viribus etiam connectere; quæ verò deteriora, planè rejicere: id perpetuò præ omnibus ratum habens; in hisce videlicet rebus, persæpe etiam vanis, veritatem in puteo latere, nulli hominum in hac vitâ unquam se prodituram. Jam verò unde digressus sum denuo revertor. Epistola itaque Famigeratissimi Lancisii sic habet.

Viro ....

D. FRANCISCO TORTO

Med. Doct., & Mutinensis Academiæ Professori longè ....

JO: MARIA LANCISIUS S. P. D.

VIx librum, Therapeutice specialis ad Febres quasdam perniciosas, quem avidissimè præstolabar, Clarissimus Pacchionus noster abs te mihi reddidit, cum statim aperire illum, atque evolvere occœpi, tametsi nondum compactum, & conglutinatum. Nec sanè Titulus ipse citra admirationem modestiæ tuæ occurrit: rem enim summis dignam ingeniis, & in arte medicâ exercitatissimis tractandam aggressus, Juniorum, & Candidatorum propositam tibi utilitatem profiteris. Tum utraque, ad Principem nempe, atque ad Lectorem epistola singularem animi tui moderationem, ac eruditionem nobis exhibuit. Subinde Librorum singula Capita percurrimus, ex jisque, perspicuâ methodo dispositis, specimen prodire conspeximus pulcherrimorum undique argumentorum, quæ varietate simul, & veritate, procul a fastidio, atque offensione, mirificè blandiuntur. Deinceps attentissimè legimus primum, & secundum Librum, in quibus, ut experimenta de Chinæ usu tanquam pretiosam Recentiorum mercem extollis, ita Priscorum, ac Mercati præsertim animadversiones circa perniciosarum Febrium discrimina aureum veluti pulverem agitare non prætermittis, æquissimus semper Judex, verique amantissimus. Ex reliquis autem tribus Libris tot, tantaque, omnia tamen tuo ab ingenio cum fructu jucunditatis, atque utilitatis, deprompsimus, ut, quemadmodum tu sine plenâ rerum Physico-Mechanico-Anatomicarum scientiâ, ac longo usu, scriptis illa tradere nequisses; sic neminem, qui eadem penitiùs persequi velit, absque magno suorum studiorum emolumento a lectione recessurum existimamus. Placuerunt, fateor, inter cætera, quæ Libro 3. Cap. 2. nervosè, ac doctissimè a te proponuntur: etenim insequeris eò loci perniciosarum Febrium fermentum, aut subsistens, aut fugiens a primis in secundas chyli vias, atque ab jis in tertias circulantis sanguinis, quartasque excurrentis succi nervei semitas, itaut, quocunque se hostis recipiat, turbas faciat, classicumque canat; armatâ semper Peruviano Cortice manu feliciter profliges, atque prosternas. Quid? quod Arborem immortalitate dignam, in calce libri delineatam, Studiosorum in gratiam posuisti. Scilicet ut ab ejus singulis ramis, ut scribis, non decorticatis (modò memoriæ committantur) totidem quasi hastæ ad confodiendas febres, plerunque

exitia-

exitiales, parari facillimè possint. Hæc autem omnia eo quidem judicio ubique rimatus es, ut nihil a stylo tuo (satis alioquin robusto, atque eleganti) excidere videatur, quod non sit vel gravissimorum Virorum auctoritate, vel longo tuo experimento confirmatum. Quamobrem si fortè imprudens quispiam (caveat hìc sibi Excellentissimus Ciccolinus) *carpere aliquid tuis in Scriptis ausus fuerit, latrabit semper ille, non mordebit. Neque verò præterii sinè gratâ humanitatis tuæ commendatione locos illos, quibus me, meosque labores officiosè commemoras. Hoc sanè faciet, ut jure multò majori meis in Commentariis æternorum tuorum Operum debeam mlminisse. Vale Vir ...... Amicis pariter, & Reipublicæ.*

Datum Romæ XIII. Kal. Martii MDCCXIII.

(*c*) (*Quantâ cautione &c.*) Tantâ cautione, remotioribus præsertim temporibus, Corticem Peruvianum, ut & alia ferme omnia remedia, præscribere consueverat oculatissimus Malpighius, ut fuerim ausus in Therapeutice meâ pag. 29. proferre, *suam illi in hoc condonandam esse cautelam*, quippe eidem de more quidem familiarem, sed circa usum hujusce Febrifugi fortè nimiam. In citato tamen per Cl. Auctorem Consilio nihil illi condonandum dixerim; neque enim eo casu valde ancipiti quicquam ampliùs ipse proposuissem. Habebit fortasse quid donet illi, aut potiùs quid parcat, sed de excessu, idem Cl. Auctor, qui duas tantùm Chinæ Chinæ drachmas exhibere consuevit; neque tamen repetere: cum contra hìc Malpighius drachmas quinque *ad quindecim dies* partitis vicibus offerendas proponat. Atque hanc ipsam & mihi iis nonnunquam casibus Lentarum, & Diuturniorum febrium, ex Intermittentium tamen radice, esse Methodum præscribendi Peruvianum Corticem, potest quilibet intueri pag. 116., & 117., imò & a pag. 646. ad 651. ejusdem Therapeutices meæ.

(*d*) (*Remedia &c.*) Ad hunc Textum petitum ab Opere Posthumo ejusdem Malpighii, & signatè ad primam illius partem respondeo, hìc improbari a Viro illo circumspectissimo Chinam Chinam, tanquam recensitorum malorum productricem, si ea, ut clarè inquit, fuerit *sinè arte adhibita*. Adhibeatur itaque ex arte, ut in Tractatu meo sum conatus explicare pro viribus; atque ita, non modò evitabuntur *Recidivæ*, *Fixationes*, & *Cachexiæ*, quas *arte non adhibitâ* metuit (fortassis & supra modum metuit) famigeratissimus Malpighius; sed hæc ipsissima mala, *Fixationes* nempe, & *Cachexiæ*, si præextiterint, a Febribus diuturnis invectæ, eodem Febrifugo unâ, & eâdem operâ sanabuntur. Audiamus in hanc rem, præter Restaurandum. Morginotium, aliosque plures super hac materiâ citatos in Therapeut. meâ pag. 179. 180. 181., & præter historias a me ipso allatas, tum ibidem, tum pag. 175. hist. 11., & pag. 177. hist. 12., audiamus inquam sex Medicos Insignes, ex Inclyto Collegio Mediolanensi, videlicet Jo: Horatium Castilioneum, Jo: Paulum Cambiagum, Hieronymum Cardanum, Franciscum Guadignanum, Sebastianum Calvum, & Christophorum Paravicinum, apud Badum lib. 3. pag. 250.

 hæc

hæc atteſtantes ab anno 1658., quo tempore novus adhuc erat in Europâ Peruvianus Cortex. Illorum verba ſunt hæc. *Factâ igitur a nobis per decem continuos annos* (non per decem dies, aut menſes) *multiplici experientiâ, omnibus, quibus ex præſcripto exhibitus fuit, profuit. Aut enim eos omnino a Febre immunes reddidit unicâ vice aſſumptus, aut ſi ex delictis in victus ratione, vel ex aliâ causâ* (adderem, ſi bene ferret Cl. Auctor, *qui ſapiebat* plurimùm, - *ex non continuato illius uſu*) *Febris rediit, denuò eo aſſumpto liberi evaſere. Mirum dictu! Lienoſi, Cachectici, extinctâ Febri, nullis aliis aſſumptis remediis, a Cachexiâ, & Lienis infarctibus liberati ſunt &c. Nullis, quod ſciamus nocumentum attulit &c.* En ergo quomodo China China ex arte illorum ſolummodo temporum præſcripta, & repetita *Recidivas* facilè tollebat, & *Fixationes* intrà Lienem, & *Cachexias* ipſas curabat. Idem confirmat ſerioribus hiſce temporibus famigeratiſſimus Jo: Jacobus Mangetus Bibliot. Medico-Pract. lib. 6. §. 20. pag. mihi 239. his verbis. *Cortex non tantùm Febrem, ſed nonnunquam etiam Hydropem indè ortum depellit :* & quidem in ſubſtantiâ ipsâ exhibitus, non *Tincturæ* ſpecie; etenim ex eodem Auct. ibidem §. 16. *In Subſtantiâ ſumptus efficacior eſt: certiùs enim, & citiùs paroxyſmos ſiſtit &c.*

(*e*) (*Hinc neceſſe fuit &c.*) Quemadmodum prima pars hujus Textus reſpicit uſum Chinæ Chinæ *ſinè arte adhibitæ*, hoc eſt adhibitæ, vel *Ubi*, vel *Quando* non convenit (quâ de re jam pluries ad faſtidium uſque) ita ſecunda hæc pars reſpicit *Modum* eâdem utendi rationalem. Atque hìc animadvertat Lector, quàm parum cautè, quàm parum appoſitè Cl. Ramazzinus Chinæ Chinæ uſum *quemcunque* §. 6. merè empyricum, irrationalem, & amethodicum prædicans, utatur hoc Textu, quem Malpighius, ut ſatis patet, protulit in eum præcisè finem, ut ejuſdem Febrifugi uſum, non merè empyricum, ſed methodicum, rationalem, & planè jam *tutum*, mediis præparationibus variis, apud Medicos factum oſtenderet. Adeòque nil aliud hinc poſſet inferre noſter Auctor, niſi ad ſummum, neceſſarias eſſe præparationes a Malpighio allegatas, ut *tutò* poſſit China China adhiberi ad eas Febres, ad quas illius actionem pertingere docet experientia, cùm in ſubſtantiâ nudâ exhibetur.

Licèt autem quò ad iſtas Remedii præparationes ego experientiâ multiplici ductus poſſim aſſerere denuo, quod & aſſerui in Therapeut. meâ pag. 123. cum Mortono, & Blegnyo; Efficaciorem ſcilicet eſſe ſubſtantiam ſimplicem hujuſce Febrifugi, quàm Extracta, & Tincturas illius, ut ſentit quoquè Lemeryus in curſu Chymico, a Cl. Auctore infra citatus, & in Bibliothecâ Medico -- practicâ, ut annotavimus nuperrimè, Jo: Jacobus Mangetus, aliique; nihilominus neque renuo rurſus admittere, quod in obſequium Viri tam celebris admiſi pag. 121. ejuſdem Therapeut.; poſſe videlicet *Tincturam* potiùs, quàm *ſubſtantiam* ligneam Corticis, eamque *paulatim* potiùs, quàm *cumulatim* exhiberi, ubi non magna urgeat neceſſitas, vel ſolicitudo citioris, aut certioris eventus: uno verbo, in *diuturnis*, & *benignioribus* Intermit-

tentibus

tentibus. In *Perniciosis* siquidem, tam Intervallatis, quàm Subcontinuis, etsi quandoque Extracta, & Tincturæ ex usu esse possint, nec inutiliter; haud tamen vereor affirmare, *certiorem* semper esse, *citiorem*, *nec* propterea *minùs tutam* curationem, quæ *Substantiâ* Corticis assumptâ obtinetur, quàm quæ obtinetur ope *Tincturæ*, aut *Extracti*: quemadmodum in Libro, cui Titulus, *Oculorum*, *& Mentis vigiliæ*, pag. 274., auctoritate Mortoni, & propriâ experientiâ fretus, huic eidem Malpighianæ animadversioni respondet Cl. Sbaragli, ejusdem pariter Scholæ Bononiensis Professor, & (quantùm ex ejus Scriptis licet conjicere) Peruviani Corticis administrator neutiquam scrupulosus. Sed & his missis, Malpighius certè temporibus suis ne cogitavit quidem de Febribus hujusmodi lethalibus Chinâ Chinâ curandis, vel de tam validâ illius virtute in extremo etiam earundem Febrium exitio; imò in angustiis *proximæ*, *certæque* jam necis. Neque enim metum *Recidivarum*, nec *Fixationum*, nec *Cachexiæ*, nec aliorum quorumvis morborum, servato tunc Ægrotante subinde facilè curabilium, in tam gravibus circumstantiis objecisset, satis conscius aurei effati, quod habet Celsus lib. 8. cap. ult. *Nihil interest*, *an satis tutum præsidium sit*, *quod unicum est*.

His omnibus de causis, *suam* in Therapeut. meâ, loco citato, *cautelam* dixi *condonandam Malpighio*, Viro sanè, quem libenter & ipse fateor *Sapientissimum*, qualem modò prædicat, qui sibi favorabilem putat, Cl. Ramazzinus. Neque ego propterea tanto Viro, velut crimen aliquod unquam objecerim, quòd ille populari, crebræque praxi minùs addictus, sæpius etiam in otio rurali Sectionibus Anatomicis, præsertim minutioribus, occupatissimus (quibus studiis, utilitate suâ nequaquam carentibus, longè a Medentium, & Ægrotantium turbâ eminenter inclaruit, inaccessa peragrans loca, & *nullius ante Trita pede*) humilioribus hisce, quantumvis æquè saltem utilibus, minùs vacare potuerit, aut potiùs voluerit. Nullus enim dubito, quin pro suâ ingenuitate, si vixisset in hæc usque tempora, alienæ saltem praxi eam fidem in hoc fuisset adhibiturus, quam anatomicæ illius dexteritati alii adhibere consueverunt. Nec proinde illius ego *curiosam diligentiam salibus Aristophanis perfricuerim*, ut satis manifestè, dissimulanter licèt, olim perfricare visus est Cl. noster Auctor: & quidem acrioribus, ac unquam perfricuerit illam iisdem temporibus Auctor Dissertationis *De Recentiorum Medicorum studio*. Videsis curiose Lector Dissertationem Cl. Ramazzini De Constitutionibus trium annorum 1692., 93., & 94. §. 58., & 59. pag. 193. Edit. Patavin., ibique Mantissam hanc illi Dissertationi, etsi jam planè absolutæ, pruriente nihilominus calamo eleganter assutam reperies.

(*f*) (*Malo usu &c.*) Quis quæso de *malo usu*, nedum Peruviani Corticis, sed & aliorum remediorum, puta Phlebotomiæ, Purgationis &c. acria non scribat? Contra *malum* hujusce Febrifugi *usum* scripsi & ego, qui tamen dicor alicubi a Cl. Auctore, *Magnus Chinæ Chinæ virtutum assertor*; scripsere Sydenhamius, imò & Mortonus ipse, aliique ferè omnes, innoxii cæteroqui, & saluberrimi hujusmodi Remedii Fauto-

res, ut passim videre est, tam in Scriptis eorum, quàm in ipsâ Therapeutice meâ. Sed quid indè? Opus esset ostendere, *malum* usum, quem damnant auctoritates omnes, tum hoc, tum aliis Criticæ hujus Dissertationis locis adductæ, esse illum *eundem*, quem specie recti usus exercent *Mutinenses Medici*; sive, ut citra fucum loquamur, quem titulo *peculiaris*, ac perutilis *Methodi* proponit, ac laudat eadem Therapeutice mea: *rectum* verò usum illum esse *tantummodo*, quem limitibus arctissimis conclusum ferme ad nihilum tandem redegit Cl. Auctor. Ad hæc oporteret (ut vim probationis haberent eædem auctoritates) oporteret, inquam, ut Scriptores illi *Methodum* ipsam *meam*, in circumstantiis præsertim, in quibus eam *peculiariter* proposui, nedum præcisè damnarent, sed & damnarent *experti*, non ratiociniis tantùm innixi; meque *re ipsâ* falsitatis evincerent, aut vaniloquentiæ. Sed quis, Mortono excepto, aliisve perpaucis, Peruvianum Corticem in Perniciosis Febribus a Mercato descriptis, methodicè, ac ex arte fuit unquam, saltem constanter expertus, ante evulgationem Tractatus mei, specialem Methodum, nondumque notam tradentis, ut praxi meæ suam in iisdem Febribus, & circumstantiis æqualiter exercitam, queat opponere experientiam?

Quæ igitur de *malo* hujusce Corticis *usu* generaliter scripta extare dicuntur apud Georgium Baglivum, Nicolaum Lemery, & Theophilum Bonetum in variis Operibus suis, nil probant adversùm me, nilque adversùs Peruvianum Corticem: cum vix aliquid per transennam apud ipsos legatur de *abusu Antifebrilium omnium* in genere, ut & de *usu* Chinæ Chinæ nonnunquam, ut ajunt explicitè, *intempestivo*; quem quoquè *intempestivum* nihilominus etiam admittunt *in curatione coactâ*. Contra verò reperio plurima apud eosdem Auctores de vi, certitudine, & securitate hujusce remedii, quæ aciem legentis Cl. Ramazzini fortasse subterfugerunt, quæque facilè a curiosis Lectoribus possunt adinveniri, ut in sequentibus.

(g) (*Apud Georgium Baglivum &c.*) Georgius ergo Baglivus, ut aliquid obiter innuam de singulis, Lib. 2. Prax. Med. Cap. 3. pag. mihi 165. hæc habet. *China China est Remedium profectò herculeum in curatione Intermittentium; dummodò tamen* (quæ peritorum omnium cautela est) *non detur, si aderit suspicio inflammationis alicujus visceris, vel abscessus interni; neque in principio, crudis adhuc existentibus humoribus &c.* Item lib. eod. pag. 234. de inutili, ac noxiâ locutus bilis evacuatione in Tertianis -- *Evincit id*, inquit, *nuperrima Corticis Peruani, aliorumque Febrifugorum artificialium detectio, quibus prudenter, & tempestivè datis, Febres omnes Intermittentes, a quibuslibet demum causis productæ, felicissimè eliminantur, nullis in medium productis Quæstionibus præparationis, aut evacuationis humorum.* De Remediis denique Specificis agens pag. 242. principem statim locum tribuit Peruviano Cortici, inquiens. *Sint constantia*, videlicet Remedia specifica, *methodo præscribendi munita, & morbo specificè, ac ferme infallibiliter respondentia, prout est in Intermittentibus Cortex Peruvianus &c.*

Quod

Quod si in Tractatu De Fibrâ Motrice, & Morbosâ identidem succenset usui Chinæ Chinæ, perpetuò loquitur cohærenter ad superiùs relata, tùm de illius oblatione ante sublatam, ut clarè semetipsum explicat, *Cacochiliam*, tùm de abusu ejusdem in Febribus *Mesentericis Romanorum*, ut vocat, ex vitio illius visceris non levi proficiscentibus, ac proinde *Symptomaticis*; adversùs quas nil posse Peruvianum Corticem, communiter notum est, & a me pariter, nedum annotatum, sed & fusiori explicatione declaratum a pag. 594. ad 598. Tractatus mei. Oportet ergo probè dignoscere Febrium species, differentias, & transmutationes, ut pluribus aliis in locis Tyrones docui. Sed hoc (ut ajebam pag. 202. ejusdem Tractatus) quod maximè oporteret docere, idipsum est, quod nequit satis doceri. Qui ergo omnes hasce Febrium vicissitudines exactè, quantùm licet per observationes, & experimenta, non callet, nunquam erit Corticis opportunus administrator; remediumque a perito Medico ferè nunquam incassum adhibitum, si fortè bis, aut ter cum successu, quater, aut quinquies sinè successu exhibebit. In hos scopulos, in has Syrtes forsitan impegere Scriptores nonnulli, Chinæ Chinæ usui frigidiusculè tantùm plaudentes.

(*h*) (*Nicolaum Lemeri &c.*) Nicolaus verò Lemeryus in cursu Chymico Part. 2. Cap. 6. de Quinquinâ pag. mihi 454. ait -- *Hoc est Remedium tutius, quod usque adhuc repertum sit adversùs Febrium Intermittentium fermentum &c.* Usum illius *primâ* oblatione *liberalem* præcipit, *continuatque* diminutâ dosi bis in die *per octiduum*, & semel in die *per aliud octiduum*; asseritque, *constantem* illius *repetitionem* impedire Febrium *recursum*, dummodo Æger fuerit antea ritè purgatus; impurgato enim corpore Chinam Chinam exhibere, minimè tutum existimat. Hac de re vide Therapeut. meam lib. 1. Cap. 9.

(*i*) (*Theophilum Bonetum &c.*) Quò ad Theophilum denique Bonetum, in variis hujus Auctoris Operibus tot sunt, quæ favent usui Peruviani Corticis, ut cuncta recensere non vacet; siquidem apud vastorum hujusmodi Collectaneorum Scriptores, qui aliena diversorum generum acervatim referunt in Studentium commodum, quisque reperit facilè quod sibi congruit. In Polyalthe itaque suo Bonetus Tom. 1. Lib. 1. de Febr. Tit. 5. Cap. 1. de Intermitt. in gen. §. 59. de Chinâ Chinâ hæc habet ex Sponio pag. mihi 221. *Omnium usitatissimum, & certissimum omnium est Febrifugum &c.*, suadetque ex eodem ad præcavendum Febrium *recursum* dosim *liberalem* ad uncias usque *duas* §. 61.; item ex Saccho hæc addit eodem §. 59. *In his Febribus China Chinæ valde salutaris ab experientiâ probatur &c. & si revertatur paroxysmus, novâ Chinæ exhibitione supprimitur.* Ex Villisio quoquè §. 60. sic loquitur pag. 222. *Usus pulveris Corticis Peruviani hunc morbum* (hìc intellige Quartanam) *certissimè curare perhibetur &c.* Denique (ut plura alia omittam loca tam vasti Operis) ibidem ex Boyle sic concludit. *Si credendum erit magno Digbeo, culpandus potiùs Medicus, quàm nobilis hæc Medicina, si post hujus exhibitionem unquam revertatur Febris; nam cum illum consulerem super hac re, sanctè mihi asseveravit, ex 30., aut 40. circiter Quartanâ*

detentis, quos hoc solo remedio curavit, ne vel duos relapsos fuisse: neque tamen indè crediderim, Cachecticos illos paulò post obiisse, aut Hydropicos. Sed citati Auctores, de inhibendo relapsu adeò soliciti, nesciebant adhuc Theorema practicum Cl. Ramazzini; videlicet, *Optandum esse, ut Febris redeat remedii loco: Medicosque Chinam Chinam præscribentes interdum eludi, Febre ampliùs non redeunte; sed tacitè corpus dèpascente.*

Idem Bonetus in Mercurio Compitalitio, ubi de Chinâ Chinâ sermonem habens nihil edit de proprio, sed tantùm Villisii verba transcribit, scilicet lib. 6. De Febre Intermittente in genere, pag. 207. hæc nobis innuit. *Qui eâ ratione* (videlicet usu Peruviani Corticis repetito) *crebras inducias Quartanæ procurabant, alacres, & vividi ad negotia quæque expediti degebant, cum secùs enerves, & pallidi in languorem, & vitiosum corporis habitum redigerentur. Vix unus e centum hoc remedium incassum tentavit: nec tantùm in Febre Quartanâ; verùm in aliis Intermittentium Speciebus cum fructu adhibetur &c.*

Tandem in Medicinâ Septentrionali felicissimas adducit idem Bonetus Febrium curationes, ope Chinæ Chinæ absolutas. Harum tres juvat recensere. Prima legitur Volum. 2. Lib. 5. De Febribus Sect. 1. De Medicam. Antifeb. Obser. 5. pag. mihi 177., estque observatio Erasmi Bartholini, qui primò in se ipso anno 1679., mox in aliis felix de illâ periculum fecit, ejusque famam illis in Regionibus antea obscuram illustravit; imò & rationibus validis usum ejusdem eâ ipsâ observatione confirmavit. Et quasi Regionibus illis indecorum putasset, apud alienigenas credi minùs excultum ibidem esse remedium illud, quod non multò ante Europæ innotuerat, hæc addidit. *Celeberrimus Vir Villisius multis experimentis edoctus statuit lib. de Febr., eximias esse hujus pulveris vires in Febri Quartanâ debellandâ; id, quod & Nobilissimus Robertus Boyle testatur in diversis editis a se Scriptis. Quare neque nos decuit usum ejus in terris hisce Septentrionalibus salutarem fuisse silentio prætermittere, ut optimis rebus honos inprimis habeatur, neque in Medicamentorum cognitione confessæ cum ancipitibus, & obscuris confundamus.* Et paulò post -- *Adeòut verissimum esse deprehenderim quicquid laudati Auctores* (alios enim antea citaverat, præsertim Antymum Conygium, sive Honoratum Fabri) *de hoc pulvere bono publico divulgarunt; neque in hisce terris minorem esse ejus nobilitatem, quàm in Meridionalibus.*

Observatio altera habetur eâdem Part. 2. Medicin. Septentr. lib. 7. Paraleipom. ad lib. 3. Sect. 3. de Febribus Intermitt., pag. mihi 550. Observ. 19., estque illa observatio Ferdinandi Friderici Illmer, pariter digna, quæ lustretur; licèt hìc ob suam prolixitatem omittatur. Ex eâ siquidem non minùs Peruviani Corticis efficacia, quàm inefficacia *totius* vulgaris Methodi, aliorumque *Antifebrilium* fermè *omnium*, eo casu inutiliter usurpatorum, clarè deprehenditur.

Sed tertia Observatio, quæ hanc immediatè antecedit pag. 549., estque Obser. 18., rem planè conficit. Exhibet hæc Auctorem ipsum, qui eam describit, Theophilum Bonetum Quartanâ laborantem, & in ipso

ipſo morbi principio, poſt ſextum videlicet Paroxyſmum, Chinâ Chinâ intrà biduum ad drachmas, *non duas* tantùm pro more, *ſed ſex* aſſumptâ, perfectè ſanatum, atque ad calcem Obſervationis pag. 550. plura de hoc Febrifugo egregiè locutum; inter quæ nonnulla hæc curſim excerpta. *Circa uſum iſtius Febrifugi, notandum, quò ſimplicius exhibetur, eò efficaciorem ejus vim deprehendi; neque conſortium aliorum medicamentorum expoſcere. Nam neque adjuvante indiget, quod vim illius intendat, cum hactenus nullum adeò efficax antipyreton innotuerit, hinc ut quicquid in ſocietatem illius venerit, infirmius ſit, & inutile: neque corrigente, cum nullum ab ejus uſu ex arte exhibiti, experientiâ teſte, damnum emergat &c. Si Recidiva ſuccedit, ea vel Ægri intemperantiæ adſcribenda, aut quia intempeſtivè, vel coactè id aſſumptum eſt &c.* Quid clarius? Quid Cortici favorabilius? Itane illum auctoritatibus Baglivi, Lemerii, & Boneti mulctat Cl. Auctor? Certè & hâc vice *Carpathius teſtem.*

Quid verò ſi ego, præter reſponſionem hanc ab iiſdem petitam, retaliarem Virum Cl. auctoritatibus quinquaginta forſan Scriptorum ſupra enumeratorum, tot, & tanta eidem adverſa canentium? Quid, ſi unius Langii Diſſertationem? Quid, ſi ſolam Mangeti Bibliothecam, vel Medico-practicam, vel Pharmaceutico-medicam cum Auctoribus in eâdem, præter a nobis expoſitos, recenſitis, Rajo, Courtine, Goodall, Hulſe, Robinſon &c. opponerem? Sed puderet, ubi de praxi lis agitur, alio uti teſte, quàm experientiâ: maximè cum non de primævâ vulgari Methodo, nec de Febribus tantùm diuturnis, de quibus ſolummodo paſſim loquuntur Auctores, inter nos ſit Quæſtio ſuborta; ſed de Methodo *recenti*, & de uſu pauciſſimis noto, cujus Judicium penès Seculum iſtud deinceps erit, ſeroſque Nepotes, non penès prægreſſum. Id unum liceat a Mangeto ſupra laudato in rem noſtram excerpere, Bibliot. Pharmaceutico-med. lib. 17. pag. mihi 697., quod ſic habet. *Pro ejus vi febrifugâ* (loquitur de Chinâ Chinâ) *quidam acriter militarunt, dum alii nobile hoc medicamentum totis impugnarunt viribus*, (en igitur quàm facile ſit, & ſimul quàm vanum, notas jam, ſed effœtas, atque hodie inanes contra illud congerere auctoritates) *donec tandem ultimis hiſce annis ab omnibus prope Medicinæ Cultoribus, Ægrorum ſuorum ſolatium verè expetentibus, non tantùm amicè excipitur* (en ex adverſo quàm facilius ſit, ſed ſimul quàm æquius, potiore auctoritate, & experientiâ firmatas, condere pro eodem *Pandectas*) *ſed etiam pro Panaceæ quadam quaſi ſpecie non immeritò ſalutatur.* Cur ergo *ultimis hiſce annis* deſiit ſaluberrimam hujuſmodi Medicinam ita ſalutare, qui ante paucos annos, imò ante paucos menſes tam humaniter, tamque benignè ſalutaverat Cl. Auctor?

Sed

§. 44.

SEd forte quis dicet ignotam fuisse novam hanc Methodum Chinam Chinam exhibendi in larga dosi ad uncias, & pluries in die, ac in illius usu persistere donec febris extincta fuerit. At ista Methodus nova non est, *(a) licet pro nova venditetur*, jamdiu in Germania usui esse cœpit, ut videre est in Epistola responsiva Roberti Bradi ad Thomam Sydenham, ibi enim verba hæc scripta reperio. *Equidem scio quosdam haud infimi subsellii Medicos, qui in magna quantitate, & dosi sæpius repetita eum exhibent; alios item qui ex eodem extracta, infusiones, & ex infusionibus julapia, & emulsiones conficiunt, quibus modis se non tantum intermittentes, sed & continuas quasdam certo curare affirmant*. Profecto hac in re *(b) nil inausum*, nil intentatum reliquit Medicorum industria, ut etiam excogitarit ex Chinæ Chinæ decocto Clysteres Febrifugos.

(*a*) (*Licèt pro nova venditetur &c.*) PRo *novâ* certè non venditatur a me Methodus mea, quam patior libenter, ut appellet quisque pro arbitrio, vel meam, vel alienam, vel ad imitationem alienarum consarcinatam, quemadmodum in Therapeut. meâ lib. 3. Cap. 4. pag. 343., & seq. Posse nihilominus, forsan & debere, novam vocari, habito ad circumstantias quasdam respectu, quæ se tenent tum ex parte Febrium curandarum, tum maximè ex parte modi exhibendi Peruvianum Corticem, illumve industri quadam, & inæquali partitione distribuendi, pro ratione angustiæ temporis, & imminentis exitii, ne inutiliter administretur, ex eodem Cap. 4. lib. 3. a pag. 343. usque ad 354. luce meridianâ clariùs apparet.

Sed hæc novitas, seu, quod refert, peculiaris utilitas Methodi meæ non consistit in exhibendâ, ut hìc inquit Cl. Auctor, Chinâ Chinâ *in largâ dosi ad uncias, & pluries in die &c.*: hujusmodi enim lata nimiùm, & *indeterminata* loquendi forma satis a me exsibilata est pag. 331., & 332. Tractatus mei; sed consistit ad summum, ut aliàs recensui, & ut patet ex eodem Opere meo pag. 333., in duabus plus minùs unciis Chinæ Chinæ, intrà tres hebdomadas assumptis; unâ ex illis ad curationem, alterâ ad præcautionem præscriptâ, in casibus Febrium Perniciosarum, ac summè lethalium, ubi major necessariò, quàm in benignioribus impenditur copia Febrifugi. Dosim istâ copiosiorem, quæ scilicet pro unâ Ægritudine curandâ, uncias duas longè transcendat Pe-

dat Peruviani Corticis, tanquam abusum a me damnatam vide pag. 336., & 337. ejusdem pariter Tractatus mei. Distributio autem istiusmodi dosis liberalior est mihi tantummodo in primo Cyatho, sive in primâ Remedii oblatione, in casibus tamen solùm maximè urgentibus, & deficiente tempore lentiùs agendi: tunc siquidem semunciam de more, paulò etiam plus, aut paulò minùs, pro affectus, ac temporis exigentiâ præscribo. Atque ita sufflamine statim imposito Febri præcipiti, reliquum Corticis ad alteram usque unciam, lentiore sensim pro re natâ progressu, consumptum volo. De his omnibus fusè, & ordinatè in eodem Opere meo a pag. 321. usque ad 354., ubi totum Corticis impendium, & tota simul meæ Methodi novitas abundè perspicitur. Novum quippe revera est, propinare hoc pharmacum in iis circumstantiis, in quibus nulla ampliùs pharmaca locum habent; magis novum, propinare tam utiliter; & maximè novum, hanc utilitatem pendere ab industri quadam modicæ potiùs, quàm exuberantis tandem quantitatis distributione.

Sed si *Methodus ista nova non est*, & *si jamdiu in Germaniâ*, ut inquit, *usui cœpit esse*, cur illam soli *Mutinæ* sequaci imputat, non verò *Germaniæ*, ut asserit, præeunti Cl. Auctor? Ast hallucinatur ille non parum, dum in asserti sui probationem adducit Epistolam Bradii (fallitur & in hoc, quòd *responsivam* vocat, cum sit sciscitatoria ad Sydenham) Robertus enim Bradyus, ut patet ex eâdem Epistolâ, & ex Responsoriâ annexâ Sydenhamii ad ipsum Bradyum pag. 332., & seq. in Operibus præcitati Sydenhamii, Edit. Pâtav. 1700., est Professor *Cantabrigiensis*; verbaque a Cl. Ramazzino hìc recensita scripsit idem Bradyus e *Cantabrigâ*, Urbe, non *Germaniæ*, sed *Angliæ* celeberrimâ, ut videre est loco citato. Crebrò nimis profectò labitur vel inter plana hæc cæspitans Vir Cl., ut queam ipse tam crebrò dissimulanter connivere. Quòd ille §. 31. *Franciscum* pro *Antonio* extinctum, sive occisum voluerit: quòd §. 32. alium quempiam de *Marchione Comitem* fecerit: quòd §. 33. Fernelii Libros De abditis non *Rerum*, sed *Morborum* Causis inscriptos dixerit: quòd denique hoc ipso Paragrapho Epistolam Bradii *Sciscitatoriam* pro *Responsoriâ* sumpserit, & Nationum Medicinam confundens, *Germanicam* Scholam citarit loco *Anglicæ*, vel Germaniam ipsam ad Tamesim, & Camum pro Angliâ collocarit; id omne illi facilè condonandum dixerim; quamvis idipsum alii non ita facilè laturi sint Medici, neque Geographi. Sed quòd morem ejusdem Anglicæ Scholæ, quam mihi, tunc licèt inscio, præeuntem in liberaliori Chinæ Chinæ usu ad Perniciosas Intermittentes pluries asserui in Opere meo, velit ille adscribere insuper Scholæ Germanicæ in contumeliam Methodi meæ, ut scilicet omne illi adimat novitatis decus; id certè non æquè facilè ferendum mihi: quemadmodum nec bene tuli, nec unquam feram, venditatum falsò ab eodem (puto quidem sinè crimine) pro infaustè alicubi exhibito, nullatenus exhibitum, aut propositum Peruvianum Corticem.

Sed quoniam Germanum effinxit invitâ Naturâ Robertum Bradyum, cur saltem illius germana sensa nostro Cortici adeò favorabilia,

& ex

& ex immediato ejuſdem contextu clarè patentia non ſubdidit Vir integerrimus ? Subdam ego de more prolixior quod de induſtriâ omiſit ille, cùm maximè ipſum juvabat brevitati ſtudens; imò totum, prout jacet, Bradii Textum, a Cl. Ramazzino partim allatum, & partim omiſſum integrè huc reddam. Sic ergo Thomæ Sydenham Londinenſi ſub die 30. Decembris anni 1679. ſcripſit e *Cantabrigâ* Robertus Bradyus -- *In Sectione primâ Cap. quinto Libri tui paucis egiſti de uſu Corticis Indici, & ejuſdem exhibendi Methodo. Equidem ſcio quoſdam haud infimi ſubſellii Medicos, qui in magnâ quantitate, & doſi ſæpius repetitâ eum exhibent; alios item, qui ex eodem extracta, infuſiones, & ex infuſionibus julapia, & emulſiones conficiunt: quibus modis ſe non tantùm Intermittentes, ſed & Continuas quaſdam certò curare affirmant. Magnum procul omni dubio in curandis Intermittentibus eſt remedium. Ego quidem per 20. plus minùs annos dictum Corticem variâ formâ, & multiplici præparatione maximo cum ſucceſſu exhibendum curavi. Si verò peculiare quippiam de uſu hujuſce Corticis noſti, vel quid melius progrediente experientiâ fueris edoctus, id ne graveris, precor, in lucem proferre.* Hæc omnia e Cantabrigâ Bradyus. In *Angliâ* ergo, non in *Germaniâ*, (penès Mortonum ſaltem, & Sydenhamium) uſitata erat Methodus, non quidem eadem, ſed nec longè abſimilis a meâ, præſcribendi Peruvianum Corticem, ut candidè faſſus ſum in Therapeutice meâ locis citatis, & alibi. Quodnam autem Bradyo reſponſum dederit Sydenham, & quâ Methodo ſe uſum dixerit in miniſtrando Ægrotis Peruviano Febrifugo, ſatis patet ex Textibus illius a me tranſcriptis, tum olim in Tractatu meo, tum denuo in hiſce Reſponſionibus Jatro-apologeticis. Quòd ſi inſuper particulam quamdam finalem Reſponſionis ejuſdem Sydenhamii ad Bradyum, pro meliùs dignoſcendâ eximiâ vi Corticis ex arte adhibiti, meorumque inſimul dictorum explorandâ fide, luſtrare libeat; quoniam hæc ipſa Sydenhamii concluſio rebus quoquè meis tam bene congruit, ut mihi fortaſſis hodie idem de Opere meo liceat affirmare, quod de ſuo quondam Sydenhamius aſſeruit; hæc illius verba ſummatim huc translata haud piget ſubdere. *Si placuiſſet ad ea animum advertere, quæ annis abhinc quatuor tradideram; quo pacto ſcilicet Cortex debuerit miniſtrari, tum poſtea repeti, Ægro convaleſcente, viverent fortaſſis haud pauci eorum, quos jam terra tegit; utut homines vilipendant tenues ſanè illos conatus noſtros, communi omnium bono dicatos, & monita ſpreverint ibidem dictata.* Hæc eadem itaque mihi ſors obtigit a Cl. Ramazzino, cui mea minimè placuerunt vel dono miſſa. Nullo igitur pretio mercem hanc *venditavi*, quæ tantùm abeſt, ut illum emptorem habere meruerit, quin potiùs habuerit contemptorem.

(*b*) (*Nil inauſum &c.*) Auſus iſte tam inſolens præſcribendi *Clyſteres ex Chinæ Chinæ decocto*, ſi apud Cl. Auctorem malè audiat ut enervis, aut parum efficax, eâdem quoquè ratione non admodum glorioſè audit apud me pag. 669. Tractatus mei; quamvis non ſemel & hac viâ mihi uſui fuerit idem Peruvianus Cortex. Si verò malè audiat alio nomine; ſciat idem noſter Auctor, ad auſum hujuſmodi,

præter

præter Helvetium Facinoris Auctorem, perveniſſe quoquè e *Scholâ* inclytâ *Bononienſi* (*quæ cæteris*, ipſo Judice, *pro regulâ Policleti eſſe poteſt*) Clariſſimum Sbaragli, per ſuperiora, & per inferiora Febrifugum hoc pro caſuum exigentiâ in Ægrotantium corpus immittere non renuentem, ut in *Oculorum*, & *Mentis Vigiliis* pag. 273. Sciat inſuper, ad eundem auſum nedum perveniſſe in curatione auſpicatiſſimâ Pueri quinquennis, remedia quævis per os reſpuentis, ſed & Practicis ſtimulos addidiſſe ad idem tentamen Georgium Baglivum, quem §. antecedenti citavit Cl. Auctor tanquam Scriptorem uſui Chinæ Chinæ adverſantem. Legatur Caſus apud eundem Baglivum lib. 1. Prax. Med. Cap. 13. pag. mihi 128. Quid ergo miratur adeò Vir Cl. de *Clyſteribus Febrifugis* ex Chinâ Chinâ paratis, qui Moniali cuidam nihil per os aſſumenti, ad 66. dies per ſolum Clyſterem *Nutrientem*, ſingulis diebus injectum, vitam ſe prorogaſſe refert in ſuis Conſtitutionibus Epidemicis Mutinenſibus, a pag. 107. uſque ad totam pag. 109.? Metuitne forſan, ne qui parantur ex Chinâ Chinâ Clyſteres, *Cachexiam* pariant, aut *Hydropem*, eâdem, quâ *Nutrientes* illi alimentum intrudebant viâ? Certè ſi crebrò, & copiosè repetantur, inflabunt Abdomen: cujuſmodi infortunium fortè contigit quadringentis illis militibus prope Manhemium æſtiva caſtra ſortitis.

§. 45.

J*Am multa* habita ſunt experimenta permiſcendo Chinam cum variis Spiritibus, cum ſuccis corporis animalium, cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine recenter extracto, ad obſervandum, num aliqua fiat effervescentia, & colorum mutatio. Hujuſmodi tentamina, quæcumque ea ſint, non improbo, ſed dico hac in re non paucas contingere hallucinationes; in Stomacho etenim ex ſucco acido, qui inibi ex naturæ lege hoſpitatur, & alchali fixo Chinæ Chinæ fit lucta, & exinde novum concretum, quod ad alias partes demiſſum, diverſas habet vires, quod permixtum cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine, quid operetur ſcit Deus. Quantum in rerum natura poſſit mixtio, ex nitri, ſulphuris, & carbonis permixtione, unde emergit pulveris pyrii tantarum virium compoſitio, jam ſatis notum. Sat celebre eſt illud Auſonii de Muliere mœcha, quæ Marito zelotypo toxicum dedit, ac poſtea ut illius

vim

vim geminaret, Argentum vivum porrexit, ſed antidotum prioris veneni exhibuit.

(*Jam multa &c.*) NE quis poſſit ambigere, utrum ipſe petar, & an ventiletur Opus meum in hac Diſſertatione Criticâ universâ, placuit Cl. illius Auctori in ipſa quoquè Specialia experimenta mea, ſeu potiùs tentamina quædam, ad explorandam febrifugam virtutem Corticis aliquando inſtituta, & pag. 48. mei Operis expoſita, nonnihil animadvertere. Et licèt ex iis me nihil ſolidi elicuiſſe ſim faſſus; imò licèt in iis nil improbandum ſe reperiſſe quodammodo fateatur Vir ipſe Cl.; nihilominus aliquid tandem expiſcatur, quod carpat, generaliter inquièns, *Hac etiam in re non paucas contingere hallucinationes*: quaſi fallax fuiſſet regula inveſtigandi per hæc tentamina virtutem Corticis, quotieſcunque etiam per illa phænomenon aliquod ſpeciale, ac novum innotuiſſet. Sed, bonâ ejus veniâ, hallucinatur ille non parum, ordinem philoſophandi experimentalem invertens. Ex actione quidem cujuſpiam Remedii quid peculiare agentis extra corpus humanum, haud ſatis certò poteſt elici conjectura, quòd idem pariter actu um ſit intrà corpus humanum, ob tot aliorum, diverſorumque ſuccorum commiſtionem, quibus inficitur, ut pag. quoquè 678. Tractatus mei minimè ſum veritus confiteri. At verò ſi illud idem Remedium, nempe in caſu noſtro China China, *certò* agat quid peculiare intrà corpus humanum; ſcilicet Fermentum febrile nobis occultum *certò* corrigat, ut *certò* corrigit; ſubinde autem per experimenta extra corpus habita nobis conſtet (quod tamen nequivit conſtare) illam ſuccos V. G. inſigniter acidos, amaros, aut ſalſos retundere, eoſque omni acrimoniâ Naturæ modum excedente ſpoliatos, ad dulcedinem quandam reducere; plurimâ certè probabilitate, ne dicam evidentiâ, inferri poterit, tum quòd China China humores noſtri corporis præter naturam acidos, amaros, aut ſalſos redditos, vi ſuâ cogat dulceſcere, tum maximè quòd ipſum febrile fermentum ab eâdem retuſum, acidum revera ſit, amarum, aut ſalſum.

Aliud ergo eſt, quærere per experimenta extra corpus inſtituta Remedium febrifugum; aliud eſt, Remedii febrifugi jam reperti quærere vim intrà corpus exercitam, per experimenta illam demonſtrantia extra ipſum corpus. Si ex Toxici, Hydrargyri, & humanæ ſimul Salivæ permiſtione, Toxicum ipſum extra corpus humanum dulceſcere, ſuâque acrimoniâ ſpoliari, aliquando obſervare potuiſſet Mulier Mœcha, ab hujuſmodi commiſtione intrà corpus Mariti Zelotypi dubio procul abſtinuiſſet, aliterque ceciniſſet Auſonius. Sed & aliter caneret hodie, ſi Medicos quoſdam noſſet in uſu Chinæ Chinæ parum verſatos, qui hoc Febrium *Alexipharmaco* propinato, & Febre depulsâ, aliud paulò poſt *Pharmacum purgans* exhibent, quo Febrem ſtatim revocant, dum arcere contendunt: exclamaret quippe; nec forſitan lepidè minùs,

Et cum Fata volunt, Pharmaca *bina* nocent.

(*a*) *Ex*

§. 46.

(a) EX *permixtione* ſolutionis Vitrioli cum ſolutione Chinæ Chinæ obſervavi ſpeciem quandam atramenti, unde ſuborta mihi ſuſpicio idem fieri in Stomacho ex potione Chinæ Chinæ dum acido permiſcetur, ſicque fermenti febrilis craſim inverti, ac impotentem fieri ad novos motus febriles excitandos. Neque novum intermittentes febres æſtate pervagantes pendere à ſalſo-acido fermento, licet ut plurimum opinio ſit *(b) a luxuriante bile* progigni. Æſtate acida quæq; avide appetimus ac utimur, & fructus hujuſce naturæ exquirimus, unde Ventriculi acidum tunc temporis abundare non alienum eſt credere, quamvis enim in principio febrium intermittentium reici ſoleat multa bilis, irritamentum prius in Stomacho factum ab acido turgente, vaſa cholidoca trahere poteſt in conſenſum, veluti fit in nephritica paſſione; puto ergo Chinam Chinam totam vim ſuam in Ventriculo exerere, quia video in febre intermittente, alterum paroxiſmum, qui expectabatur, omnino ſiſti, quod certe admiratjonem facit; in aliis autem locis extra Ventriculum, aut parum, aut nihil operari, ſeu quia illius virtus ſit infracta, ſeu quia contrarietatem non reperiat, nam ubi febris *(c) primo periodica, poſtea continua* facta fuerit, nihil admirandi obſervo, quod Chinæ Chinæ, licet larga doſi aſſumptæ, mereatur adſcribi, febris enim ad plures dies perſtat & paulatim ſolvitur.

(a) (*Ex permixtione &c.*) EXperimenta omnia ad Chinæ Chinæ virtutem indagandam tentata, per commiſtionem illius cum aliis Succis extra humanum corpus, reputat fallacia Cl. Auctor; *in Stomacho etenim*, ajebat ille Paragrapho antecedenti, *ex ſucco acido, qui inibi ex Naturæ lege hoſpitatur, & alchali fixo Chinæ Chinæ fit lucta, & exinde novum concretum, quod ad alias partes demiſſum diverſas habet vires, & permiſtum cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine, quid operetur ſcit Deus.*

Statim

Statim tamen in præsenti Paragrapho horum omnium oblitus, suum ille Experimentum, pari penitùs modo institutum adducit, *solutionem* nempe *Vitrioli cum solutione* (rectiùs dixisset, *cum infusione*) *Chinæ Chinæ permiscens;* suamque indè fidenter deducit hypothesim, quâ modò vult, *Chinam Chinam totam vim suam exerere*, non ampliùs in sanguine, ut immediatè ante dixerat, sed *in Ventriculo: in aliis autem locis extra ventriculum, aut parum, aut nihil operari*. Illi ergo uni datum sit per contrarias undique semitas adire Corinthum, & quomodolibet propriam sententiam proferre, ac proprium experimentum. Verùm quid proprium illius experimentum dixi, quod ab Ettmullero, Langio, & aliis fuit ille mutuatus; quodque omnibus *ex infusione Gallarum*, & *solutione Vitrioli* atramenta conficientibus, ut olim in suis Constitutionibus Epidemicis pag. 121. annotavit Vir ipse Cl., quotidie est obvium? Cum ergo (ut hinc æstimetur pondus experimentorum illius) cum, inquam, tam ex permistione infusionis *Gallarum*, *Cinnamomi*, aliarumque rerum porosarum, colore quadantenus his similium, quàm ex permistione infusionis *Chinæ Chinæ* cum unâ semper solutione Vitrioli, eadem suboriatur Atramenti species (ut facto experimento observavi) eodem quoquè pacto deberet a *Gallarum*, *Cinnamomi &c.* pulvere *Fermenti febrilis crasis inverti*, & *impotens reddi ad novos motus febriles excitandos*, ut redditur a Chinâ Chinâ, secundùm hypothesim Viri Cl.: quod tamen indè sperare foret ridiculum.

(*b*) (*A luxuriante bile &c.*) Tertianas *Febres Æstate pervagantes a luxuriante bile progigni*, opinabatur Paragrapho 16. hujus Dissertationis ipse Cl. Auctor, ut vidimus: modò non illi arridet ampliùs, quæ tunc placuit opinio; fortasse quia similem quoquè me fovere sit suspicatus. Cum enim experimenta mea, pro investigandâ Chinæ Chinæ actione quondam instituta, ad trutinam revocasset ille Paragrapho antecedenti, ut ea parvi penderet; ex iisque longè faciliorem deduci ipsius Chinæ Chinæ nexum cum Bile, quàm cum Lymphâ, Salivâ, Urinâ, aliisque diversis fluidis, ut reor, considerasset; aliqua hinc mihi occasio suspicandi, Virum Cl. me propensum saltem putasse ad statuendam pro Intermittentium Causâ eandem Bilem, maximè cum pag. 54. Operis mei hæc verba protulerim -- *Quod de Bile, & Oleo constat per experientiam* (sermo ibi est de facili absorptione Chinæ Chinæ intrà Bilem, & Oleum observatâ) *potest fortasse per conjecturam credi de Fermento febrili; sive ad illud constituendum Bilis concurrat, sive aliud Fluidum oleosæ forsitan naturæ particeps*. Sed facilè poterat certior fieri, me nusquam *determinatè* adstruxisse Bilem, ut Causam Intermittentium, si animadvertisset ferè ibidem hæc alia verba, pag. 50. ejusdem Tractatus exarata -- *Parum refert observare quid China China operetur intrà Bilem qualemcunque, cum nos lateat quinam sit, vel esse possit, ad Causam Intermittentium constituendam Bilis concursus*.

Multò magis id poterat ille dignoscere, si Conjecturas meas omnes de Intermittentium Causis, toto ferme Cap. 6., nec non etiam 8. Libri primi prolatas, & pro imperfectis a me ipso habitas, legere non renuis-

renuisset; ubi nempe me in generalibus tantùm quibusdam Theorematis firmum, in peculiaribus summè hæsitantem deprehendisset. Et jure quidem merito: quemadmodum enim in meo Tractatu, anno 1712. publici juris facto, occultam planè protuli ad ea usque tempora *veram*, & germanam Intermittentium Causam; ita minimè verebor fateri, idem contigisse in hanc usque diem; æquè conscius, Naturam ulli nondum Medicorum liberaliorem, sed æquè avaram ac antea se præbuisse, in pandendo hujusmodi arcano. Tantùm abest, ut *Bilem luxuriantem*, aliumve liquorem *determinatè* humani corporis (quamquam eorum aliquem certè peccare necesse sit) hujusmodi criminis reum audeam proferre. In re tam obscurâ sat sit suspiciones nonnullas in eodem Tractatu cunctanter olim enunciasse locis nuper citatis.

Non est igitur cur mihi obtrudat Vir Cl., *Intermittentes æstivas pendere a Salso-acido Fermento, non a luxuriante bile*, atque (ut in contextu) *Chinam Chinam totam vim suam in ventriculo exerere;* siquidem revera hanc litem mecum agere satagat: mihi enim abundè sufficit, quòd eadem China China Fermentum febrile pessundet, sive acidum dicatur illud, sive salsum, sive amarum, sive alîus saporis, aut indolis. Quòd verò Febrifugi actio, incipiendo a Ventriculo, non prætergrediatur secundas Chyli vias; & quòd sanguis (quem in Intermittentibus merè passivè se habere centies dixi) nullam probabiliter judicio meo sensibilem alterationem patiatur ab eodem Febrifugo, jam literis cubitalibus scripsi in ipsâ Therapeutice meâ, iisdem pariter citatis Cap. 6. & 8. Libri primi. Sed quid, si ad componendam litem, quam mihi, non eo, quo forsitan censuit, modo, de hisce revera sentienti, videtur indicere Vir Cl., opinionem Eruditissimi D. Zendrini quispiam in medium adduceret? Cum enim Professor iste pro Intermittentium Causâ Bilem adstruat, sed *Acidam* redditam, & in Duodeno præsertim Intestino suæ dyscrasiæ vires in Chyli damna exercentem; jam ferè cessare deberent Cl. Ramazzini querimoniæ contra eandem Bilem; quatenus in hujusmodi Hypothesi Causa febrium, & acida esset, quamvis constituta in ipsâ bile, & vix infra Ventriculum (quod illi displicere nequit) sedem haberet.

Scio equidem fore, si viveret Vir Cl., ut D. Zendrini sententiam de Febrium Intermittentium ortu, & Circuitu minimè admitteret, saltem ut proficiscentem a Viro docto quidem; sed qui de præstantiâ, actione, dosi, & usu Chinæ Chinæ post me nuperrimè scribens, innumera protulit, tum Theorica, tum Practica, Operi meo, sensibusve meis in eodem expositis planè conformia; adeòque Scriptore sibi suspecto: posset nihilominùs illum a partium quarumlibet studiis immunem ex hoc saltem agnoscere, quòd in nonnullis aliis, nec parvi quidem ponderis, pari a me facilitate discreparit; licèt consensus, æque ac dissensus sui, prout liberum Philosophum decet, nullam omnino rationem habuerit, aut scrupulosam solicitudinem. Quòd verò in tot aliis mecum coincidat pro tutelâ, & administratione Febrifugi optimi; id ejusdem Remedii præstantiæ adscribendum omnibus Professoribus notæ, non literariæ amicitiæ nexui inter nos exinde suborto.

Sepositâ itaque illius auctoritate Clarissimo fortasse Ramazzino suspectâ, seponamus quoquè omnem considerationem de quovis concursu Bilis ad Febres Intermittentes, & de quacunque illius dyscrasiâ, & motu, tam fermentativo, quàm progressivo &c.; quem progressivum laudatus D. Zendrinus Circularem statuit, Venarum Meseraicarum ope, fretus experientiâ Reverhorst, aliorumque nonnullorum Anatomicorum, præeunte Borelli ratiocinantis conjecturâ. Eos tamen (ut hoc obiter innuam, unde aliquando speranda solutio non contemnendi Problematis) eos inquam rejecit in suâ Historiâ Hepaticâ anno 1711. editâ accuratissimus Anatomicus, idem pariter & Amicus D. Jo: Baptista Bianchi Part. 1. Cap. 11. §. 11. pag. 52. his verbis -- *Multò minùs per venas meseraicas resugitur biliosus hic humor, ut inde per eas in Portam derivatus, hinc per Hepar rursus in Ductum excretorium, & Intestina confluens, Circulationem habeat & suam per viscera Abdominis, æmulam expositæ salivariæ circulationi per viscera, & sanguinem; quantum ferunt Modernorum aliqualium insomnia* (& hìc asterisco notat in margine Jo: Alphonsum Borellum, Nuck, & Reverhorst) *Nam præterquamquod in Intestinorum cavitatem non hiant Meseraicæ; nil contra Circuitus leges, & animalem Machinam deformius excogitari potest bilioso hoc motu circulari; ut vel Medicinæ initiatis patet.* Hæc citatus D. Bianchi. Amicus ille mihi; Amicus D. Zendrinus; nec dubito, quin utrique, non minùs quàm mihi, amica futura sit Veritas, quotiescunque eorum alterutri obtingat, illam e tenui, quâ etiamnum obvolvitur, caligine, educere. His ergo dimissis omnibus, mihi potiùs esset e re, Hypothesim ipsam Cl. Ramazzini de salso-acido Fermento febrili propiùs examinare. Eam nihilominus in pluribus quidem fortasse non contemnendam, sed quæ suos in plurimis aliis patitur Manes, ego hìc in obsequium Defuncti minimè vellicabo; ne videar, ut ab exordio jam dixi, velle me luctari cum Larvis.

Id unum rursus disquiram, si liceat; quo nempe jure dicatur hìc China China corrigere Fermentum *acidum*, aut *salso-acidum*, tanquam *Causam* Intermittentium Febrium, cum ex adverso §. 14. dictum fuerit a Viro Cl., *humorem atrabilarem, seu melancholicum* (qui dubio procul statuitur *acidus* ab admittentibus hæc, & similia Veterum commenta) *non auscultare huic Febrifugo*. Quòd si verè China China agat in Febres Intermittentes, easque depellat, in quantum *Fermenti febrilis salso-acidi morbosam crasim invertit, & ad novos motus febriles excitandos impotentem reddit, totamque vim suam exerit intrà ventriculum* (quem nullo pacto irritat, aut lædit, sed præ amarore suo potiùs roborat) *parum verò, aut nihil operatur in aliis locis extra ventriculum*, ut modò conjicit Vir idem Cl.; profectò nescio, quo pacto ea per modum operandi tam blandum, tamque tutum, cujusmodi est simplex immutatio Crasis Fermenti febrilis ventriculo inexistentis, possit de tot malis, de tot noxis alibi recensitis suspecta reddi, ac dici *sanguinem figere*, viscerumque *Obstructiones*, & *Cachexias* inducere; cum *ad loca extra Ventriculum* sita non extendatur, ex ejusdem Viri Cl. effato, illius activitas.

(c) (*Primò Periodica, postea Continua &c.*) Quotiescunque Febris primò Intermittens, mox Continua *recenter* facta (de illâ enim, quæ continuitatem essentialem adepta jam sit, mihi sermo non est) quotiescunque, inquam, Febris hujusmodi post assumptam dosim congruam Chinæ Chinæ, *ad plures adhuc dies perstet*, *& tantùm paulatim solvatur*; ultrò concedo, nec quicquam admirandi contingere in curatione illius hoc pacto peractâ, nec Chinam Chinam mereri, ut illi adscribatur sanationis gloria, tanquam iners, & effœta ea fuerit; quemadmodum pluries protuli in Tractatu meo, videlicet pag. 556., 557., 593., 635., & 636. Ast in hisce Febribus, *continuè* quidem (ut nuper ajebat ex Sylvio Cl. Simonius) Ægrum vexantibus, sed non ideo verè *Continuis*; in quibus nempe viget adhuc primæva Intermittentium conditio, ipsumque adhuc prævalet Periodicarum speciale Fermentum, etsi paroxysmorum confusio veram continuitatem simulet; in hisce inquam Febribus, sive mortem proximam, ratione cujusdam adjuncti perniciosi Symptomatis, sive acutam, malignamque metamorphosim, hinc & mortem quoquè, seriusculè saltem, minitantibus, exhibito, ut decet pro variâ casuum exigentiâ, Peruviano Cortice, non *paulatim*, sed *illico*, nempe intrà biduum, aut triduum succedit salus, æquè ac fit in veris Intermittentibus, ut latè dixi in responsione ad §. 33. lit. c.

Id autem evenit (ut me rursum nonnihil explicem) quia in istiusmodi febribus per accidens tantùm, hoc est per productiones, aut intempestivas renovationes, & communicationes paroxysmorum *Continuis* redditis, non fermentum quoddam sanguini *ingenitum*, quod Cortici refractarium est, peccat, ut in *Continuis* ab origine talibus; sed illud tantummodo, quod eidem sanguini per crebras, & repetitas vices aliunde accedit, nec tamen qualibet vice integrè absumitur, sed secundùm quasdam sui portiones haudquaquam subactas paulatim in ipso cruore contubernales agit radices, minimè tamen indigenas; unde assidua, sed præter ordinem incidens, febrium protractio. Hujusmodi idcirco radices nondum firmæ, sive istæ fermenti *extranei* reliquiæ sensim aggestæ, haud difficulter evelluntur ope Corticis, etsi fortasse in illas non immediatè ampliùs agat ipsemet Cortex, sed solùm mediatè; quatenus nempe suppetias, unde alimentum trahunt, & quo per interceptionem paroxysmorum sublato arescunt illæ, omnino prohibet, arcet, ac destruit: adeòque consecutione quadam ipsam febrium etiam exitialium *fortuitam* continuitatem quàm citò, ac planè admirabiliter delet, ut fusè, satisque, ut reor, dilucidè explicare hæc omnia conatus sum pluribus in locis Therapeut. meæ, præsertim Cap. 6. & 8. Lib. 1 Cap. 3. Lib 5., & alibi.

Quòd si miranda hæc non observavit Cl. Auctor; neque mirum mihi, ea non fuisse illi observata: si enim in saniori ætate nullo pacto in Febribus quamcunque continuitatem adeptis, exhibuit unquam Peruvianum Corticem; in juvenili verò nondum mos invaluerat, præsertim apud nos, uti Febrifugo hujusmodi, aut hisce *casibus*, aut hisce *modis*; quandonam quæso potuit ille quicquam *admirandi* observare in hac materia? Si tamen non observavit, aut se observasse non meminit,

nit, ne in Curationibus quidem eo mihi socio absolutis; id saltem facilè poterat in Historiis meis observare, toto ferme Libro quarto descriptis, ipsosque restitutos Ægrotantes etiamnum bene valentes interrogando pro libito, de *citissimâ* illorum post assumptionem Corticis sanitate acquisitâ, ore ipso tenus certior fieri.

§. 47.

DUm hæc ad Te scriberem, (*a*) *allata est mihi Epistola*, quæ funestum casum Comitis Torricini, Serenissimi Ducis Guastallæ Ministri, referebat. Vir iste parva febre laborare cœpit, ut vix annotationem sensibilem haberet; modico Cassiæ à Medico familiari purgatus est, ac alterantibus ad universalem purgationem disponebatur. Medicus alter majoris autoritatis accessit, qui Chinam Chinam proposuit, ut ægrum ad solitum ministerium, quàm primum remitteret, reposuit alter sibi non satis tutum videri impurgato Corpore hanc febrem velle abolere, sed prævaluit consilium, quod citam sanationem pollicebatur. Exhibita China China, modo in tota substantia, modo in vino infusa, sed parum fausto successu, augebatur enim febris in dies, facta manifeste continua, sed die 20. nequitiam suam aperte prodidit, vocati illico è vicinis regionibus alii Medici, sed Vir ille inter Medicorum controversias misere oppetiit. Casus hujusmodi, hic & illic identidem occurrentes, (*b*) *sive ob remedii* improprium usum, sive ob ejusdem occultam malitiam, in causa sunt, ut Peruvianus Cortex à Doctis Scriptoribus, veluti (*c*) *Willisio*, *Etmullero*, titulis parum honorificis vocitetur.

(*a*) (*Allata est mihi epistola &c.*) UT Mutinam corrigat Cl. noster Auctor, Guastallam plectit; parcitque nemini, ne parcat Cortici. Mihi quoquè allata fuit haud absimilis Epistola, funestum videlicet eundem eventum apportans, data sub die 17. Novembris anni 1713., octo nempe vix elapsis diebus ab obitu Nob. illius Viri. Annexa insuper aderat historia Morbi, quotidianum tum Febris, tum Curæ progressum describens, &

qua-

quatuor Aſſidentium Medicorum nomine firmata: quæ quidem in pluribus non exigui ponderis circumſtantiis diſcrepat a narratione ſummariâ Viri Cl. . Meum non eſt hìc inquirere (mihi etenim, etſi ſuper hac ipsâ re expreſsè requiſito, ſemper a munere Judicis abſtinendum duxi) meum, inquam, non eſt inquirere ſolerti indagine intimam naturam, aut ſpeciem illius Febris, neque accidentia omnia eam concomitantia, quæ oblationi Corticis anſam, ut reor, rationalem præbuere. Hujuſmodi enim examine minimè prævio, culpâ ſemper vacare dixerim Corticem etiam inutiliter oblatum; quin & præſcribentes Medicos, qui auxilium ſuapte naturâ tutum, quamvis incaſſum (ut perſæpe aliis remediis adhibitis fieri ſolet) rationabiliter tamen tentavere, præeunte Mortono, aliiſque Scriptoribus, præſertim in circumſtantiis prævifi forſan exitus, cæteroqui etiam funeſti: quâ de re Apologeticam propediem edendam eſſe ab iiſdem curantibus Medicis, vel eorum ſaltem nonnullis, Reſponſionem ad hæc ipſa Cl. Ramazzini objecta, haud obſcurè ſubaudio. Quæ cum ita ſint, nequeo non admirari in Cl. Auctore rem confidentiæ, & animoſitatis plenam, dum ipſum tam lubricè, tamque præcipiti lapſu irruere intueor in damnatorium illud judicium ſuum adversùs Viros illos egregios curatione functos, quos apertæ redarguere videtur imperitiæ, aut ignorantiæ: quaſi ex ipsâ Corticis oblatione mors Ægrotantis emerſerit; nempe, *vel ob remedii*, ut ſubdit in contextu, *improprium uſum*: en imperitia Praxeos; *vel ob occultam ejuſdem malitiam*: en ignorantia Botanices; vi cujus eos fefellit *occulta malitia* Peruvianæ Plantæ, Cl. Auctori, quippe doctiori apprimè nota.

At (bone Deus!) culpari equidem quandoque ſolet de morte Ægrotantium, etſi ſæpius etiam immeritò, Remedium aliquod ex ſe tumultuoſum, & magnum, videlicet in corpora noſtra ſenſibiliter, ac fortiter agens. V. G. Purgatio, aut Venæ ſectio, tunc cùm Æger, cæteroqui haud multùm graviter habens, ſtatim a Purgatione, aut Venæ ſectione ruit in præceps, ac moritur. Sed cùm ab aſſumpto remedio nullam moleſtiam, aut turbationem ſenſibilem inferente, morbus ſtadium ſuum ad plures, & plures dies pro more abſolvit, donec Ægrum ſenſim tabeſcentem conficiat, ut in caſu, de quo agitur; magna profectò confidentia eſt aſſerere, ejuſmodi remedii culpâ Ægrum periiſſe: quaſi, ut ajebam in Therapeutice meâ, idem ſit mori poſt aſſumptum, imò longè poſt aſſumptum, ac propter aſſumptum remedium.

Cœpit autem hìc offerri China China in ſubſtantiâ ad drachmam tantùm nonâ morbi die; cùm ſcilicet Febris jam ſenſibiliter ingraveſcebat, adeout vererentur Medici, ne oneri diutiùs ferendo par eſſet Ægrotus; impoſuitque terminum remedio in ſubſtantiâ oblato dies duodecima. Subſtituta equidem fuit die 13. tinctura ejuſdem Chinæ Chinæ; ſed & hæc ſtatim omiſſa. Interim circa undecimam Febris miteſcere viſa fuerat, apparentibus in urinâ coctionis ſignis; itaut in fine duodecimæ Medicus noviſſimè ſuperaccitus Ægrum a Febre immunem aſſeruerit. Subinde tamen ſenſim recruduit morbus, qui vigeſi-

mâ tandem die Patientem gravi ſenio, laboribuſque confectum ſuſtulit.

Hæc omnia me docuit recenſita curantium Medicorum *omnium* Relatio. Cur igitur lentus, ac ſerior Ægrotantis interitus Cortici imputatur antea exhibito, cum eidem Cortici recenter oblato non adſcribatur unquam, me quoque conſentiente, lenta, ſeriorque ſanatio? Cur illi potiùs hæc culpa tribuitur, quàm Mannæ (fuit enim *Manna* oblata, non *Caſſia*) vel ſanguinis miſſioni, aut omiſſioni illius, quoniam de hoc præſidio Narratio ſilet, vel Confectionibus, aut Elixiribus calidioribus, vel Bezoartico Lapidi, vel Vino, vel Aquæ, quorum utrumque controvertebatur, vel aliis omnibus, quæ uſui fuere, inſontibus quidem, ut reor, ſingulis; ſed jure potiori a rigido quopiam Cenſore culpabilibus? Memini me dixiſſe aliàs, Corticem Peruvianum tunc ſolùm forſan obeſſe poſſe, cùm ſuas exerit vires, & Febrem ſiſtit, ſed *depuratricem*; quam nempe ſatiùs eſſet protrahi diutiùs. At cùm Febrem nequit ſiſtere, ut nequivit hoc caſu, cur eam dicamus deteriorem feciſſe? Anne meliorem feciſſet, quæ Chinæ Chinæ in augmento morbi, abſentibus coctionis ſignis, & tendente ad urinæ vias excretorum motu, præferebatur, aut illi præmittenda proponebatur nova purgatio? Minimè gentium certè. Cortex ergo nec Febrem, nec Ægrum ſuſtulit. Si Febrem fugaſſet, Cl. Auctor *illam optaſſet rurſus, ſed fortiorem, remedii loco*. Non fugavit, nec prohibuit, quin paulò poſt fortior fieret. Voti ergo compos abundè factus, quid Cortici iraſcitur, qui & Cardiacis, & Bezoarticis, & Febrifugis Veterum, & Febri ipſi medicatrici locum, ac tempus de more ad curationem ſufficiens conceſſit, forſan & impetravit?

Hæc contigere dum ſcriberet Vir Clariſſimus: dum autem ipſe hæc reſcriberem; imò potiùs dum anceps adhuc hærerem, an ſcripta hæc ante ſpatium trimeſtre jam condita promulgarem, *allata eſt mihi Epiſtola*, quæ caſum, nedum periculoſum, ſed & præcipitem D. Auguſtini Tomaſii, Plebis Maſſæ Finalenſis Archipræsbiteri referebat. Vir iſte die 21. Junii 1715. Tertianâ Febre laborare cœpit, quæ primo acceſſu *vix ſenſibilem frigoris annotationem habuit*, eâdemque penitùs caruit acceſſibus ſubſequentibus. Tertio paroxyſmo brevem, quam antea præſetulerat, apyrexiam amiſit, continua duplex jam reddita, cum anxietate, & inquietudine maximâ, ſiti inexplebili, linguâ ſcabrâ, urinâ croceâ, craſsâ, paucâ, & lixiviali; uſque tamen periodum ſervans, exacerbationemque, ac remiſſionem, quantumvis obſcuriſſimam. Admonitus ego, ut ſupra, per literas D. Morandi Medici curantis de periculo Decumbentis Viri mihi conjunctiſſimi, illuc confeſtim transferor die 29. ejuſdem menſis, horâ ipsâ invadentis, ſeu potiùs recrudeſcentis quinti paroxyſmi.

Tam gravis fuit hujuſmodi exacerbatio, ut indè vita Ægrotantis in manifeſtum diſcrimen fuerit adducta: ſiquidem præter Symptomata prænarrata ſupervênit ſudor circa brachia, collum, & frontem ſubfrigidus, copioſus, vireſque ſummè dejiciens, qui licèt ad femora tandem nonnihil pertingeret; nihilominus Febrem quàm minimùm levabat. Pulſus tunc temporis parvus factus eſt, celer, & inæqualis, reſpira-

ſpiratio anheloſa, urina ferme nulla, ſubortuſque tandem Singultus. Priuſquam tamen is patenter ſe proderet, quod mox contigit, Corticis Peruviani drachmas tres ex Aquâ Card. b. potandas exhibui horâ quintâ pomeridianâ. Sex horis elapſis, mictio copiâ inſignis, colore verò, & conſiſtentiâ laudabilis ſubſecuta eſt; quod animum addidit ad duas iterum drachmas ejuſdem Corticis ſtatim ex Vino tenuiore offerendas, horâ nempe noctis tertiâ. Mane horâ undecimâ, nova drachma oblata eſt pariter ex Vino tenui, & horâ vigeſimâ, alia iterum drachma; tandemque, poſt adminiſtratum Euchariſticum Sacramentum, conſimilis alia mane diluculo ſequenti die, quæ majoris afflictionis dies eſſe debuerat. Sed dum in uſum duceretur remedium, res omnes horridam, quam præſetulerant, faciem adeò inſigniter mutavere, ut intrà triduum, eâ ſcilicet ipsâ die, quâ id futurum prædixeram, Febris abjerit, criticâ ſimul erumpente urinæ copiâ. Repetitum eſt nihilominus, poſt biduum vacationis omnimodæ, idem Febrifugum ad præcautionem, ſeu (ſi dicere liceat ſinè Cl. Auctoris ſtomacho) ad *prophylaxim*, quandoquidem omnis jam Febris evanuerat; primò quidem ad drachmas duas, die tertiâ Julii; poſtmodum ad drachmam tantùm, duobus ſubſequentibus diebus: tandemque, interjecto octo dierum ſpatio, rurſus oblatum eſt Remedium ad drachmas duas die 15. ejuſdem menſis, deinde ad Semidrachmam per quatuor dies ſucceſſivos. Atque ita conſumptis trium hebdomadarum curriculo unciis duabus Chinæ Chinæ, Æger, tum ſtatim ab omni Febre liberatus eſt, tum paulatim ab omni relapſu præſervatus.

Cuncta hæc teſtari poſſunt Viri Docti, & ingenui Finalenſes Medici, D. nempe Morandus curans, & D. Manfredus, qui pro ſuâ humanitate me ibidem inviſit officii causâ, ipſumque Ægrotantem graviſſimè habentem, ſocio ſibi adjuncto D. Ignatio de Groſſis, Viro nedum literato, & pluribus nominibus ſpectabili; ſed & Medicinæ Theoricæ, ac Practicæ haud parum gnaro. An Scriptis Cl. Ramazzini circa hiſtoriam Comitis Torricini calculum facilè ſint addituri unanimes Guaſtallenſes Medici, ut mea circa hunc Caſum aſſerta promptè roboraturi ſunt, ſi res exigat, Finalenſes; non longa, ut reor dies oſtendet.

(*b*) (*Sive ob remedii &c.*) Hìc pedetentim quæſo. Duplex hæc fovea, -- *Sive ob remedii improprium uſum, ſive ob ejuſdem occultam malitiam*, - ea non eſt, ut uno ſaltu queat tam facilè tranſigi: diſtant enim non parum hæc duo ab invicem. Oportet ergo omnino diſtinguere inter *malum uſum*, *& malam occultè naturam*. Primum, quod ex præſcribentis imperitiâ procedit, conceditur obeſſe poſſe; debitis tamen additis limitationibus, ut pluries effatus ſum. Secundum gratis omnino, etſi dubitativè, hìc prolatum, minimè admittitur: nec niſi cum aliquo propriæ exiſtimationis, ac ingenuitatis detrimento, poteſt quiſquam viriliter aſſerere, quòd clam, & occultè noceat id, quod evidenter, etiam quandoque cùm minùs appoſitè uſurpatur, prodeſt. Innocentiam intrinſecam Chinæ Chinæ ſatis me probaſſe puto toto ferme Libro primo Therapeutices meæ. Sed & poſt eam editam ſanctè teſtari poſſum, me in nonnullis caſibus planè incurabilibus Morborum

 quorun-

quorundam, non febrilium quidem; sed periodo nihilominus aliquâ recurrentium, aut recrudescentium, præsertim de genere convulsivo, experiundi causâ quod a pluribus Classicis Auctoribus suadetur (etsi mihi minùs credulo minùs pariter probaretur) præscripsisse Corticem Peruvianum ad plures dies quotidie, modò ad drachmas duas, modò ad sesquidrachmam, modò ad drachmam, aut semidrachmam; ita ut tractu temporis modici, puta duarum hebdomadarum, consumptæ fuerint unciæ duæ, aut tres ejusdem Corticis; nihilque incommodi, aut damni Ægrotantes hujusmodi fuisse passos, etsi fuerint imbecilles, consumpti, & ad marasmum usque perducti: imò potiùs eorum nonnullos, non omnes tamen, insignem, & immediatam opem reportasse præter ipsam expectationem meam. Et quamvis, fateor, haud diutinum fuerit levamen istiusmodi, cæteroqui conspicuum; deinceps tamen longè levior, & tolerabilior evasit consueta morbi recrudescentia: eaque ipsa, cùm recurreret, novo semper usu Corticis mitescebat.

Quid simile pluries contigit *D. Comitissæ Barbaræ de Stoffis*, cujus infrequentem æquè ac diuturnam ægritudinem hìc per transennam innuere, haud inopportunum crediderim. Laboravit hæc ad duos annos, necdum tamen laborare desiit peculiari quodam convulsivo Asthmate, cujus paroxysmus statis horis *quotidie* a prandio recurrebat, per octo circiter horas ferociter perseverans, cum ferinâ, siccâque tussi, interceptione loquelæ omnimodâ, contractis digitis, convulsis oculis, tenuique, brevi, ac interciso ducto, erectâ licèt perpetuò cervice, difficulter spiritu. In vigore paroxysmi attonita, & ferme immobilis evadebat; post ejusdem paroxysmi solutionem qualemcunque actorum circa eam immemor, quippe omni ferè sensu tunc destituta. Macilenta proinde reddita erat insigniter (præter morem obesi cæteroqui plurimùm habitus sui) quò ad partes omnes supra abdomen, cum articulorum dolore, ac duritie, imò & ossium pectoris nonnullorum distorsione inæquali; tumida æquè insigniter, ut assolent leucophlegmatiâ affecti, quò ad inferiores. A solo ferme usu Corticis admodum liberali, cùm ampliùs par non esset ferendis paroxysmis, in ipso mortis agone illam constituere sæpe visis, auxilium præsentaneum incantamenti ad instar, ut Galenus loqui consueverat, retulit ea non semel. Redibat tamen, sed admodum mitior, post modicum temporis morbus, irritâ remedii repetitione, a cujus usu propterea, cessante sensim insimul occasione, congruo parto aliis quoquè remediis loco, jamdudum cessavit, eo usura tantùm in majoribus, si fortè redirent, angustiis. Nunc temporis, in statu licèt valetudinario versetur jugiter, atque nonnihil ægriùs sit illi ad vesperas quò ad tussim, & quò ad spirandi modum, nec nisi elatâ cervice queat decumbere in lecto, & quidem ad aliquot tantùm horas; illam tamen, quantumvis adhuc excarnem, sed in artubus pariter inferioribus talem, nec ampliùs tumidam, revixisse dicunt quotquot laborantem videre: quod & ipsa latè fatetur, testaturque cunctis domi, & non raro extra, matutino tamen tempore, ac festo quoquè die, illam invisentibus. Sic citrà omnem noxam, imò non citra levamen evidens in circumstantiis adeò difficilibus liberaliter usurpatus

patus est Cortex : ut sileam exuberantem hujusce remedii consumptionem, quam in nonnullis Europæ Provinciis fieri notum est, absque eo quòd ulla, quòd sciamus, reclamet insignis, quæque famam excitet adversam, experientia.

Et ne longè ab hac Urbe recedam, recens aliud hìc prostat exemplum in Sene jam ferme nonagenario, *D. Sebastiano de Gherardis*, qui ante biennium Quartanâ Febre correptus, epoto Peruviano Cortice, brevì, & facilè sanatus est. Admiratus ille hujusmodi Pharmacothejon, sponte suâ deinceps, & absque Medici præscripto, identidem cœpit idem remedium assumere: quo in hanc usque diem (parum abest, quin assiduè) usus, & in posterum constanter, ut asserit, semper usurus, firmiorem sibi suadet se comparasse, & posthac comparaturum valetudinem. Tantùm abest, ut noxam ullam ex *occultâ*, quam metuit Vir Cl., illius *malitiâ* persentiat. Noxa igitur omnis, quæ huic Febrifugo possit attribui, sola erit Febrium *immatura* suppressio; quas si quis ideo nunquam supprimendas velit, nisi cùm periculum, ne anceps quidem, sed certum, & inevitabile imminet, parum refert: neque enim quicquam plus a Medico exegerim ex debito officii sui, etsi quid ampliùs consulam ex abundanti cautelâ.

Hujusmodi ergo est, quam hucusque sum persecutus, & quæ toties obiicitur Peruviani Corticis *malitia occulta*, *& pernicialis noxa*. Sed abigatur tandem musca hæc importuna,

Quæ quamvis de pelle Viri sit sæpe repulsa:
Assultat morsura tamen, ———

ut cecinit Homerus; turpisque demum hæc, & malitiam habens minimè occultam (loquor de malitiâ physicâ, nempe de falsitate, non de morali) diluatur objectio, paritate ineluctabili adductâ; sitque judicium apud ipsos Peruviani Corticis Obtrectatores. Eja, sit hoc Febrifugum, vel possit esse *noxium*, tum ob *improprium usum*, tum *ob occultam* simul *malitiam*, credaturque illi inesse hæc ipsa malitia, & hæc noxa, quæ nobis occulta est, cum verè nulla sit, solisque forsan appareat Adversantibus. Quid inde? Illam certè non semper exerit; mille enim saltem homines in unâ hac Urbe, quæ Criticæ hujus Dissertationis subjectum est, & ubi a duodecim annis præsertim, Deo dante, perfectissima, & inculpata viget universalis salubritas; mille inquam ad minùs homines in unâ hac Urbe videre est, ex variis Febribus periodicis, a variis itidem Medicis unâ Chinâ Chinâ curatos, modò, a duobus, modò a septem, modò a quindecim, modò a viginti retrò annis; & quidem diversi inter se se temperamenti, ætatis, & sexus, omnes verò etiamnum penitùs incolumes; pluresque etiam illorum ab eâ curatione nullo ampliùs morbo tentatos: argumento satis firmo, & cuicumque socium interroganti facilè obvio, quòd remedium istud sæpe sæpius *occultam*, quam dicitur habere, *malitiam* non exerit; imò quòd illam (datis etiam vanis probationibus ex adverso allatis) exerit rarissimè, si a septem lustris in hanc usque diem Cl. Ramazzinus, omnia callens hujusce Civitatis in hac materiâ, vix sex, aut septem fallacissimos Casus, minùs, ut autumat, felices, novit colligere,

ligere, aut expiſcari; ſed eâ ſorte, quâ quis Anguillas prehenſas ſibi e manibus præ lubricitate elabi mox videt. Ergo, infero (etſi paritas hæc ſit prorſus injuria Chinæ Chinæ longè magis inſonti) infero inquam: ergo ad ſummum noxia eſt China China, & *ob improprium uſum*, & *ob occultam malitiam*, ſolummodo ut noxia ſunt, & propter *improprium uſum*, & propter *malitiam occultam*, ſeu mavis *patentem*, inter Chirurgica quidem Remedia *Venæ ſectio*, inter Pharmaceutica verò *Purgatio*; imò & præter hæc, *Narcotica* omnia, *Diaphoretica* verè talia &c., ut & inter extrinſecùs appoſita, *Veſſicantia*, *Cauſtica &c.* Ecquis enim tam perfricatæ frontis erit uſpiam Profeſſor Medicus, qui hæc audeat inficiari, & Chinam Chinam hiſce remediis magis ſuſpectam, aut periculoſam aſſerere?

Si liceret ſubducere calculum Ægrotantium omnium, quibus obfuit Venæ ſectio, & Purgatio, remedia adeò decantata, ſed in Morbis quibuſdam, præſertim Acutis, adeò controverſa, puta in Variolis, in Febribus Peticularibus, & tot aliis, ubi agitur immediatè de Corio humano; præponderaretne, quæſo, ratione initâ, illorum clades, quos Chirurgi Phlebotomon, vel Crater Pharmacopolæ, vel etiam obductus auro ſoporifer Bolus de medio ſuſtulere; an eorum, quos China China iniquè dicitur interemiſſe? Certè pauci occumbunt, quibus ægrotantibus præſcripta non fuerit Venæ ſectio, aut Purgatio, quamvis ſæpiſſimè non ob id verè objerint; nonnunquam tamen ob idipſum quoquè. Paucos verò ex iis interire obſervamus, quibus China China exhibetur; nec unquam profectò ob eam aſſumptam. Patet hoc ſatis ex Therapeutice meâ, in quâ candidè eorum hiſtorias expoſui, qui toto Vitæ meæ decurſu in difficillimis jam, graviſſimiſque circumſtantiis poſiti, eoque remedio, fruſtra illud me præſcribente, tractati objere, cum contra mille ſubticuerim feliciter eodem ſanatos in circumſtantiis facilibus: patetque adhuc magis ex Diſſertatione ipſius Cl. Ramazzini, tot propitiis caſibus a me allatis nil in eâ valentis reponere; res enim ipſa loquitur: tam paucos verò, quodque magis refert, tam vanos adverſi exitus opponentis. Cur ergo uni Cortici imputabitur mors paucorum graviſſimè certè jam habentium; non ita verò Phlebotomiæ, Purgationi, aut Narcoſi mors innumerorum ſæpe non tam graviter affectorum? Sed infauſtos eventus, quos peperit *Phlebotomia*, aut *Purgatio*, propter aſſuetudinem *ſinè rumore terra obtegit*.

Anne verò, ob fortuitos hujuſmodi funeſtos caſus, contra Cathartica, Venæ ſectionem, Opium &c. Invectivæ acerbiores erunt ejaculandæ, quàm contra Piſonem, Verrem, aut Catilinam vibrarit Cicero? Et tamen non longè abſimiles in hac Diſſertatione vibrantur contra Corticem Peruvianum; qui nihilominus (etiamſi tractu temporis illum nocere poſſe pertinaciter quiſpiam contendat) prodeſt certè ſtatim ac uſurpatur: cum ex adverſo Phlebotomia, & Purgatio, quæ ex Cl. Auctore *humani corporis machinam infirmant potiùs, quàm confirmant*, ſtatim certò debilitent; ſitque in ancipiti ſemper, an in poſterum ſint profuturæ. Quocunque ergo modo noxia dicatur, aut ſuſpecta China China; cum tamen ſemper minùs noxia, & ſuſpecta illa ſit, aut ſaltem non

tem non

tem non magis, quàm Purgatio, & Venæ sectio; sitque ea sæpius, atque etiam magis, quàm Purgatio, & Venæ sectio proficua (Febres enim quamplurimas perniciosas sæpissime sanat, quas minimè novit sanare Catharsis, aut Phlebotomia) eâdem saltem fiduciâ, imò longè majore, debet illa in usum posse revocari, ac revocantur quotidie, secundùm rationem quidem, atque utplurimum citra diffidium, celeberrima illa duo, & alia quævis methodica Artis præsidia.

(c) (*Villisio, Ettmullero &c.*) Quàm decenter, quàm candidè virtutem febrifugam, utilitatemque Peruviani Corticis a septem jam lustris fassus sit Ettmullerus pluribus in locis (pro ratione saltem eorum temporum, & proprii usus non adhuc planè completi) vidimus nuper §. 35. Cunctatio illius alicubi nonnulla; tum ob suspicionem *intempestivæ* oblationis, ac præcisè eò quia minùs tutò offeratur remedium *invadente*, quàm *recedente* Accessione; tum ob metum recursus Febrium, ignoratâ posteriorum temporum methodo tunc verè frequentioris; condonanda penitùs Ætati, Tempori, Regioni, & Consuetudini haud satis liberaliter introductæ.

Quàm verò favorabiliter de eodem Cortice Villisius scripserit, etsi ante annos abhinc quadraginta desierit vivere, non est cur per extensum referam; cum non paucos illius textus, ab Erasmo Bartholino, & Theophilo Boneto §. 43. lit. f. in laudem ejusdem Corticis citatos, nuper viderimus. Revera nullus forsan Scriptor primis illis temporibus æquiùs sensit de hujusmodi Febrifugo, quàm Thomas Villis, unicum tantummodo Febrium reditum, quem nondum inhibere quis norat, hìc illic obtrudens. Interim tamen apertis notis testatur Lib. 6. de Febribus, illud esse *unicum adhuc repertum Febris Quartanæ alexiterion; quod nimirum ipsius, aliarumque Intermittentium paroxysmos, saltèm pro tempore, inhibet &c. quod ferè in omnibus paroxysmos tollit &c. ita ut vix unus e centum hoc remedium incassum tentarit &c. quod non tantum in Febre Quartanâ, verùm in aliis Intermittentium Speciebus, quibuscunque nimirum apyrexia quædam intercedit, cum fructu adhibetur &c.*, *quod in quibusdam valde imbecillis, & lecto affixis sinè præviâ pharmaciâ solitariè sumptum effectus laudabiles procuravit &c. quo denique usi non pauci Quartanâ laborantes, alacres, & vividi ad negotia quævis expediti degebant, cum secus enerves, & pallidi in languorem, & vitiosum corporis habitum redigerentur:* in quem vitiosum corporis habitum hodie redigi eos autumat noster Auctor, qui hoc Febrifugo in iisdem Quartanis utuntur. Quòd si ergo, ut ajebam paulò ante, tum Villisius, tum Ettmullerus de Febrium recursu perpetuò suspicantes, hujusmodi nihilominus curationem, tunc temporis veluti *palliativam* ab ipsis creditam, non modò non respuebant, sed admittebant libenter, & laudibus prosequebantur, ubi tantùm *morbi diuturnitas*, *fractæ vires*, *appetitus dejectus*, & id genus alia idipsum suasissent; quantò libentiùs hodie, si essent in vivis, ipsius Febrifugi usum feliciorem admitterent ad Febres, tum *Intermittentes*, tum *Subcontinuas*, vel *Malignantes*, vel jam *Malignas*, & *perniciales*, nullâque aliâ tandem arte, aliove remedio sanabiles?

(a) Sed

§. 48.

(a) *SEd ex his*, quæ hactenus de Peruviano Cortice diximus, nolim quis inferat, velle me ex albo Medicaminum Chinam Chinam expungere; absit hoc, habeat suos usus remedium istud, beneficium quod afferre potest, ab illo excipiamus, & malo, quod interdum ex illo consequitur, bene uti discamus; periti Nautæ ventis etiam adversis aliquando portum fortiter occupare norunt. Illius usus sit qualis est Opii, quod magnum est dolorum sedativum: in doloribus nephriticis, cholicis, podagricis, aliisque similibus singulare beneficium ab Opiatis habemus, non quod morbi causam tollant, sed quia gravia symptomata compescant, vigilias scilicet contumaces, & spirituum dissipationem, interim reparatis per somnum viribus, morbi causa auferenda propriis remediis. At quia scimus, quod ubi vis Opii expiravit, redituros pristinos dolores, an rursus altera die repetenda opiata ad prophilaxim? Nemo prudens Medicus id aget, sed ægro petenti, & instanti denuo idem remedium offerri, reluctabitur, ne morbi causam figat, & contumaciorem reddat, Opiata enim ea cautione sunt exhibenda, ut è somno excitare possimus, quem obdormire volumus. Mehercle si papaveris virtus nobis ignota esset, aut Plantam hujusmodi Europa non aleret, ac ex Indiis ad nos deferretur succus concretus, cujus grana tria vel quatuor paucarum horarum spacio dolores quoscumque gravissimos sedarent, ut post aliquem somnum ad analgysiam devenirent, majori certe admirationi esset talis planta, ex qua haberetur tantarum virium succus, quàm Cortex Chinæ Chinæ, quæ exhibita præsentem febrem non tollit, sed eam quæ altera die erat reditura. Sicuti ergo composita ex Opio à prudenti Medico non exhibentur in

tur in vehementia dolorum, nisi ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione, ita ut diximus, ad eundem finem obtinendum admittendus, & laudandus Chinæ Chinæ usus in febribus præsertim intervallatis. *(b) Ast quotidie*, ac pluries in die larga dosi, ut istic fieri solet, in febribus, quæ maligni aliquid præferant, amaris potionibus Chinæ Chinæ in vino infusæ, miserum ægrum conficere, *(c) id est quod periculosum*, & omnino empyricum existimo.

(a) (Sed ex his &c.) POst præmissam Rhetoricam Præfatiunculam, concludit tandem medicè Cl. Auctor, omnem usum Chinæ Chinæ, cujus dosim taxavit jam §. 8. ad drachmam unam, vel duas, ad unicam quoquè oblationem restringi debere: neque repetendum esse ad prophylaxim remedium; quemadmodum sedatis per Opium doloribus, *alterâ die rursus repetenda non sunt ad prophylaxim Opiata*. Hac occasione virtutem ejusdem Opii admirabiliorem, & præstantiorem prædicat, ac sit Chinæ Chinæ virtus; cum tamen §. 4. virtutem Opii tantummodò *ephemeram* dixerit; *beneficium verò Chinæ Chinæ non tam paucis diebus claudi*. Insuper haud ignotam hìc nobis supponit virtutem Opii, quippe *Europæi* Papaveris sobolem; ignotam verò virtutem Chinæ Chinæ, quippe Plantæ *Americanæ*; cum tamen æquè ignotus, aut controversus sit modus, quo agit Opium, ac modus, quo agit China China; & æquè notum sit, Chinæ Chinæ virtutem esse Febrifugam, ac esse narcoticam Opii virtutem. Hæc quidem leviora sunt; sed sibi de more contraria. Contrarium nihilominus huic assertioni de non repetendo ad prophylaxim Febrifugo magis est, quod Orat. 3. Jatrici Argumenti docuit idem Cl. Auctor, ut in Collatione Textuum lit. K. L. M.; ubi nempe longè meliorem factam esse ait *Febrium doctrinam, illasque curandi methodum, postquam hujus Febrifugi usus innotuit; nec semel tantùm, ut olim, sed plures ad dies illud exhiberi cœptum, donec febrile miasma sit penitùs exantlatum*. Sed tunc cùm ita scripsit, annum licèt agens 75., & *Dogmata hæc Theorica, & Practica studiosæ suggerens Juventuti*, in juvenili tamen adhuc ætate forsan & semetipsum constitutum dicet; quo tempore *Chinam Chinam*, ut alibi vidimus, *habebat in magno pretio, & in eam affectu suo nimis effusè ferebatur*. Missa ergo faciamus, & ut fructus immaturos præfervidæ juventutis seponamus quæcunque favens Peruviano Febrifugo scripsit ille ad annum usque 79. ætatis suæ; sitque nobis hæc ultima Dissertatio Prototypus unicus opinionis acceptabilioris Viri Cl. in hac materiâ.

Inquit itaque ille in hoc Paragrapho, *laudandum, & admittendum esse Chinæ Chinæ usum in Febribus præsertim intervallatis, dummodo ea Opii more semel oblata non repetatur ad prophylaxim; sed*

tantùm

tantùm, ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione, unicâ vice usurpetur. Sed neque hoc sufficit: alia namque ad rectum illius usum requiritur necessaria conditio, ex paragrapho 27. depromenda; ut scilicet Medicus, priusquam *dolosum* istud Febrifugum præscribat ad intervallum illud temporis obtinendum, *certitudinem* habeat, vel eam sibi comparet, de novo post aliquot dies Febris reditu, aliàs gravissimè erraret. *Hic nimirum Medicorum est error* (scripsit ille antedicto §. 27.) *ut si Chinam Chinam in hunc solum finem præscribant* (in hunc autem solum finem licere Chinam Chinam præscribere contendit ille in totâ Dissertatione, ut vidimus, & paulò infra videbimus) *ut paucos a paroxysmis dies liberos obtineant, interdum eludantur, Febre ampliùs non redeunte, sed* (en damnum gravissimum) *tacitè corpus depascente.* Id sibi quondam in Nobili Virgine, quæ nonnisi ægrè, ac serò a diutino morbo convaluit, contigisse refert §. 26., subdens statim citato §. 27. hæc verba -- *Non absimiles casus aliàs mihi contigere, ut me pœnituerit hoc remedio usum fuisse.*

Crediderim autem hæc, & similia illi contigisse eo tantùm tempore, quo *nimis effusè ferebatur affectu suo in Peruvianum Corticem*; exinde tamen ita profecisse, ut *in saniori ætate* didicerit modum præscribendi remedium istud cum *certitudine* reditus Febris: secùs, deficiente hujusmodi *certitudine*, caro nimis quis emere aggrederetur breves aliquot dierum inducias, si subesset periculum, ne *corpus tacitè depastum iret, Febre ampliùs non redeunte.* Quòd autem ita exinde profecerit Cl. Auctor, ut nonnisi cum *certitudine* reditus Febris Chinam Chinam *in saniori ætate* præscripserit, palàm faciunt hæc illius verba, ex §. 8. huc iterum revocata -- *In provectiori ergo ætate experientiâ edoctus, & observatis noxis a Chinâ Chinâ prognatis, cautiùs in illius usu processi, & mediocri solùm dosi præscripsi ad drachmam unam, vel duas in Febribus Intermittentibus, quando nimis protractæ ægros fatigarent; in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis æger recrearetur, & vires resumeret, non sinè spe, imò cum certitudine* (hic enim est cardo rei) *Febrem redituram &c. Hæc mea est Methodus, quâ in ætate saniori sum usus.* Et ex hac Methodo, atque ex hoc dogmate colligo ego, cæteros Medicos, qui de futuro rursus Febris reditu *certitudinem* non habeant (cujusmodi sunt quotquot in hoc Orbe sunt) etiamsi semel tantùm, & dosi unius, vel duarum drachmarum præscribant Peruvianum Corticem, adhuc eo remedio uti non posse sinè trepidatione, & suspicione, ne *corpora Ægrotantium tacitè depascat Febris latens, nec in apertam flammam forsan ampliùs eruptura.*

Atque ut in epilogum hac occasione contrahatur universa Cl. Viri Sententia, etsi scripserit ille §. 4., & in præsenti confirmarit, se nec contemptui habere, nec parvi facere Peruvianum Corticem, utpote qui non vulgaria commoda præstat in Medicinâ; attamen sensim usum illius ad eas redigit angustias, ut tandem ferme penitùs feriantem velit. Etenim, ut ordine recenseam, illum neque proficuum censet in *Pueris*, neque in *Adolescentibus* (en pars Virorum non infima) neque in *Mu-*

in *Mulieribus* (quæ medietatem ſaltem conſtituunt humani generis) præſertim verò *Monialibus*, nec in *Puellis*, quæ apud ipſas educantur, nec in *Nobilibus*, aut *Potentibus Viris*, multòque minùs in *Principibus*. Item nec in *Temperamentis Melancholicis*, nec in *Pituitoſis*, nec in *Hominibus corpulentis*, *aut habitu præpingui præditis*, nec in *Regionibus humidis*, *aut aere craſſo refertis*, ſicut nec *Hyberno tempore*, aut aliâ quavis *Humidâ*, *Auſtrali*, *ac Pluvioſâ Conſtitutione*. His demum omnibus excluſis, *unam* tantùm, vel *duas* ad ſummum illius *drachmas* concedit alicubi; non quidem innoxiè, ſed *minori damno* uſurpandas: at *ſemel* duntaxat; cavendo a *repetitione* remedii; eaſque tandem, ut modò annotavimus, ſalvâ conditione *certitudinis* de novo Febris reditu ſecùs nonniſi cum *damno*, vel ſaltem nonniſi cum *periculo* exhiberentur. Adeòque (ſi velimus citra fucum ſincerè loqui) æquè pro Febrium curatione, ac pro earundem præcautione locum habere poterit, imò & debebit, graviſſimum effatum Viri Cl., Paragrapho finali ab eodem prolatum; videlicet -- *Conſilium tandem magis ſanum eſſe*, *remedium iſtud naturâ ſuâ doloſum prorſus omittere*. Hæc eſt germana Concluſio totius Operis, ut ex ſupradictis patet; quantumvis *Ex albo medicaminum ſe minimè expungere velle Peruvianum Corticem*, hoc ipſo Paragrapho profiteatur verbo tenus idem Cl. Auctor.

Quòd ſi revera aberat ab illius animo inauſpicatum iſtud propoſitum, quemadmodum tam in præſenti, quàm in quarto Paragrapho abundè teſtatus eſt; imò ſi *Beneficium*, *quod China China poteſt afferre*, *ab eâdem libenter eſt excepturus*, & *malo*, *quod interdum ex illâ* (ſic ait ipſe) *conſequitur*, *bene uti diſcere etiamnum ſatagit*, ut in hoc contextu; cur poſtea beneficium iſtud, coarctato ſupra modum uſu remedii, ad nihilum redigit, & quæ largiore uſu parta ſunt experimenta felicia, tanquam malè, aut temerè parta contemnit? Notum eſt, Artem Medicam conſueviſſe ex rebus, quæ nullius ſuapte naturâ ſunt uſus; imò & ex deleteriis ipſis Venenis, induſtri præparationum, & correctionum magiſterio, ſalubria identidem medicamenta, quæ Dracones ſubinde mitigatos vocant, conficere, potiùs quàm illa, etſi vel inutilia, vel abſolutè nocentia, planè rejicere. Si ergo Viro Cl. cordi erat *publica ſolùm utilitas*, ut ſequenti Paragrapho latè aſſerit, cur quæſo medicamentum iſtud, magnâ ſaltem (quod negari nequit) ex parte ſaluberrimum, eâ demum parte, quâ noxium reputat, non eſt conatus ita præparare, atque corrigere, ut dein ſinè metu, & ſuſpicione poſſet ad notos ſaltem, ſi non etiam meliores uſus adhiberi? Atque ut ad ſpecialia deſcendam; cenſebatne Vir Cl. Cortici huic *certè Febrifugo* ineſſe ulteriùs vim quamdam *figentem*, quâ Obſtructiones, & Cachexias tractu temporis poſſet inducere? Cur igitur hanc vim ſibi notam præparatione aliquâ delere non ſtuduit, intactâ Febrifugâ, ſibi, ut fatetur, ignotâ, adeòque ſecundùm illius hypotheſim a figente diversâ? Si verò modum eam vim delendi non norat, cur ſaltem non docuit illam infringere per remedia, volatilitatem aliquam ſubſtantiæ Corticis impertiri apta, vel per aperientia peculiaria commiſta, vel per hujuſce generis alia?

Meher-

Mehercule si isthæc addere, aut commiscere fortassis erubuit, vel hujusmodi correctionem tentare, ne Remedium suapte naturâ egregium temerare videretur, memor eorum, quæ protulerat in Orat. Jatr. argum., ut in Collatione lit. E. F. G., nempe -- *Solum Peruvianum Corticem, nobis a divinâ beneficentiâ munus concessum, sinè alterius rei mixturâ, in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, sexu, temperamento; Febres saltem recurrentes, atque intervallatas fugare, & exterminare, quamquam non defuerint, qui Hieron hoc picron ex Arbore Vitæ decerptum temerare pertentarit Opio, aliisque rebus adjectis, ut solitis mangoniis vulgo imponerent* -, si inquam ob hæc tam clara effata sua fortassis erubuit, Chinæ Chinæ correctionem per hujuscemodi additamenta tentare, facilè semetipsum excusare poterat titulo junioris ætatis; nonnisi enim, ut & nuper innui, 75. annum agebat, cum isthæc conscripsit. *In provectiori* ergo, & *saniori* ultimâ *ætate* longè aliter sentiens, liberè quoquè poterat addere, & Orbi pandere quicquid *malitiam* remedii seriùs detectam valeret infringere. In hoc feracissimo Campo suam longè meliùs, & in majorem proximi utilitatem poterat Minervam exercere; innocuisque experimentis sedulò institutis, docere nos usum Corticis saniorem adhuc, atque certiorem, aut, si ita libeat, etiam tutiorem, potiùs quàm hucusque repertum, tamque utiliter exercitum, inviso Abusus nomine falsò traducere. Satius namque fuisset, Remedium simpliciter bonum, etsi quadantenus, ut modò autumat, imperfectum perficere, quàm ex toto proscribere; imò & proscribere, quia nimis efficax, & bonum, nempe quia sæpe non ad *tempus tantùm*, sed *perpetuò* valet Febrim depellere. Felicia venena Correctorem nacta. Infelix Remedium ultra venena exulare jussum. Sed magis infelix hominum conditio, quos mediâ Chinâ Chinâ morti eripere nefas est in morbis exitialibus, ob metum superstitis obstructionis; cum tamen, eodem metu minimè obstante, liceat passim eodem remedio, ex præscripto ipsius Cl. Auctoris, aliquot tantùm dierum inducias impetrare in morbis benignioribus.

(*b*) (*Ast quotidie &c.*) Omne igitur crimen, *admisso*, & *laudato* per Cl. Auctorem *Chinæ Chinæ usu pro virium reparatione*, omne inquam crimen, si quod est, consistit *in largâ dosi ejusdem Chinæ Chinæ, quotidie, ac pluries in die in Febribus, quæ maligni aliquid præferant, exhibitæ*: quasi ad libras consuescat illa præscribi (quod tamen liceret, ubi nulla alia prostaret salutis via) & quasi inter libras illius, & inter drachmas ad summum duas, quas semel tantùm concedit Vir Cl., non detur medium. Alibi, nempe §. 30., & 33. magis determinatè locutus ille, improbat *potionem Chinæ Chinæ ad uncias integras in Vino infusæ pluries in die exhibitam*; quo nomine magis in Methodum Talbotii, verè Corticis uncias in copiosâ Vini quantitate acervatim, cumulatimque infundentis animadverteret, quàm in meam, vel in Mortoni, aut Sydenhamii Methodum, qui eam tantummodo, quâ tunc uti opus est, Febrifugi dosim qualibet vice præscribimus. Sed quemcunque petat sugillatio isthæc, vanus est ictus; ea siquidem, quæ subest æquivocatio, *apud mulieres tantùm*, & *imperitam plebeculam*

culam locum habere potest; non apud eos, qui sapiunt. Aliud est infundere in Vino, aliove liquore unciam integram, vel etiam uncias integras (si ita velit) Chinæ Chinæ, & pluries in die portionem debitam, ac modicam illius exhibere: aliud est, uncias easdem integras pluries in die, seu qualibet dosi propinare. Providus Pater Familias plures Vini Congios infundit in Dolio; illud tamen Familiæ distribuit solùm ad Lagenas, & Cotylas, ebrietatem cavens.

Hujusmodi tamen Methodum, quâ nimirum una, vel duæ Peruviani pulveris unciæ, in phialâ vino plenâ infusæ, partitis haustibus exhibentur, quæque in vulgaribus Casibus, & quandoque etiam in arduis, sed nonnihil lentioribus, haud inutiliter solet administrari, neque mihi, ut verum fatear, universaliter loquendo planè probatur, præsertim in Casibus præcipitis exitii: non quidem ob inanes hasce Viri Cl. declamationes, molem universam hyperbolicè commensas; sed ob rationes, quas olim innui in Therapeut. meâ, tum Lib. 1. cap. 7., tum Lib. 3. cap. 3., præsertim a pag. 330. ad pag. usque 333. Id enim est sæpe *ad Sacram Chinæ Chinæ anchoram verè nonnihil tumultuariè confugere*, quod plurimi perpetuò hìc illic factitant exemplo Talbotii, & aliorum, quodque solis nihilominus Empyricis, aliisve parum expertis vix condonandum, dosi per vices quodammodo fortuitâ utentibus. Hinc nanque identidem fit, ut tunc cùm res magis urget, haud satis valida sit; nimis verò, cùm minùs res postulat, dosis remedii. Hæc ipsa dosis magis adhuc incerta redditur, & fortuita ex Muliercularum utplurimum assidentium socordiâ, liquorem scilicet modò magis, modò minùs turbidum (quicquid clamet Medicus) offerentium; adeòque remedii particulis modò magis, modò minùs imprægnatum. Ex quâ solâ inæqualitate, inverso nonnunquam ordine institutâ, cùm labitur occasio præceps, periclitatur non raro, nonnunquam & perditur, quæ cæteroqui servari poterat, hominis vita; tumque incassum solummodo dicitur oblatum remedium, cum potiùs dici deberet oblatum & perperam. Medicus ergo Navis hujusce Palinurus, præscribat quoties, & prout opus est, dosim certam, certis quoquè temporibus exhibendam, eâ adhibitâ partitione inæquali, & industri, quæ morbi, & temporis exigentiæ respondeat, ut fusè Tyrones docui in Therap. meâ eodem cap. 3., imò & 4. Libri 3.

Ad me igitur, Methodumque meam quod attinet, repeto quod centies dixi; nimirum sesquiunciam circiter, vel uncias duas Chinæ Chinæ, spatio trium hebdomadarum epotas, pro curatione simul, & præservatione sufficere; sive sermo sit de *Subcontinuis Malignantibus*, ubi lenior; sive de *Perniciosis Intermittentibus*, ubi validior requiritur Methodus. Licèt enim in Tractatu meo, maximè verò in historiis, identidem de *Methodo validissimâ, de dosi liberali &c.* indefinitè sermonem habeam; attamen non alia determinatè uspiam legitur dosis, nec alia debet, aut potest intelligi, quàm supra recensita. Id satis patet vel ex ipso *Indice* ejusdem Tractatus, ubi pag. 711. sub literâ C. hæc prostant. *Curatio præsentanea Febris Perniciosæ non minùs exigit regulariter, quàm drachmas sex Corticis, nec plus quàm un-*

ciam unam, *pag.* 323. *Integra verò, ac universalis Curatio duabus plus minùs unciis perficitur, pag.* 336. 337. Me legat ergo locis ibidem citatis curiosus quilibet, ac insuper etiam pag. 332., & 333. ipsiusmet Operis. Totum dosis augmentum penès me, in Casibus tamen solummodo urgentissimis, quando nimirum præ foribus mors est, alterâ die hominem interemptura, totum inquam augmentum dosis tunc consistit in primâ oblatione, a futuro accessu magis remotâ: illam etenim ex quatuor utplurimum drachmis Febrifugi conflatam volo; & pluribus etiam, si minor; paucioribus, si major sit ab eodem paroxysmo distantia. Hoc jacto curationis fundamento, rem totam per drachmas deinceps, ac mox etiam per semidrachmas absolvo, usquequo duæ circiter unciæ pulveris, trium saltem hebdomadarum decursu, compleantur. Hac unâ Methodo sanati sunt, & ab Orci faucibus erepti *amaris Chinæ Chinæ potionibus*, minimè verò *confecti*, quotquot in historiis retuli.

(*c*) (*Id est quod periculosum &c.*) Res *periculosa* profectò, & valde insalubris est mors. Amara pariter, etsi a Cratere dulci, & ab incruento Medici calamo illa proficiscatur, quocunque tandem modo ab eodem Medico *conficiatur Ægrotus miser*. Sed nec dulce sonat nostratium Medicorum auribus crebrum modulamen illius *Istic*, quo Mutinæ ita de more fieri intonat Cl. Auctor, summâ nobis confidentiâ crimen alienæ internecionis attribuens. Verùm mittamus isthæc, & pacificum nunc Senem in veritatis gremio placidè quiescentem sinamus. Hoc unum liceat reponere, *amaris Chinæ Chinæ potionibus non modò non confici Mutinæ miseros Ægrotantes*, seu, quòd idem est, non modò Methodum meam revera nec *periculosam* esse, nec merè *empyricam*; sed potiùs mirum esse, quòd ea tam confidenter, vel a Viro Cl., vel ab ejus Nepote abusus Relatore diffametur ut talis, & velut merx planè improba, cum nullam unquam quisquam eorum indè prognatam noxam me curante observarit. Sexies illis videre me contigit illam exercentem. Ter vidit Patruus, ut ex Therapeut. meâ pag. 181. hist. 14., pag. 424. hist. 1., & pag. 562. hist. 1. Ter quoquè vidit Nepos, ut pag. 416. hist. 11., pag. 444. hist. 9., & pag. 476. hist. 2. Quàm felices, & simul quàm arduæ fuerint illiusmodi curationes, ipsi norunt. Ne unam quidem præter illas, sive faustam, sive infelicem inspexere; imò unam ambo inspexere, ipsis quidem assidentibus, me verò superaccito, ob id solùm infaustam, quia ibi Methodus mea nequivit, ut proposueram, administrari, quemadmodum visitur in eâdem Therapeut. pag. 368. hist. 2. Quo ergo pacto ut malam redarguunt Methodum, quam quoties viderunt in usum deductam, semper proficuam novere, nunquam verò frustraneam, aut noxiam? Quòd si aliarum quoquè curationum, quas recensui in Opere meo, & quibus ipsi minimè interfuere, exitum omnem investigassent curiosi, nil pariter carpendum reperissent; nec probabiliter reperere, cum non carpserint.

Quos enim in totâ Dissertatione suâ retulit ex adverso Cl. Auctor Casus parum felices; ii nec sibi constant, nec meis ullo pacto opponuntur;

nuntur; quatenus videlicet nonnulli ex illis Ægrotis a morbo tandem evaſere; alii verè vitâ functi Corticem nullatenus potaverunt; & alii pariter tandem obitum paſſi (fuere autem duo intrà ſeptem luſtra) potaverunt methodo tantùm vulgari, non meâ, de quâ agitur, quippe ex Quartanis Intermittentibus laborantes: atque unus quidem ex his, poſt ſeptennium inculpatæ valetudinis a Chinâ Chinâ epotâ, obiit demùm ex alio morbo acuto ab origine, mox in Chronicum converſo: alter verò ex Chronico pariter, nempe ex Hydrope, ante epotam Chinam Chinam inchoato; præſcribente tamen illam Fraſſono ante annos 37., non me, ut retuli in Therapeutice meâ; ubi *unicum* hunc caſum, antequam Viri Cl Diſſertatio mente illius conciperetur, rigidiuſculè examinavi pag. 178. hiſt. 13.

Septem ergo, ut rem minutiùs perſequar, vel octo ſunt Caſus, per Virum Cl. a ſeptem luſtris oſtiatim quæſiti, & nominatim oppoſiti, dempto caſu D. Co: Torricini Guaſtallæ defuncti, qui me nullatenus tangit, & de quo jam ſatis §. 47. Duo ex iis Ægrotis, ut nuper ajebam, a morbo convaluere, ipſo fatente, nempe Virgo in Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Mutinæ educata, de quâ in Diſſertat. ſuâ §. 26., & inſignis Juriſconſultus, de quo §. 34., ipſo pariter fatente reſtitutus: quibus ſi tertium Caſum addere velit ille, ſibi, ut inquit §. 9., viſum Patavii in Puellis illis, quarum nomen minimè protulit, quibuſque etſi Chinam Chinam exhibuerit Mater, febres nihilominus (non continuato, ut reor, Febrifugo) *uſque ad Veris principium perduraрunt*, nil officit; quandoquidem & illæ pariter ſanitatem demum ſunt aſſecutæ, & eam fruſtra ab aliis remediis citiorem quæſiverunt. Atque ita jam tres ex adductis a Viro Cl. Ægrotis (*multas* haſce *puellas unius familiæ* pro uno tantùm Caſu numerando) ſanitatem tandem integram ſunt ſortiti. Tres alii, qui verè deceſſerunt e vivis, deceſſere prorſus jejuni Peruviano Cortice; nempe D. Antonius Guidonius, de quo §. 31., & D. Marchio Fortunatus Corteſius, Dominuſque Jo: Altimanus, de quibus §. 32. Duo ergo tantùm ſuperſunt, videlicet D. Comes de Marſciano, de quo §. 21. per ſeptennium ab hauſto Cortice ſtrenuè valens, ac tandem ex aliis evidentibus morbis confectus; & D. Co: Jo: Carolus Morandus, de quo §. 20., qui verè poſt fugatam Cortice Quartanam, in Hydropem antea inceptum ultro progredi minimè deſiit; ſed ad interitum, quò jam tendebat, pertigit anno, ni fallor, 1678., vel circiter, me hæſitantem ſemper relinquens, ut candidè faſſus ſum in Therapeut. meâ, num hoc caſu intrà annos nunc quidem 37. *ſingulari*, minùs fauſto, fuerit ad leges circumſpectioris Praxeos præſcriptus idem Cortex, minimè adeò profuturus Hydropi, a Quartanâ nequaquam producto, ſed ab aliis peculiaribus cauſis. Hi omnes ſunt Ægroti, Viro Cl. nedum referente, ſed penè dixerim flente, Chinâ Chinâ confecti. Atque ne unus quidem ex recenſitis, ex iis ſcilicet, qui verè Chinam Chinam hauſere, illam hauſit *Methodo meâ:* quam tamen unam in fine hujus Paragraphi, quem modò expendimus, tanquam in totius Diſſertationis epilogo, manifeſtè traducere ſatagit Cl. Auctor; ſed *Methodo* tantùm *Vulgari*. Ut proinde

inde hisce exemplis quibuscunque, non mihi uni, sed omnibus vel religiosissimis Chinæ Chinæ fautoribus bellum, inane quidem, nil tale putans indixerit. Sic dum *Fullonem adoritur* Vir Cl., *percutit Fabrum*.

Sed quod majorem ultimo tandem loco incutit admirationem, illud est, quòd omnes hosce Casus verè nihili unquam fecerit, aut usui Corticis quicquam officientes putarit ipse, qui modò tanti facere ostentat, Cl. Ramazzinus. Licèt enim asseruerit §. 8. hujusce Criticæ Dissertationis, *se in provectiori ætate experientiâ edoctum, & observatis noxis a Chinâ Chinâ prognatis, cautiùs in illius usu processisse*, ac subinde has omnes historias in asserti sui probationem attexuerit; nihilominus hæ ipsæ historiæ, de quarum veritate satis sibi conscius extiterat, minimè obstiterunt, quò minùs in maximas Chinæ Chinæ laudes fuerit effusus in Orationibus Jatr. argum. pluries citatis; imò nec obstiterunt, quò minùs ad ultimos usque annos incolatus sui in hac Urbe, quæ idcirco miratur adhuc novissima illius effata, fuerit usus eodem Febrifugo: & quidem semper fidentiùs, ac liberaliùs, quàm antea.

Atque ut clariùs elucescat hæc veritas, & cuncta ordinatim enucleem, sciat Lector, Virginem in Monasterio S. Magdalenæ educatam ægrotasse, & convaluisse (neque enim obiit) anno 1690.; Jurisconsultum insignem, Dominum nempe Nicolaum de Sanctis, a Secretis Serenissimi Ducis Mutinæ, ægrotasse pariter, & convaluisse anno 1704. Eodem anno 1704. ex Perniciosis Tertianis Febribus, *Chinâ Chinâ nequaquam epotâ*, Fatis cesserunt D. Antonius Guidonius, D. Marchio Cortesius, & D. Jo: Altimanus. Anno 1703. occubuit D. Comes de Marsciano, & circa annum 1678., vel 79. D. Comes Morandus. Cl. autem Ramazzinus post hos morbos, & post hæc funera gressu nedum pari, sed & firmiore in eâdem semper praxi procedens, ut Urbi huic universæ notissimum est, Orationes suas Jatrici argumenti, quas Peruviani Corticis quisque diceret Panegyricas, conjunctim edidit anno 1708.; Dissertationem verò *De Contagiosâ Boum Epidemiâ*, anno 1712., immediatè ante editionem Tractatus mei; longè verò *post editionem Synopsis* ejusdem Tractatus: in quâ Dissertatione suâ ferme sibi adoptare visus est argumentum ipsius Therapeutices meæ, sub Prelo tunc existentis. Atque ita quidem, ut ideo putarint nonnulli (temerè tamen) Virum Cl. in eâ Dissertatione, dum meus cuderetur Tractatus editâ, indicare voluisse semetipsum ante me conscium Methodi, quam propediem eram promulgaturus; explosâ verò a me pag. 637. & sequent. Operis mei omni suspicione, quòd illi Methodus hujusmodi innotuisset priusquam mihi, ipsum in oppositam partem animum convertisse, acriter impugnando quod sibi ampliùs nequibat asciscere. Sed falluntur quotquot de tam perspectæ dignitatis Viro tam sinistrè opinantur. Scripsit ille tunc quæ sentiebat de admirandâ Corticis virtute, ut veritati subscriberet sibi cognitæ, mihique plauderet illam promulgaturo. Mox illum facti pœnituit; nequè tamen mentem mutavit, sed cor.

Mentem igitur suam (ut revertar unde recessi) ingenuè patefecit

ille

ille in prædictâ Dissertatione *De Contagiosâ Boum Epidemiâ* anno 1712., longè scilicet post sinistros Casus nuperrimè memoratos; patefecit, inquam textu illo insigni aliàs recensito, videlicet -- *Equidem hoc præsidii genus* (loquitur de Chinâ Chinâ) *in Febribus periodicis miranda præstat, ac præsertim in Tertianis Intermittentibus Malignis, quæ in ipso impetu accessionis ægros interdum necant &c. hoc enim Febrifugum Fermentum illud malignum sive penitùs restinguit, sive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne æger in ipso Febris accessu intereat*. Cui textui (ne vel hoc subticeam) haud satis percipio quomodo quadret textus finalis hujusce Paragraphi, nempe, -- *omnino periculosum esse, amaris Chinæ Chinæ potionibus uti in Febribus, quæ Maligni aliquid præferant*, quasi benignitas, vel malignitas Fermenti febrilis, contra id quod experimur, reddat Febrem, etsi Intermittentem, Subintrantem, aut Subcontinuam, in primo casu curabilem Cortice, insanabilem in secundo: & quasi non liceat in extremo Vitæ periculo uti Chinâ Chinâ more Opii, & pro Curatione etiam palliativâ perperam creditâ (quâ similitudine, ab Opio nimirum, aliisque Narcoticis desumptâ, ipse quoquè sum usus in Therapeut. meâ pag. 31., 355., & alibi) cum tamen *ad impetrandas* in Febribus minimè periculosis *aliquot dierum inducias*, ex Viri Cl. effato in hoc ipso Paragrapho, *admittendus sit, & laudandus Chinæ Chinæ usus*; imò cum ex eodem contextu *usus illius esse debeat qualis est Opii*. Sed redeamus in viam. Alias ergo noxas sibi observatas post annum 1708. imò post 1712., opus erat recensere Viro Cl., non Historias inanes, longè ante edita Corticis encomia sibi notas, quæ tamen encomiis subinde prolatis non obstitere. Rumor itaque omnis tandem desinet, partim in Puellas Patavinas, quibus anno 1713. empyricè prorsus Chinam Chinam obtulit Mater, & quarum *sanatio* in subsequens Ver dilata fuit, partim in Historiam Co: Torricini eodem anno Guastallæ extincti, Auctori nostro, dum hæc scriberet, communicatam per literas; sed illi satius fuisset, ut reor, hanc quoquè Cicadam alâ nequaquam corripuisse.

Sunt hæc, a Viro Cl. objecta, septem, vel octo Corticis facinora, quæ deprædicantur infausta. Prodeant ergo in apertum necesse est, non quidem ad ostentationem, nec meæ tantùm defensionis habitâ ratione, sed & publicæ utilitatis, quæ fuere præclara. Verùm hæc jam satis prodiere in Therapeutice meâ. Ægrotantium restitutorum series (non hìc est sermo de Ægrotis citra grave periculum febricitantibus, qui forent innumeri, sed de *lethaliter* decumbentibus) factâ supputatione omnium hìc illic cumulatim descriptorum, seclusis etiam Historiis ab aliis communicatis, numerum implet 74. Horum 64. cujuslibet sexus, temperamenti, ac ætatis, incolumes vivunt adhuc, suntque vivi testes virtutis eximiæ, quam Deus indidit huic remedio. Reliqui ab eo, quo desii scribere, tempore (agitur jam quintus annus, etsi segnior processerit impressio completa totius Operis) objerunt: quatuor quidem jam octogenarii descripti olim, cùm convaluerunt ope Corticis, in eodem Opere pag. 165. hist. 3., pag. 171. hist. 7., pag. 172. hist. 8., & pag. 480. hist. 4.: sex alii virilis, aut inclinantis ætatis, & ex causis planè

evidentibus, sive, ut ajunt, procatarticis, in varios demum morbos delapsi, descriptique pariter quondam, cùm Chinâ Chinâ fuere servati, pag. 409. hist. 5., pag. 412. hist. 8., pag. 438. hist. 6., pag. 465. hist. 18., pag. 477. hist. 3., & pag. 497. hist. 12.: omnes verò, tam primo scilicet, quam secundo loco recensiti, post annos, modò *septem*, modò *octo*, modò *sex*, & ad minimum *duos* ab epotâ Chinâ Chinâ, e vivis sublati, neque illâ in postremis, quibus succubuere, ægritudinibus usi.

Unum tamen excipiam, & aliis addam, memoratum olim in citatâ Therapeutice meâ pag. 181. historiâ 14., qui *viginti* ab hinc annis præsentaneo Corticis auxilio a periculosâ Febre feliciter evaserat; sed nuperrimè dum hæc scribere jamdudum desiissem, occubuit, eodem remedio rursus, sed incassum, adhibito. Ne itaque ab ingenuo more meo unquam deflectam, quemadmodum in eo Tractatu lib. 3. cap. 5., & lib. 5. cap. 4. historias omnes defunctorum, quos China China servare nequivit sum fideliter persecutus; ita modò hunc ejusdem sortis eventum, imminente harum Responsionum evulgatione præter expectationem mihi observatum (quandoquidem

Multa cadunt inter calicem, supremaque labra)

candidè recensere, meum existimo. Idem igitur Vir Nobilis D. Geminianus Levizzanus, de quo jam loco citato, paulò ante Æquinoctium Autumnale hujusce anni 1715. duplici Tertianâ Subcontinuâ ruri correptus, in Urbem se transtulit; ubi methodicè a me, ut loqui mos est, ab initio tractatus, non modò nil opis ab Arte retulit, sed accessionibus, quæ se mutuò excipiebant, obscurioribus redditis, & ingravescentibus in dies symptomatis, e Subcontinuâ periodicâ ad Acutam, & Continentem febrem jam properanter tendebat. Usque tamen motum levem exacerbationis, & remissionis haud planè contemnendæ servabat eàdem Febris: ut proinde Peruviani Corticis usum, non plenâ quidem, sed nec minimâ fiduciâ, fore proficuum crediderim. Illum itaque præscripsi parciore tantùm dosi, ut morbi, remediique vires sensim explorarem; ad drachmam nempe unam per dies quatuor quolibet mane in Aquâ Cardiacâ. Me interim aliò migrante, ad invisendum scilicet Ægrotum Nobilissimum ruri graviter decumbentem, cum postridie reverterer, actionem aliquam Febrifugi salutarem probabiliter percepturus, non sinè admiratione quadam opositum deprehendi, æqualem videlicet, imò & fortiorem, ut suapte naturâ ferebat progressus morbi, Febris quoquè progressum agnoscens, perinde ac si Chinam Chinam nullatenus Æger potasset; quem idcirco in novissimâ exacerbatione insigniter soporosâ, & gravi Sacris celeriter muniendum putavere Medici, qui vicem meam brevi eo tempore suppleverunt. Admonitus interim ego de levi quidem, sed perceptibili motu, quem Febris adhuc servàbat, recolensque memoriâ, quod mihi narratum fuerat contigisse primis morbi diebus (nisi me fefellere adstantes decepti & ipsi) Febrim scilicet, dum ruri ageret Nobilis Patiens, claros Tertianæ duplicis, Subintrantis licèt, paroxysmos præ se tulisse, facilè persuasum habui, illam etiamnum de *Subintrantis* potiùs, etsi gravioris, atque contu-

contumacioris, quàm de *simpliciter Remittentis* naturâ participare; adeòque Cortice justâ dosi exhibito curationem illius (quam non aliunde licebat sperare, quoniam frustranea visebantur alia, quæ simul ex usu erant Artis præsidia) esse tentandam. Duas itaque Chinæ Chinæ drachmas summo mane in formâ boli sumendas statim præscripsi, & totidem mane sequenti: quibus oblatis, non modica facta est morbi remissio, & consuetarum exacerbationum abolitio omnimoda, superstite tantùm leviore Febriculâ vix perceptibili. Hæc tamen cum intrà duos, aut tres dies minimè solveretur, ut cæteroqui assolet hisce casibus; imò pertinaciter perstaret, comitante illam voce exili, & facillimâ etiamnum ad somnum, placidum licèt, propensione; maximum mihi terrorem incussit: præcipuè cum simul de pondere quodam in regione thoracis toto morbi decursu conquestus fuerit Æger, quamvis sinè ullâ unquam difficili respiratione. Fuit autem ejusmodi, qui me tunc corripuit timor, ut actum esse probabiliter de vitâ Ægrotantis facilè pronunciaverim, latentem aliquam in præcordiis labem suspicatus, quæ decumbentem Virum sensim esset confectura. Intermisso idcirco ad aliquot dies Febrifugo, in hisce circumstantiis inutili a me credito, & continuatis tantummodo reliquis remediis vulgaribus, pari adhuc passu procedebat superstes Febricula, sed cum tolerantiâ adeò facili, ut jam non parum spei Adstantes omnes conciperent, & Consanguinei; me tamen apertis notis jugiter reluctante.

Ne verò Febrifugo planè posthabito violenter iterum recandesceret Febris, & reviviscerent Exacerbationes, facile illis postliminium præstituro foco superstite: & cum inania ex aliâ parte experirer quotquot ad omnimodam Febris extinctionem administrabantur remedia, ad ejusdem Corticis usum iterum transitum feci, præscribendo ad drachmas tres in formam Opiatæ, intrà tres tamen dies partitè absumendæ. Quæcunque fuerit eventus causa, ab eo certè tempore leviùs se habere cœpit Ægrotus quò ad omnia, & quò ad ipsam quoquè Febriculam; quæ tamen nunquam integrè obliterabatur. Vox illius cœpit se exerere, & sonora evadere; sputum quoddam crassum, nonnunquam subcruentum, ac identidem ferme semipurulentum facilè excerni; somnus de more placidus levamen ferre; urina antea crassa laudabilis fieri; appetitus non modicè redire, ac ferè dixerim nimis: itaut solidos cibos appeteret Æger, & è lecto surgere sibi permitti constanter efflagitaret. In hac rerum tranquillitate cum tamen nunquam planè recederet obstinata Febricula, jamque instaret vigesima morbi dies, Consanguineis, & Amicis illius, qui inter sanos eum planè referebant, mihique, nedum non fidenti, sed & omnino malum exitum metuenti, parum aberat quin illuderent, apertè dixi, me adduci non posse, ut unquam crederem, Ægrotum ab eo morbo evasurum, etsi illum domi ambulantem cernerem; quandoquidem laticæ illiusmodi Febres me vel propè quadragesimum diem aliàs decepere. Nihilominus ne forte, ut aliis videbatur, propitiâ abuterer, Corticem ad semidrachmam in formâ boli ad quatuor adhuc dies continuandum præcepi, tredecim sic illius drachmis toto morbi tempore partitè consumptis. Quod quidem eo

fructu visum est fieri, ut vigesimâ quintâ morbi die Æger mihi cubiculum mane ingredienti nuntiare potuerit, se nocte prægressâ a Febre omnino liberum semetipsum dignovisse, & etiamnum talem se mihi perhibere, ac perfectè jam sanum. Immunem verè tunc a Febre & ipse deprehendi, pronuntiavi, & metum libenter deposui; subdens tamen Uxori solicitæ, me reapse non reputare levamen illud pro ultimo morbi termino, cujus solutionem seriusculè protrahendam etiamnum censebam; attamen deprehensam febris carentiam tanti ponderis esse apud me, ut jam jam Ægrum in tuto positum crederem, neque ampliùs eum tentari posse, nisi febriculis forsan levioribus, & paulatim facilè recessuris. Revera vespere motu nonnihil sensibili novus accessit febrilis insultus; quo statim terrefactus Æger, se de vitâ desperare palam fatetur, cibum, quem antea benè appetebat, aversans, me tamen illum redarguente de pusillanimitate intempestivâ. Sed heu vana quàm sunt hominum judicia! Mane sequenti gravissimè habentem invenio, & faucibus quasi stertentem, quem pridie tutum putaram. Præscribo tumultuariò plura, sed incassum; nec Cortici locus, aut tempus est, nec ulla mihi ampliùs fiducia. Post meridiem exacerbatur febris cum sopore, & gravi anhelitu. Animæ idcirco iterum consulit, & postridie manè, vigesimâ nempe septimâ morbi die, dum leviùs habere creditur ab Adstantibus, me ideo statim acciri curantibus, sub eorum oculis spe rursus conceptâ lætantium, sinè stertore, sinè labore ullo placidè expirat.

Recentem hunc eventum, qui minimè successit ex voto, tanquam quid infrequens in hac Praxi (*Omnibus* namque *Malis Punicis inest aliquod granum putre*) excipe prudens Lector; & ex numerosâ, quæ superest faustorum serie, & ex perspectâ, etiam cùm planè tollere morbum nequit, sed tantùm mulcere, innocentiâ remedii, conjice quàm sæpe fidendum sit, quàm raro cunctandum in usu Peruviani Corticis, ubi præsertim satis patens Febrium indoles, & imminens periculum illius administrationem rationabiliter suadeant. At verò quid hìc immoror, librando Casus felices olim relatos, ut eos huic uni, ubi remedium distulit tantùm, non prohibuit cladem, vel paucis quibusdam commentitiis, & vanis, a Viro Cl. adductis, longè præponderantes ostendam? Nonne præter sexaginta quatuor in Therapeutice memoratos Ægrotos adhuc superstites, nonne, inquam, septem alios, quasi in defunctorum locum suffectos (neque enim Chinâ Chinâ semel curati immortales fiunt) & septem famosis Casibus a Cl. Auctore oppositis jure merito præferendos, in harum Responsionum decursu recensui, quippe qui post editam eandem Therapeuticen, decubuere, & felicissimam in periculosissimis circumstantiis sanationem unius Chinæ Chinæ ope fuere sortiti? Ut omnes simul colligam, fuere hi Viri Nobilissimi, D. D. *Dux Limatulæ* Neapolitanus, *Marchio Borda* Hispanus, *Marchio Gonzaga* Mantuanus: item D. D. *Jo: Baptista de Carandinis*, *Paulus Æmilius de Bignardis*, *Antonius de Zanellis* Mutinenses, & Archipræsbiter Massæ Finalensis paulò ante descriptus.

Quòd si alios addere lubeat admirabili hoc Febrifugo recèns curatos,

tos, quorum nulla hactenus facta est mentio; in promptu erunt Viri pariter Nobilissimi, *D. D. Marchio Thomas de Obiciis*, & *Comes Fulvius de Rangonis*, ambo ex Tertianâ duplici Subcontinuâ cum symptomatis non parum gravibus, & pejora minitantibus ægrotantes; *Monialis* ferme octogenaria e Cœnobio S. Claræ lecto ferè semper affixa, quæ a Tertianâ Intermittente convalescens, post nonnullos subinde menses e Subcontinuâ iterum longè graviore decubuit; *D. Lucretia Ferraria* ejusdem pariter ætatis, ex Perniciosâ Lethargicâ ad ferreum mortis soporem properans; *D. Claudius de Donnolinis* ex Subcontinuâ Tertianâ in Algidam conversâ ad extremum vitæ planè redactus; *D. Dejanira de Raynaldis Rovighia*, quæ ex Quartanâ triplici Subintrante in Continuam demum soporosam ruebat gradu præcipiti; *D. Alphonsus Tonanus* ex Quartanâ itidem, primò simplici, mox duplici, ac demum continuâ, cum assiduis vomitibus, singultibus, & animi deliquiis gravissimè habens; *D. Joannes Amorosi* jam senex, & ex Algidâ Tertianâ Lipyriam æmulante quàm maximè, & quàm proximè periclitans; *D. Margarita Vaccaria* prope nonagenaria, quæ unoquoque post tertium Febris Tertianæ paroxysmum accessu, in profundissimum soporem cum renovatione Paralysis, quam ante aliquot menses ex Apoplexiâ contraxerat, & a quâ demum evaserat, denuo labebatur, itaut alternis diebus novum veluti levis Apoplexiæ insultum experiri videretur, unà cum febrili paroxysmo invadentem; tandemque *D. Lavinia de Speramanis* in domo Camporeâ moram trahens, cui Tertiana primò simplex, mox duplex in Perniciosam migravit ex Catarrho, ut vocant, suffocativo, in vigore accessionis stertorem planè mortiferum intrà bronchia pulmonis excitante; itaut recurrente bis, aut ter, semperque ferociùs, cum paroxysmis febrilibus horrendo hoc symptomate, Ægra brevì pro conclamatâ habita fuerit a sacris ipsis Ministris, spiritus exitum quàm mox expectantibus. Quam quidem Perniciosæ Tertianæ speciem a Mercato descriptam, mihi verè nunquam contigit observare, ut in Therapeutice dixi; hanc tamen observavit, curavitque unus ex *Junioribus illis Medicis*, *quem* Cl. Auctor diceret *recèns ex Academiâ venisse*, Corticem præscribens *dosi liberali* (drachmas tamen sex partitè oblatas non excedente) *eâ securitate, quâ Magistrum suum operari vidit*, eâdemque pariter securitate Febrim insimul, & exitiale illud Symptoma sustulit, omnibus quotquot aderant, possuntque cuncta testari, non parum stupentibus.

His Ægrotis alii accedere possent inferioris notæ, cujusmodi fuere nescio quis de Famulitio D. Ducissæ Massensis, nunc Mutinæ commorantis, nomine *Jacobus*, ex duplici Tertianâ Subcontinuâ Malignante quàm graviter habens; *Jacobus Antonius Corghius*, minister in Xenodochio, ex Tertianâ duplici in Subcontinuam acutam permutatâ non modico positus in discrimine; *Christophorus Icciolius* ex Tertianâ duplici Subcontinuâ cum Diarrhœâ immani singultuosus factus, frigidus, & omnimodæ asphyxiæ propinquus; *Antonia Pini* ex Cardiacâ Tertianâ duplici ad Continuam properante cum delirio, luctuosis suspiriis, & voce exili ad obitum vergens; *Ludovica de Manzeriis* in

quarto

quarto Tertianæ Syncopalis paroxyſmo ſua cæteroqui proxima prænoſcens funera; *Dominicus Doricius* ſeptuagenarius, ex Lethargicâ Perniciosâ Catalepticus jam redditus; & *Bernardinus de Floranis*, ex Algidâ pariter Tertianâ ad interitum ruens: quos omnes Ægrotos unum hoc Alexiterium ex arte adhibitum promptè reſtituit; non me uno quidem, ſed & aliis quoquè Medicis illud præſcribentibus; iis nempe, qui *ſui* jamdudum facti *ſunt juris*, nec verè dici queunt ampliùs recèns ab Academiâ veniſſe.

Scio equidem, *Pauperis eſſe numerare pecus*. At ſi ſeptem tantùm pecudes, & macras, & vetulas pro integro ſuo grege hucuſque oſtentavit Cl. Auctor, qui ſe nobis perhibebat tam divitem; cur centum pinguiſſimas, pluresque ex iis adhuc tenellas e grege meo ſeligere ipſe non poſſim, & digito commonſtrare, nec tamen haberi pauperculus? Quid verò ſi Febricitantes omnes Viri Cl., ut ſinè parabolis loquar, perſequi vellem Chinâ Chinâ fortaſſe curabiles, quibus tandem eâ poſthabitâ, vel neglectâ, non Galenus, non Hippocrates, non Celſus, non Ballonius, ſed ſolus *Aceſtias medicatus eſt*? Abſit, hoc tamen ut unquam mediter. Hoc igitur, quo nuperrimè recenſui, pacto *Mutinæ amaris Chinæ Chinæ potionibus quotidie, ac pluries in die largâ doſi oblatis, in Febribus, quæ maligni aliquid præferant, Ægri miſeri conficiuntur*. Clamet, pugnet, obſtrepat, verbis, cavillationibus, ſophiſmatis, auctoritatibus Vir Cl., Philoſogiâ ipsâ, & Arte Rhetoricâ in ſubſidium vocatâ, ceu qui motum *progreſſivum* dari pernegabat: ego interim ſilens; ſed eandem ſemitam calcans, *eodemque jugiter paſſu pergens*, reſponſum faciam.

§. 49.

HÆc *habe mi Nepos* pro reſponſione ad primum tuum quæſitum, de quo multa alia haberem dicenda, provocante materia. Scio me hac Diſſertatione non multum gratiæ reperturum apud eos, qui communium errorum reprehenſionem in propriam calumniam referunt, ſed neminem hic nominavi, nec veteris Comœdiæ more volui quemquam perſtringere. Mens mihi ad publicum beneficium ſolum fuit iſthæc conſcribere, non laudes quærere, eas potiſſimum, quibus uti ſolent Scriptores in re Medica, cum aliis Scriptoribus ampulloſis titulis laudes cumulando, quæ nec ipſis Medicinæ Parentibus vix convenirent, ut alias ſimiles ab iis exigant. Revera novum non eſt hoc vitium, ſed ad ſummum devenit.

Suppe-

Suppetit mihi egregium dictum D. Hieronymi in Epistola ad Celantiam, quæ Epistola creditur D. Paulini. *Est sane grande, & subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo, animum sibi obligare decepti.*

(*Hæc habe mi Nepos &c.*) SEra. *in fundo parsimonia*. In calce Dissertationis cessatio Viri Cl. a profusè adhibitâ hucusque libertate, seu mavis licentiâ, ubi præsertim officiosas protestationes ipsum destruit Factum, haud planè satisfacit iis, in quos peculiariter hæc etiamnum cuditur Faba: Communis namque in Republicâ Medicâ perperam vocatur error, qui non modò uni tantùm Mutinensi Scholæ, sed uni duntaxat adscribitur, imputaturque illius parti; ne uni dicam Scholæ meæ, cui fortè largiuscula illa haud malè aptatur appellatio *numerosioris Mutinensium Medicorum partis*, de immodico Chinæ Chinæ usu apud Cl. Auctorem §. 1. notatæ. Apud hosce igitur omnes Urbis Mutinensis Professores si multum *gratiæ* fortasse *non reperit* Vir Censorius, nec plurimum ob id certè meruit reperisse. *Neminem* quidem ex his *nominavit* ille; sed injurius sibimet ipsi Pictor (respice Paragraphum undecimum Ramazzinianæ Dissertationis Lector, qui supinè non dormis) si cui nec varo, nec valgo, distortis tamen de industriâ cruribus a se depicto, nomen addere necessum putet, ut notum faciat. Me saltem noluit perstringere, qui *veteris Comœdiæ more noluit perstringere quemquam*. Ita piè credendum cineribus Viri Cl. Verùm ut quid *cineribus* dixi? Ipsi viventi credendum; meque jam meæ pœniteat præconceptæ suspicionis: mihi siquidem ipsi de Opere meo, cùm illud primùm ex me recepit humaniter, hæc sub die 12. Septembris 1712. rescripsit linguâ vernaculâ, nisi & hìc (quod ægrè admiserim) *non idem sint Scriptura, & Leucæus. -- Ho sempre avuto somma venerazione alle cose di V. S. .... sì in voce, come in iscritto, e l'averò sempre* usque ad cineres &c. *Non ho dubbio, che quest' Opera non sia per esser ricevuta se non con lode da gli Uomini dotti, molto più, che quelle leggende, che sono .... colle quali taluno si crede d'immortalare il suo nome. Mi rallegro con V. S. .... che sia entrata nella Classe de' veri Scrittori con un' Opera, che merita nome di Libro, e le rendo per un tal favore infinite grazie &c.* Officiosis hisce verbis, quamvis supra merita commendatus, minimè tamen contra honestatem a Viro ingenuo me deceptum credam, qui nec illum unquam decepi, cùm laudibus promeritis sum prosecutus, neque ab eo antehac recepi unquam, unde me sic deceptum suspicari potuerim.

Ut igitur & huic, & cuicunque graviori notæ defunctum Virum tandem eximamus, dicamus etiamnum, *isthæc*, quæ in præsenti Dissertatione prostant, *ab eo fuisse conscripta* exercendi ingenii, sive, ut dici solet, arguendi gratiâ (qui nobis olim quoquè mos fuit in Disputationibus, cum in hoc Mutinensi Lycæo Medicinam ambo pari munere profiteremur) imò *ad publicum solum*, ut asserit, *beneficium*; illud

bene-

beneficium scilicet, quod ex mutuâ ingeniorum collisione solet emergere, eruto indè claro lumine veritatis. Convellendum dubio procul assumpsit ille (quis non videt?) Tractatum meum; non eo tamen fortassis animo, ut everteret, cum verè sentiret, quæ sentio; sed ut *functus* quodammodo *vice cotis*, vomerem mihi, rastrum, & marram acueret, ad detegendam faciliùs, effodiendam, & expurgandam ab inquinamentis omnibus veritatem. Ita mentem illius modò lubet interpretari. Suadeamus insuper nobis (ut Nepotem quoquè subtrahamus a notâ Relatoris minùs sinceri) eundem Cl. Auctorem, ut hæc lepidiùs nobis obtruderet, Dissertationem suam inscripsisse Nepoti forsitan inscio, nec de Chinâ Chinâ quicquam locuto, nec responsum ullum per literas unquam quærenti. Juvat hoc credere; tum quia tantam in Viro modesto, cujusmodi est Nepos defuncti Auctoris, non libet fiduciam arguere, ut numerosiori, forsan & digniori, Mutinensium Medicorum parti, Peruviano Febrifugo liberaliter, ut decet, utenti, tam facilè succensuerit; tum maximè quia abundè jam constat, ipsum longè aliter ac olim de Chinâ Chinâ sentire cœpisse, suamque laudabilem mutationem sententiæ usu ipso practico prodidisse non semel.

Exemplum recens hujusce metamorphoseos ipse nuper aliud acturus ex inopinato deprehendi: cum enim quispiam de Familiâ D. Caroli Foresti a septem circiter diebus febricitaret, illique Cl. Auctoris Nepos Medicinam faceret; mihi constitit ex inspectione fortuitâ Adversariorum Pharmacopœi, dum scilicet meæ cujusdam Schedulæ rationem quærerem, hujusmodi Ægrotanti præscriptam fuisse sub die 16. Julii labentis anni 1715. a memorato curante Viro unciam unam Chinæ Chinæ in vino infusam, & immediatè postridie drachmas tres ejusdem medicaminis in formâ boli; quæ dosis postrema quater renovata fuit in morbi decursu: atque ita unciis duabus, & semis Chinæ Chinæ largâ satis manu, etiam supra morem meum, administratæ, convaluit Æger. Magis adhuc recens Exemplum nuperrimè sum intuitus apud Aulicum Pharmacopolam in Tabulâ Schedularum Medicarum, pro R.R. P.P. Capuccinis ab ipso pariter conscriptarum; ibi enim, sub die 30. Julii proximè elapsi, primò semunciam Chinæ Chinæ descriptam vidi, dein (& quidem immediatè post) unciam unam, quæ subinde fuit pluries repetita. Subsequentibus postmodum mensibus eâdem proportione rem processisse, admonent Schedulæ peculiares: ut omittam, quæ insuper ex Amicorum, & Pharmacopæorum relatu hac occasione mihi certò innotuere de crebrâ, & liberali oblatione ejusdem Febrifugi, quæ hodie citra ullam hæsitantiam, aut frugalitatem in usu est eidem Cl. Auctoris Nepoti. An ergo censendus ille dosim parciorem, majori urgente periculo aliis usitatam, abusus nomine apud Patruum traduxisse? Saltem si ante biennium, cùm nondum Collega noster evaserat, tam sinistrè opinabatur; eo exacto, meliùsque perspectâ utilitate remedii, in meliorem quoquè sententiam, prout hominem ingenuum decebat, tandem devênit. Quod illi quidem gloriosum planè, & ad delendas admissi olim præjudicii notas abundè sufficiens.

Quòd si nimis officiosæ, adeòque affectatæ cuipiam videantur piæ istius-

istiusmodi erga Defunctum Virum, & erga Superstitem meditationes meæ, ut affectatæ visæ sunt mihi protestationes illius in principio hujusce Paragraphi, easque idcirco ingenuitati meæ minùs cohærentes putet; is, ne candori meo quicquam detrahat, posthabitis quibuscunque meis, aut semotis, quæ præstare sum conatus, officiis; expensis verò æquâ utrinque lance totius Causæ momentis; prout illi videbitur concedens, de Cl. Auctore, de me, ac de integrâ tandem controversiâ nostrâ judicium ferat.

§. 50.

A*Lterum quæsitum*, num scilicet salubre foret pertentare Corticis Peruviani usum ad prophylaxim, paucis absolvam. Suppono Te pro remedio prophylactico non intelligere hujus remedii usum, profligata febre, ne amplius redeat, licet enim à Medicis in hoc sensu communiter accipiatur, proprius tamen non est illius sensus, nam ut Joannes Gorræus in suis Definitionibus medicis, nomine prophylaxeos intelligendum est remedium illud, quod potius operetur ne morbus aliquis accedat, quàm quod jam profligatus redeat, sed hoc multo ante scripserat Galenus in Commento Aphorismi 22. Sectionis secundæ, puto igitur secundum rationem licere experiri Febrifugum Peruvianum, sed modica dosi ad aliquod tempus quolibet mane, antequam febrium periodicarum, & continuarum quoque per æstatem, & autumnum ingruat tempestas, nam ex Hippocrate, *Quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent*, quem locum primo adspectu obscuriorem egregie exponit Vallesius, purgationes, Venæ sectiones, solita morborum remedia antefacta, ut primo vere, fieri prohibent morbos æstate, & autumno. *Quibus convenit Venæ sectio, vel purgatio, hos Vere purgare, vel Venam secare oportet*, ajebat Hippocrates Aphorismo 47. 6. Sectionis, in cujus Aphorismi expositione ajebat Galenus se hisce remediis multos præservasse gravissimis morbis per autumnum laborare solitos;

hujus

hujus tamen remedii ad prophilaxim usum, si quis velit experiri, exhibendum existimo in iis, qui commodo fruantur sanitatis statu, nam si quid noxii Chinæ insit, convenienti corporis exercitio facile excutient. At forsan consilium magis sanum erit remedium istud, natura sua dolosum omittere, nam ex Celsi monitu *cavendum ne in secunda valetudine adversa presidiæ consumantur*. Vale.

Dabam Patavii die 20 Julii 1714.

(*Alterum Quæsitum &c.*) MIhi *istic nec seritur, nec metitur*, ajebat apud Plautum Epidicus. Sed neque hìc forsitan metet Nepos ipse Viri Cl., aut alius quispiam. Non metam ego, qui nomine *Prophylaxeos* usus sum in Opere meo, intelligendo præcautionem a novo quoquè morbi præteriti, sed facilè recurrentis insultu; sive proprius hic sit vocis illius sensus, sive communiter adoptatus etiam ut talis. Nihil inquam emolumenti hinc referam, omnium ferè Medicinæ Scriptorum vestigia secutus, & posthac pariter secuturus; hi enim de inhibendo Asthmatis, Epilepsiæ, aut alterius Morbi intervallati recursu locuti, hujusmodi verbum perpetuò usurpavere. Me tamen usque magis firmabit in posterum exemplum ipsum Cl. Auctoris, in hac ipsâ Dissertatione vocem *Prophylaxeos* sub eâdem significatione *bis* usurpantis, nempe nuperrimè §. 48. circa medium, & §. 12. circa finem. Sic & in minimis sibi adversatur, miliumque torno inaniter sculpit Vir cæteroqui doctissimus. Denique nec metet, aut manipulos colliget Nepos ipse Viri Cl., aut quispiam alius, ob dogmatis incertitudinem, ubi hæc ipsius verba perpendat -- *Puto igitur, secundùm rationem licere experiri Febrifugum Peruvianum quolibet mane* (nota hìc facilem citra exigentiam repetitionem remedii *malitiam occultam* habentis, & ex §. 48. *alterâ die ad prophylaxim minimè repetendi*) *quolibet*, inquam, *mane*, *modicâ dosi*, *ad aliquod tempus &c.* & paulò post perpendat hæc alia verba, palinodiam de more canentia, -- *At forsan consilium magis sanum erit, Remedium istud naturâ suâ dolosum omittere* -- Hæc ille. *Remedia* tamen *naturâ suâ dolosa*, qualem contumeliosè vocat Chinam Chinam Vir Cl. ad extrema redactus suæ Antifebrifugæ Dissertationis, nusquam legitur in Genesi, Deum, qui Medicinam condidit, unquam creasse.

Hæc habe mi Lector pro responsione ad objecta Cl. Ramazzini, cujus animadversiones, quantumvis futiles, tacitè negligendas minimè credidi; non me quidem perturbante Scripto, acriore licèt, Viri, qui in vivis non est; sed solâ, ut inquit ipse, *provocante materiâ*. Non alia tamen hujus ingenii ex me fortasse posthac habiturus est quispiam, si vel dilaceretur a Cynicis Opus meum, aut aliquam simultatem foventibus. Cum enim nullum ampliùs ex illius propugnatione commodum Reipublicæ queat emergere; ipse verò nihili faciam labores meos,

nisi

nisi quatenus cessuri sint in bonum ejusdem Reipublicæ; non est, quòd in posterum commovear tam facilè, animo potiùs pacato deinceps laturus

———————rhonchos, & ludibria turbæ
Nasutæ, & quicquid fingere livor amat.

Id unum vix potis esset animi fortasse mei firmitatem nonnihil inflectere; si nempe utiliorem, atque potissimam Tractatus partem, Methodum videlicet Specialem curandi Perniciosas Febres a Mercato descriptas (quæ summa Operis est) quisquam arte clarus refutandam susciperet. Sed quis unquam, qui artem calleat, nudam observationem meam, non ratiociniis suapte naturâ fallacibus, sed constanti innixam experimento, ubi præsertim nullum aliud pro *Curatione* pereuntis hominis planè *coactâ*, sed nihilominus planè tutâ prostat auxilium, aggrediatur refellere? Et quandocunque id etiam contingeret, quâ necessitate cogente aggrederer ipse, observationem, & experientiam meam argumentis, rationibusve tueri, aut auctoritatibus etiam fulcire, cum satis ea semetipsam tueatur, & fulciat? Cætera ejusdem Tractatus, utut non prorsus inania, cuilibet tamen Sophistæ pro arbitrio ventilanda tacitus, & lubens relinquo. Solo diutiùs vivente, & novissima Scripta sua pro eximio, quo pollebat, ingenii acumine, etiamnum defensitare volente Cl. Ramazzino, potuisset perennare lis nostra: tunc enim publicæ utilitati, quæ stimulos addidisset, accessisset quoquè voluptas mea, ab amœnitate styli resultans Eruditissimi Antagonistæ; cujus aculeos, suo semper melle conspersos, pluries experiri, mihi haud injucundum fuisset; & cui propterea minimè hæsitassem aptare, quod Joannes Franciscus Picus *De Imitatione* disputans cum Petro Bembo, scriptum reliquit; videlicet -- *Tantum suavis acrimoniæ præseferunt illi ipsi aculei, tantumque me* Viri Clarissimi *simul & pupugit, & oblectavit oratio; ut iterum pungi cupiam, quo possim iterum oblectari*. Istiusmodi conditione semotâ, præstat silere.

Hucusque igitur per me satis actum in hac materiâ; forsan & nimis: neque idcirco lubet ampliùs per eandem lineam Serram reciprocare. Etsi verò quæ Stylo Apologetico hactenus reponenda censui, ferme invitus, quippe coactus, & lacessitus addiderim; nihilominus haud planè inutiliter tempus me trivisse rebor, si vel ex Disceptatione hujusmodi, vel ex Therapeutice ipsâ jampridem editâ nonnemo forsan pro exitialium saltem Febrium, de quibus præcipuè sermo est, curatione rectiùs instituendâ, quicquam profecerit; etsi per quem profecerit etiam dissimulet: vel si quis alius, me viam præmonstrante, hanc mox arenam ingressus, sed materiam feliciùs *exhauriens*, præcipuam exinde sibi comparet famam: vel denique si paucis malè feriatis invisus, bene merear tandem de pluribus, & bene cordatis. Adeòque, ut Doctissimi Willisii verbis utar, ex Pharmaceut. Rational. Præfat. ad Lect. depromptis, - *Si leves hi conatus alios ad Studium istud meliùs excolendum instigarint, quicquid ab invidis, ac malevolis opprobrii metiar* (*metam* potiùs, vel *patiar* legendum puto) *operæ me meæ neutiquam pœnitebit*.

FINIS.



CAROLI IACOBI FILII GVILLEMEI,

EX-ORDINARIO PRIMARIOQVE REGIS MEDICO, DOCTORIS PARISIENSIS,

DEFENSIO ALTERA,

ADVERSVS IMPIAS, IMPVras, & Impudentes tum in se, tum in Principem Medicinæ Scholam Parisiensem, Anonymi Copreæ calumnias ac contumelias.



Poteram meo iure pręscribere necessariæ confutationi propudiosæ ac spurcissimæ barbariæ tuæ verissima elogia hæc, Canis Meiuri, fuste plexi, Curti iam, non Curtandi, Ægri veteris somnia, Atra bilis, Phrenitis, Mania, Lyta, Aponoia, Agnoia, Anoia, Paranoia, Paroinia, Apoborborωsis, Apocoprωsis, Apopyωsis: essent hæc tibi & sexcenta id genus de te tam vera, tam certa, quàm te tuisque probris digna, pro tua illa infanda & impia (Lenonis horreo ~~dicere) *Apotheωsi*~~: nisi lenitate &

misericordia aduersus maledicam petulãtiam, candore insito & animi æquitate aduersus teterrimum liuorem ac desperationem certare propositum haberem. Nec aliud tibi pro spurcissimis conuiciis reddidissem, quàm vnum id verbum, quo Menecratis illius insaniam, qui Iouem se literis ad ipsum pręscripserat, Rex Sapientissimus Agesilaus denotauit. Ag. Menecrati Υγιαίνειν, hoc est sanitatem, seu bonam mentem, quam ego tibi, Christiano animo imprecor.

Sed vt priorem Defensionem meam quam nec tu, nec mortalium quisquam mouere, nedum coarguere potest, veritas ipsa, & bene sibi conscia mens expressit, amici exegerunt, Tua, Curte, mala mens, acerbitas, importunitasque extorsit: ita hic parebitur à me non iustissimo dolori, sed necessitati, vt omnes intelligant, bis prouocatum, bis teterrimis ac indignissimis calumniis ac contumeliis impetitum, semel, sed quod in perpetuum quæcumque in me venena deuomeres, satis esset, respondisse, contulisse in historiam, & meam quæ mihi pro theatro est, & grauium illustriumq; virorum conscientiam, eorum quæ te, quæ Auunculum tuum attinerent, quæ reticere non potui, non debui, nisi perfidiosi, proditoris, ingrati, parricidæ, nomina agnoscerem, quæ omnia suâ sponte in vestrum caput, & certissimum dedecus reciderunt. Nunc tertiùm à te immundissima colluuie aspersus, non remaledicam: quod si ciuile fasque Octauianus Cæsar pronunciauit, at non faciet Christianus, nedum quietis ac modestis,

omni vt tu pulsa verecundia, maledicet. Sic tecum agam, vt cum acerbissimo aduersario, ipse nec infestus, nec infensus: & agam teste illo, cui nihil tectum esse potest æternæ iustitiæ Oculo, veri & certi iudicem, falsi vindicem habiturus. Parcam inimico, vt fratri: senem admonebo senex: pudoris, modi, ac modestiæ oblitum castigabo, non vt bis puerum, sed errantem, in viam, si quid potest medicina consilij, reuocabo: recti, honesti, officiique commonefaciam: ostẽdam tibi te, vt speculum non fallax, id quod amicus est: ex illa colluuione propudiosæ calumniæ eruam extrahamque: putorem, pus, ac venenum, quæ commentationis tuæ nomina sunt, medicabor. Itaque non vestigia tua sed volutabra persequar, satis munitus aduersus tetritatem odoris fœdissimi quem sentina illa exhalat; iam olim dum in Parisiensi Nosocomio adolescens *miseris succurrere disco*, præmunire me necesse habui aduersus corruptissimi aëris graueolentiam, & nunc obfirmaui stomachum, id est animum meum, aduersus venenatam purulentiam vomicæ illius quæ in scripti tui probrum erupit. Ea vero prima se statim fronte prodit, & quàm impura, quàm detestanda est, tam impudenter prosilit. Quis enim vel InCommodus, vel Alæagabalus, quod aliud turpitudinum Monstrum, Lenonis vnquam Apotheωsin commentus est, aut nominare ausus? Vilem profectò, imò detestandam & execrabilem apud te esse oportet honestatem omnem, castimoniam, sanctitatem, qui Lenones (honorem præfamur) con-

ſecres? perditiùs omnino quàm olim Athenienſes qui Contumeliæ Fanum & Impudentiæ fecerunt, quam impudicis ſaltationibus, probroſis ſchematis, nocturnorum ſacrorum inuerecundia, laſciuiaque, ſui Baptæ concelebrarent: Hos inter tu cordacem ſaltares, & reſtim duceres Archibapta, qui ſic pudorem ac verecundiam eiuraris Medicus, decoxeris ſenex, vt nullis non te probris vltro contamines, dum te digna in nos maledicta congeras, nec penſi habeas quidquã vt de infami cœno conuiciorum, in quibus toto corpore volutaris, ornatiſſimum Ordinem, Hominem cãdidiſſimum, quem tibi tot repetitis toties maledictis inimicum ſumpſiſti, petulantiſſimè perfundas. Quàm enim ſceleſte ipſum horrendo illo nomine appellare audes? nec enim iuſti Numinis vindictam, nec legum à me pœnam metuis, tam impudenter illum Empirico-Methodicum; Eſt enim re ac veritate Empiricus, ea nempe experientia peritiaque, quam ratio peperit, diligens ac perſpicax obſeruatio comperit, vſus confirmauit, Ars & ſcientia conformauit: quam Medicinæ pedem ſeu crus alterum aptiſſimè Galenus appellat, ſiniſtrum nempe, dextrum, ſpeculationem ac ſcientiam, vnde teſte Ariſtotele motus ac progreſſionis initium fit. Quibus vtriſque Adiutrix humani generis Medicina inſiſtit; Methodicum vero, at non ea de Hęreſi quam grauiſſimis verbis indicto bello & inſtructa acie diſertiſſimus idem & copioſiſſimus Galenus profligat: ſed Methodicum, quod procedat via, ratione, conſilio, iudicioque ad opem hominibus feren-

ferendam, ea videlicet methodo, quam ſummus ille ipſe artifex, perfectiſſimis ac veluti ex ipſius Hygeiæ ſcrinio promptis voluminibus XIV. tradidit ac perſcripſit: hæc Empiria noſtra, hæc methodus, hoc dogma eſt. Quod æmulari, ac ſequi, quod tenere antiſtite M. Hippocrate, Galeno duce, qui diligenti ſtudio & fideli opera nituntur, bene illi ſibi, bene medicæ fidei ac religioni, optimé verò ei, cui ſe natos ſentiunt, humanæ ſocietati conſulunt. Qui à regia & conſulari via illa delirant, in errorem & ipſi abeunt, & vitas hominum in interitum præcipitant. Quod ego ſcelus numquam ego Collegio qualicumque veſtro vtcumque de nobis merito tribuam, etſi nimis heu, nimis multi eius nomine ac autoramento quaſi ad gladium emtæ operæ illæ, experimenta per neces patrant, dum venenum iſtud indomabile, Stibium inquam, publico exitio venditant, oſtentant, propinant, vt, dum improbi cupiditati ſuæ, incauti & imprudentes errori ſuo ſubſcribunt, ſana, ſincera, & caſta medicina, ſacrum iam bellum contractum habeat aduerſus terreſtres illos Peiratas: qui, vt eſt ſeculi inertia, & proſperum ac felix Scelus, Ars, Virtus, & Sapientia vocatur, quàm impudenter tam impune graſſantur.

Non igitur in illa dicendi neceſſitate mea, in qua res perſpectiſſimas de te, tuoque Auunculo dici oportuit, quidquam à me in Scholam Monſpelienſem inclementer dictum eſt, tametſi calumniarum tuarum culpam non-nullam ſuſtineret, quæ te bac-

chantem furentemque non cohibuiſſet: cur igitur in ea mihi ſic temperaui? Quia perculſi, attoniti, & inſani cerebri eſſe duco, aut proiectę cuiuſdam impudentiæ, in vllam gentem nationemue, multò verò minus in veterem ac olim laudatum conſeſſum honeſtiſſimæ profeſſionis; cum ſemper aliquammulti, aut aliquot, aut vnus certe aliquis, publicum probrum virtute ſua redimat, excipiatque aduerſus publicam accuſationem. Ego vero Medicorum Collegium Monſpelienſe, numquam inuerecundé nominem, ex quo ſciam inſignes ab arte viros extitiſſe, nec defuturos ſpero; ſi moribus potius antiquis, quibus vt & viris ſtetit, Romana res, quàm nuperis hiſce vtantur, ſi maiorum noſtrorum exemplo, vt & noſtro, Arabum fæces expurget, Græcorum inuenta, præceptaque ab illis vt plagiariis ac interpolatoribus repetat, vindicetque, ſuis iiſque optimis & antiquiſſimis autoribus accepta referat, ſi certiſſimum deleterium, Stibium, humanitatis & religionis memor, tanta certe humani generis pernicie ac interitu edoctum damnet, pio & orthodoxo anathemate feriat, ad metallicas operas vnde natum, quibus accommodum eſt, ſempiterno exilio amandet: hoc ego vobis, hoc nomini Medico vniuerſo, ea mente opto & ominor, quâ bonis artibus cæteris atque huic in primis ſalubritati ſcientiæ iugem ſapientiam, & lumen veritatis in dies illuſtrius apprecor. Sed quid ille ſynaſtriſmos, ſignumue ſtellarum aliquot inſignium ad hoc cælum Scholæ Medicinæ Pariſienſis, quæ ex quo nata eſt

nonum ſine controuerſia ſæculum agit, Principis ac Reginæ vrbis authoritatem non minuit, ſed amplificauit, dum cum ea creſcit augeturque, & Orbi Christiano tot benigna, tot ſalutaria ſidera, perpetua circumactione, ac perenni ſuccedendi vice protulit, profert, & annuente ſalute proferet oſtendetque. Etenim vbi optimæ lex diſciplinæ vigeat, ibi ſuus virtuti honos, ibi optimis artibus ſua dignitas conſtet neceſſe eſt, vt quàm excelſo exaggeratoque carmine, qua ſublimitate ſpiritus Italiam ſuam vates maximus ſalutauit, ea mihi bonis doctiſque probantibus & plaudentibus appellanda ſit,

Salue magna parens Hygiæ,
Magna Virûm: tibi res antiquæ laudis & artis,
Ingredior, ſacros auſus recludere fontes.

Vnde purioris Medicinæ vis ac poteſtas in hominum vitam ſalutemque prodiit. Quos ego fontes paucis abhinc annis publicâ præfixione Theſeωn pro viribus aperire contendi.

Hæc, genus acre virûm
Extulit, hæc Marios, Decios, magnoſque Camillos.

Imò opiferos & humani generis adiutores conſeruatoreſque eiuſmodi, quos verus ac ſapiens æſtimator Romanis iſtis facilè anteponat, quibus ſua inhumana laus, ſui triumphi, tantâ clade humanitatis conſtiterunt, noſtrorum decus cum hominum ſalute coniunctum ſit, & verè ἀδακρυτὶ triumphare poſſent, non illâ Græcorum ſine lacrymis victoriâ, cum ab altera parte tam multi cecidiſſent, & plures deflerent.

Noſtrorum autem maximi qui Stibij virulentiam violentiamq; maximè deteſtãtur. Paucos è veteribus nominabo, quaſi ſi vobis clariſſimos Septentriones, aut cæleſte veluti vexillum id Pleiadas, aut clarum Orionis enſem cælum intuens, intento digito præmonſtrem, quorum vtpote benigniorum ſiderum luce doctrinæ colluſtrari malim, quàm fulgore imbecillam iſtam aciem præſtingui. Nam vel cælum aſpexiſtis numquam, aut nomine profecto vobis ignoti non ſunt, Ruellij, Akakiæ, Goupyli, Guinterij, Syluij, Fernelij, Hollerij, Dureti, Gorræi, Pietræi, Riolani. Ad quæ ſidera ſi caligas, ſi offunderis, ſi cæcutis, & vt Lunam cum puriſſima micat orbe pleno, ceu Lupos & Canes aiunt, allatras, ad tantum ſplendorem exululas, & caninæ id ſit imbecillitatis & inuidentiæ, lupinæ autem malignitatis, at nihilo ipſa minus prę niтет, pręfulgetque, nec candidiſſimi luminis detrimentum ſentit. Tui me interea miſeret, qui infirmo & Lunæ obnoxio oblæſoque cerebello ſpeciem illam pulcherrimam, lucemque animanti & vitali naturæ omni, adeòque vel inanimæ ipſi amiciſſimam, ferre, ſpectare ſine noxa & vlulatu, ea eſt naturæ infelicitas, non poſſis. At pergit hæc Magiſtra inquam, & Regina Scholarum, Medicina Pariſienſis, ſtata lege, curſuque indeflexo, nec vllis vmquam decrementis ſeneſcit, quæ Solem ſuum, æternam ſapientiam, Hippocrateæ ac Galenicæ mentis, vt & bonarum mentium omnium illuminatricem ſemper aduerſa ſpectet, ei litet pura, pia, ſolenni prece, Maiorum lege ſe, mo-

re,

re,ac disciplina contineat:ad sua sacra nisi multiplici, graui, seuero, ac religioso examine tentatum probatumque admittat neminem: ambitioni, gratiæ, potentiæ nihil relinquat loci: decus ac decorum, quæ videlicet ex interiore illo fonte recti ac honesti bona mente, promanant, etiam in exteriore habitu, veste ornatuque contineat. Nam & hanc quoque, vt Medicam εὐσχημοσύνην cunctam, ad suam curam ita pertinere magister duxit Hippocrates, vt eam præscripserit: omnem autem ἀσχημοσύνην singularis censor grauissimis verbis castigarit. Atque vt Spartam illam vetus historia memorat, quamdiu Lycurgi legibus se tenuerit, tamdiu viguisse, vicisse, Principem Græciæ floruisse: sic hâc constantiâ disciplinæ morisque Maiorum Schola hæc (tantùm boni perpetuum esse iube Parens & autor Deus) Schola inquá Parisiensis antiquissimæ laudi suæ, tot sęculorum gloriæ succrescit succeditque, victrix temporum, victrix corruptelarum euersi sæculi, nouis semper auctibus recens, cui, vt Spartæ illi pro muro ciuium virtus, sic veteris normæ obseruantia sit. Inde illa in Philosophematis seu publicis actibus celebritas, hinc disputandi acumen, & solertia respondendi, hinc acris & incitata iuuenum industria, quæ ne ætate quidem, ex necessitate nimirum officij, ac perpetuitate obeundi muneris, relanguescit. Et cum Senatorem vltra LX. annum, militem præter emerita stipendia, Lex non cogat: ne senibus quidem, vt neque Romanis in Gallico tumultu, vacatio est: æquant cum vitæ spatio curri-

culum induſtriæ, & illa fit aquilæ (vt prouerbium eſt) ſenecta. Canitiem, aiunt, galea premimus. Quod vt in illis vigorem ingenij perſeruat, ſic in iuuenibus incitat acuitque; Hinc doctrinæ melioris illa perennitas, hinc iudicij maturitas, hinc prænoſcendi, præſagiendi, prædiſcendi Lyncea quædam perſpicacitas: ùt ex vberi ſolo ver amœnum, diues æſtas, & felix autumnus exuberat. Vnde mirum nemini ſit, reiectitiis & repulſis ab ea, ſi dolet intimè: nam præterquam quod væ victis, & victi triſtes: ab eiuſmodi cenſura ſe notatos, expunctos, eiectos ſentiunt, cuius cum perſpecta integritas, tum ex magnitudine ſcientiæ autoritas, non præiudicium modò, ſed iudicium ſit indignitatis ipſorum & vitij eiuſmodi, quod à ſacris olim arcebat excluſos: iidem vt deinceps habeantur deteriores, qui repulſi: niſi quem fortaſſis ignominia ſua ita exacuerit, vt ſecundis melioribus, & quaſi ſuccidaneâ victimâ litet, qui minùs purè caſtéque ad tantam Medicorum ſacrorum Religionem adierat. Vt ſtomachari, angi, ringique deſinatis, ſi, quæ humani ingenij natura eſt, maiora ſemper ac meliora vt appetat, (*& tendit in ardua virtus*) egregij quique veſtris in Nemæis, Pentathlo, Quinquertioue victores, ad hæc Olympia nomen athletæ noui profiteantur, & partam apud vos Doctoris lauream, Scholæ Pariſienſis, vt Romani olim triumphatores Iouis ſui Capitolini, pedibus ſubiiciant, recudendos ei ſe, ac refingendos Lytas Magiſtroſque ſummittant: ſupremum quippe iſtic gradum, infimo Primi huius inferiorem

recte putant, eóque se demittunt, ad supremum, legitimi certaminis gradibus prouehendi. Quod nunc iam, cum maxime hæc, inter molestissimi rheumatis incommodum dictare me adigis, eximia cum laude præstat, Clarissimi Regiique Medici, illustri ingenio, summa elegantia doctrinæ, morum suauitate, vitæ dignitate Viri, tanto dignus Patre filius. Nec Scholæ vestræ decus minuit, dum huius, maius videlicet ampliusque agnoscit. Nec vllam sibi, aut Ordini pristino suo iniuriam facit; qui de plebei partibus eques, ex equite Senator à Censoribus conscribi legique studet. Quò enim vocat honos, eò se studia incitant. Ευφυὴς nemo non idem velit, qui modò possit. Istic consistit, quem huc ascendere, vel fortunæ, vel ingenij culpa vetuit: vt aiunt in Græcis artificibus, aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint. Nec sanum quenquam & animosum deterret ille à vertice ad imum descensus ac regradatio; nec à peractis stipẽdiis pro euocatione tyrocinium, aut ab isto velut in Albano monte simulacro triumphi, reditio ad Medicũ Senatum, & veri ac iusti triumphi ex iusto bello postulatio. Quis enim non *maioribus ire per altum Auspiciis, si qua via sit* præoptet, accenseri melioribus, & eius ad quam aspirauerit laudis culmen contingere? Ita se Scholæ huic arrogandum cooptandumue dare Iacobus ille Syluius, tanta vir celebritate famæ, tanta docendi facultate, dicendique copia, tam egregius inter Regios Professor, gloriæ sibi duxit: Cardanus ambiit, perpauci adepti sunt, nisi qui per legitimæ mili-

tiæ annos meritam & honorificam demum miſſionem impetrarunt. Ferre ſolem non poteſt, qui non ab vmbra illa & puluere in meram hanc veramque lucem prodire geſtiat, non ad huius Ordinis dignitatem omni ſtudio, omni & animi & induſtriæ niſu contendat. Et maxima quęque ingenia allicit inuitatque, non is modò qui hunc Ordinem circumfulget honeſtatis ſplendor & dignitas, ſed & ipſa quæ degeneres abſterret difficultas. *Non iuuat è facili lecta corona iugo.* Doctis, delectis, eximiis allegi, adſcribi, annumerari ſtudent. Eò & ſuas ipſi laudatas artes conferunt, & in publicæ laudis communionem veniunt. *Ad ſacra vatum carmen afferunt ſuum.* Sic planè vt ad lautum & dapſile conuiuium ſymbolam quiſque confert, ad triumphales eas epulas, nemo niſi albatus ornatuſque accumbit. Quæ porro illa pignora, quæue ſymbolæ? multiiuga eruditio, mores emendati, exiſtimatio integra & à labe immunis, vtriuſque linguæ, vtriuſque ſermonis non vulgaris notitia, Hippocratis in primis & Galeni aſſiduus & familiaris vſus, ac memoriter memor intelligentia: meliorum artium ſcientia, præclariſſimæ quæque animi dotes: Mathematica ex Platonis ac Galeni præſcripto, ſubtilitas: Philoſophiæ vniuerſa cognitio, Medicorum Theorematum præceptorumque exquiſita & ad vnguem exacta perceptio. Aphoriſmorum, ſententiarum, decretorumque quibus Ars continetur, perfecta complexio. Quibus ſe ornamentis omnibus, qui non diu, totumque excoluerit, fruſtrà huius aditum Muſei exambiat

biat. Centum possim & amplius, qui prisci & maiorum gentium senatus modus fuit, Doctores nominatim & honoris causâ omnes appellare, quorum nemo est, qui non grauissimæ alicui ciuitati, & præsidio & ornamento esse possit. Cum consessus hic, non quidem Regum, & si medentes, μέδοντες sunt, vt de populi Romani publico consilio Thessalus prædicabat Cineas, sed totidem Senatorum faciem gerat. Quibus de singulis tacere, vt ille de Carthagine, quàm pauca loqui præstat. Et Scholæ, hoc est honoratæ Parentis, ac Patriæ melioris gloriâ contenti, suam ipsi, vt maior Africanus patri contradere, quam coniunctissimam vim laudum in partes deducere ac distrahere malunt. Nec hodieque deficit eorum virorum, si minus copia, at delectus certè, vt in castris principia sunt, qui post honestissimam complurium annorum, perficiendis perdocendisque melioribus disciplinis impensam operam, emeritum robur, & triariorum firmitatem, ad huius militiæ tyrocinium pertulerunt. Quod institutum, maioribus nostris ita statum ac solemne fuit, nulli vt ad superiorem, quam vocant, facultatem aspirare fas esset, qui non ingenuarum Artium, totiusque adeo Philosophiæ Orbem docẽdo percucurrisset. Quod dum ita diligenter Sorbonicorum PP. religio conseruat, & veteris obseruantiæ nos, & maiorum moris admonet. Qui vtinam retrahatur potius quàm è manibus excidat, neue hac veluti parte Spartanum regnum, quod oraculo vetabatur, claudicet. Sed & illum imprimis non ab vlti-

ma tantum & Hippocratea medicinæ origine, verum & à vetere Parisiensis Scholæ norma atque lege probatissimum morem postliminio reuersum velim, vnumquemque vt Magistrum Doctoremue Medicum, Duo certe discipuli assectentur, ab ejus latere vix discedant, hunc deducant, hunc prosequantur, huius omnibus inspectionibus intersint, ægri & morbi bona malaue prætentent omnia, prejudicentque, ipsius mox judicio approbandi corrigendiue: vtque sic dixerim mederi in medendo discant, vnde parens ille sapientiæ vsus, vnde constantia judicij, & magnę Artis firma scientia, iuuenibus statim, non lente per pericula, & ancipitia experimenta contingat, in media medicina, medicinæ studentibus, & facientibus eam, non meditantibus. Hinc enim illa Studij Parisiensis Vniuersi, hinc singularum Facultatum decora effulserunt. Quæ vel illustriora in dies, cum rediuiua illa, seuera sanctaque maiorum disciplina reuiuiscent.

Et hoc tantæ dignitatis, doctrinæ, sapientiæ Collegium, inuentus tamen est omnium dedecorum probro coopertus, omnium criminum conscientiâ constrictus, qui non modo eiurare, à quo se damnatum sciat, sed indignissimis contumeliis violare auderet, sua, in Scholam Medicorum Parisiensem, quod summæ honorificentiæ nomen est, improbitatis, fatuitatis, furiosus ac demens, infanda abomina congereret. Prorsus vt si quis ex spurcissima fæce Pelobotus, sacram pompam deducentes, ac thensas, & fer-

cula prosequentes, de suo in quo volutatur cœno conspergat: quem suo illo in vnguento mergendum protinus & suffocandum omnes clament: nemo tamen eò se demittat, lutum vt luto respergat, nemo se inquinet lutuletue, vt cœno regerat cœnum, aut in putorem luti lutum refundat, cum horrore ac nausea omnes aufugiant, subtrahantque nares, oculos, se totos, illi spurcitiæ, quam teterrimus carnifex non commoueat modò ad prætereuntium molestiam, sed ad iniuriam & contumeliam, effundat egerat: quô fœdior, tetrior, inquinatiorque ipse, eo tutior ac securior, qui sciat sanum & honestum neminem, in lutum luto decernere. Sic Camarinam, sic Mephitim qui norunt, exhorrescunt, nec adeunt: qui è longinquo sentiunt, refugiunt, imò ac detestantur. *Talis se se halitus atris faucibus effundens- spurco nares contingit odore:* sæuamque exhalat opaca Mephitim, illa tenebricosæ & atrâ bile percitæ vecordiæ, illa somniandi ac delirandi obscuritas, quæ non modo fumos exhalat inertes, sed & atram prorumpit ad æthera nubem, Turbine fumantem piceo. Quæ de nocturna lymphatione tua, de tuis, non vt Carmentis illius, sed vt carentis mente Cronoleri aberrationibus, Poëtæ verbis, haud rudes nec indocti adolescentes inter condiscipulos, vt deinde narrabitur, recinebant. Antrum est Caci, aiebant, stabat acuta silex, ea erat & styli & ingenij vestri durities, præcisis vndique saxis. Quid enim nisi lapides loqueris? Speluncæ dorso insurgens, ea est saxea tua, ve-

lut informium ſaxorum congeries. Dirarum nidis domus opportuna volucrum: ſtriges, noctuas, bubones, vlulas, barbariſmorum, ſoloeciſmorum, abſurditatum, ſtultitiarum, ſtoliditatis omnis, ac veſaniæ portenta interpretabantur. Ergo inſperata deprenſum in luce repente, Incluſumque cauo ſaxo Cacum te Κάκιςον vocabant, atque inſueta rudentem: non quô aliud quàm rudas, aut latres, aut vlules, ſed quod ſolito immaniùs. Deſuper Alcides telis premit, Hercules Alexicacos portentorum domitor, cui tu nouus labor acceſſiſſes? Ille autem, tu anonyme lucifuga, inquiebant, neque enim fuga iam ſuper vlla pericli eſt, in Herculem incidiſti. *Faucibus ingentem fumum*, ij ſunt ſpurciſſimi ganei tui teterrimi vapores, halitus, fœtores, Euomit, vt tu vinolentiam virulentiamque Cotyttiorum tuorum: *inuoluitque domum caligine cæcâ*, quę tenebricoſiſſimi non ſcripti ſed ſomnij tui picea nox eſt, vt te nec videas ipſe, quis enim demens intelligit? nec te videre quiſquam poſſit. *Proſpectum eripiens oculis, glomeratque ſub antro, Fumiferam noctem, commiſtis igne tenebris*, ignem vocabant inflammatum furorem maledictorum tuorum: tenebras, ἀσυντάκτου barbaræ incontextæ loquacitatis amentiam. *Non tulit Alcides animis*, fortis & monſtrorum hoſtis expurgatorque aliquis, *ſe ſeque per ignem*, per ardorem violentæ phrenitis tuæ, vt fortes interdum medici ſolent, aut robuſtos adhibent qui furiatum efferatumque comprimant, *quà plurimus vndam, fumus agit, nebulâque ingens ſpecus æſtuat atrâ*

quod

quod nullus, ſcio faceret Hercules, ſi tam atra Caci quàm tua, tam tetra, tam dira eſſet: arceret enim tetritas, quem flamma non prohiberet. Nam & Bonaſi proluuie aiunt, & aliarum nouo in orbe beſtiarum, feritate graueolentiæ, non retardari tantùm venatores: ſed qui acriùs propiuſque inſecuti ſint, exanimari; Ita tui te, vt harpyiarum foetores tuentur dum fugant, dum contactu omnia foedant immundo. Cæteras adoleſcentulorum argutias perſequi non vacat, quibus ſuus tamen debetur locus, vt verborum fœtores cæteris procul indicent proclamentque vt vitent, emendaturi, ſi aliud omnia quàm menda & Chironia vlcera ſint. *Namque vnum in toto corpore vulnus erat*, ait ille: Hi autem feſtiuâ parωdiâ, *Vna erat in toto corpore barbaries*. Quos illi tibi & aptos & aptè poſitos verſus omnes, pro tuis aptiſſimis per ſe illis quidem, (Lucretianam inuerecundiam, quam tuam impudentiam feciſti, & infamem quam in nos temulentus, furioſus, inhalas, vernaculam popinam excipiunt,) ſed ineptiſſime inſultis, ſed per vltimum auſum inſcitiæ tractis, eó quo nolunt vnde refugiunt, abhorrentque remetiuntur; Sed habent illi à te vnde te largius munerentur, erit hæc interim velut promulſis in anteceſſum, aut id quod mauis, fuſtis libatio, & ſi eum tu, aut ille te non leuiter libauit, ſuſurrabant dicaculi, qui debilis cerebelli tui tunicas inde illa mentis perturbatio furorque, peruaſerit. At quàm exerte ridebant cùm miurum fuſtem, miurus ipſe obtrituſque toties appellas: qui

ſimiurus factus eſt cædendo tundendo te, ſupplebitur non difficile, ac robuſtior ad manum veniet, qui te, ſic illi comminabantur, exartuet exoſſetque. Ego vero illis mitior, non te feriam, ſed inter clauſtra tenebo, tametſi video indignari, fremere, inclamare omnes qui perfuſum à te honeſtiſſimum chorum cœtumque non ferunt. Quid ceſſatur? quin impurus et tractitius iſte, vt eius exemplar Heliogabalus in cloacam actutùm per ſuum cœnum raptatur, demergitur? Quibus te exemplis nemo eſt non tui ſimilis, quin te adiudicet. Ego vero quid tibi imprecer niſi breuem aliquam vſuram ſanitatis, vt, ſi vel punctum temporis ad te redieris, intelligas, quàm te merito ipſa honeſtas, ipſa verecundia, ipſa humanitas, abominetur, expuat, execretur: vt nihil aliud quam ſpurcitia & nautea ſis, vt in cœnũ te penitus immerſeris, cœnum factus ſis, qui in tantam honeſtatem lectiſſimi ordinis reſilieris, in te videlicet, vt furioſi plerique, quàm in quenquam, quàm in ipſum me, cuius odio in ſentinam abiiſti, ſęuior, efferatior, immanior, cum te ſic omni ex parte fœdaris, effero dente laceraris, dum à tua labe proſiliret in eos, quod ſtatim eluerunt, dum in celeberrimum Riolanum, in Merletum ſapientiſſimum, in œſtrum, ſtimulum & terrorem veſtrum Patinum, morſum intentas, quem eluſerunt, illidis infringiſque, quem ſuis armis tecti derident illi, tu deſperatiſſima rabie ac furore amens in te vertis infeliciſſime. Quid enim tibi miſelle, aut meo aut Primarię Scholæ nomine

grauius irascar, qui sic in te sæuias furiatusque sis, vt tui nos ea capiat misericordia quæ olim æquissimum Principem, quę in oculis nostris Regum maximum, & hominum clementissimum, qui cum à furioso propius periculum, quàm metum venisset, curādum eum persanandumque commendauit. Quo vtinam in te fungi officio queam. Nihil ita me salus sospitet, faciam libentius, sed non est vt à puero tandem senescere, sic vbi repueraris, à vitio, & morbo ætatis, ab inualetudine motæ mentis, resanescere non magis, vt rem videmus, & Æsonis fabulam, fabulam pueri vocant, quàm à senio, cuiusquam Medeæ artibus repubescere. Ita neque te nostra miseratio, minus miserum facit, nec tua nos vesania, fœditas, & amentia turpiores, itaque nec tibi vt aduersario (absentem lædit cum ebrio qui litigat, quid qui cum furioso insuper ac mente capto?) sed qui ab omni spe derelictus sis, relicto tibi te, iniquis & maleuolis si qui sunt, respondebo. Quis enim sui compos tua croni deliramenta, tua phrenitici somnia & cachinnos: nam & risum miserum illum, phrenitis facit, tua furentis probra, conuicia, maledicta, vel ad rem, vel ad hominem quenquam, ne dum ad me in quem cadere non possunt, pertinere putet? Etenimuerò si quid in te sani esset, quæ de te, de Auunculo tuo nimium verè dicta erant, si refellere, diffiteri, pernegare non posses, id quod profecto & tu, & meretriciæ frontis ac linguæ conuiciator meritorius tuus; frustra audeatis, at colorem aliquem vt deprehensæ

miseræ perditæque, vt fures ἐπαύλοφώρῳ oppressi, quæreres, quo res non illustrium summorumque hominum modo, sed & publica superstitis aulæ, tot denique viuorum & spirantium ciuium conscientia tenentur; lenire contenderes. Nec enim exoleuit, sed penitus infixum est animis, quis tu auunculo tuo quadrupes, quis illustrissimus ille non heros sed Hero aridus, non Archiatros, sed Aniatros, quoad vixit, fuerit, compertusque sit, Hero inquam Regi aridus cum ex pumice aquam facilius quam ex illo præsens remedium eliceret. Ea omnia quæ de vobis tam certa, tam conuicta, contestataque narrare me sæculo, iterata calumniarum importunitate coegisti, fateris videlicet dum taces, dum præteris, & dissimulas, agnoscis palàm; Quid enim est quod vel verbo infitiari, vt verbo criminaris, aut mutire possis? Quod si audeas, en paratam aciem testimoniorum quæ te quæ amentiæ tuæ populares conficiat, obruatque, Maneant igitur quę ne moueri, quæ nedum reuelli refelliue possunt, quęcumque de vobis prior nostra defensio perpetuę historiæ filo per texuit.

At emortui pudoris, ac prostitutæ impudentiæ, aut potius incredibilis cuiusdam furoris ac dementiæ sunt ista, quæ per vltimam desperationem & rabiem vt collectum ex diuturna intemperie putorem ac pus erupisti. Vinolentum esse me? Quod ideo quia turpe est, quia tuum est, quia falsum ementitumque est, conuiciaris, & familiari mentis perturbatione, temulentus, bacchans, furens, ea tela iacis, quæ attingere

me

me ~~vel~~ ne leuissime quidem possint. Anni sunt xx. & ampliùs cum foris nec prandeo, nec cœno, ter id si factum, quotidie factum est, & qui hoc me honore honestant viri, vt genere, fortuna, dignitate spectabiles, ita summâ quam tu ignoras, moderatione ac temperantia, domi meæ libenter vt sint, vident illi & sciunt, vino tantum me ὅσον χρῶσαι, vnde aqua tantillum coloretur, & saporis perparum ducat & coloris, vtj. Quod ὅσον χρῶσαι admonebit cõiuratos stibianiatros, non de stibio vt vetus error fuit, sed de sinapi Dioscoridem posuisse voculas illas, exiguam portiunculam Græco prouerbio significantes, quod vocis, nobis, reiecto repulsoque stibio, meliorum codicum fides representat; sed & μονόσιτον esse me, non quia solus, quod Comicum dicterium est, sed quia semel, quod Galeni verbum est, vesci soleam, norunt familiares; Ter ille non amplius super cœnam bibebat Octauianus, & cum se largissime inuitabat, senos sextantes non excedebat; Mihi intra ternos, qui semis est sextarius, potus est; id non est sitim quærere, aut vini abusum vitæ præmium putare, hinc non est aut labasse sermone, aut quod minus deceat fecisse dixisseue. Nam & eruditis nec austeris, nec quenquam, si emanent lęsuris fabulis & quę, vt apud Atticum pro Anagnoste sint epulę condiuntur, hinc, vt ait grauissimus scriptor, apparet quantum quisque biberit. Nec in eo dissimile quid à me ac lectissimis conuiuis fit, qui plerique parcius etiam, & affuso leuiter vini veluti colore bibunt. Munditia magis quam *Tertull.*

luxus eſt, nihil quod nares corruget, purum & ſine labe ſalillum, omnia fateor (quippe lautis imprimis ac ſplendidis) elegantiæ quàm ſordibus propiora. Quæ te, opinor, hircum vnctum nautea, & infimas ſordes tuas ac immunditiem, item vt amaracinum ſuem offendit. Et, quod miſerorum eſt, vt maleuoli ſint atque inuideant bonis, eſurie miſer, ac effertus fame, gulam mihi, quę te male torquet obiicis, in quo liuorem amariſſimum vt in cæteris amentem impudentiam tuam ipſe coarguis, dum è ſpurciſſimo barathro deuomis ea, quæ nihil niſi crapula & heωlocraſia ſunt, quę cum omnibus quibus notus ſum, auerſer & abhorream. Foras, canem canem te de triuio, de eſquiliis qui adſunt clamant, & fuſtem, fuſtem expedire famulos actutum iubent. Et ne mihi cum tetra & putida carne, cum ſpurciſſima animante ſermo ſit, ſanos & ſapientes quibus aut vſu vitæ, aut arte jampridem innotui, ſummos, medios alloquor, ſed diſertiſſimi quot fuerunt, quot erunt, verbis longe commodius quam eloquentis cuiuſquam, nedum meis. Atque ſcitote, iudices, eas cupiditates quæ obiiciuntur Guillemeo, atque hæc ſtudia quibus à puero deditus eſt, non facile in eodem homine eſſe poſſe. Fieri enim non poteſt, vt animus libidini deditus, vino, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimia copia impeditus, hoc quidquid eſt quod nos facimus in medendo, non modo agendo, verumetiam cogitando poſſit ſuſtinere; An vos aliam cauſam eſſe vllam putatis, cur in tanta laude, tanta gratia,

tanto honore, tam ſint pauci, ſemperque fuerint, qui tãtæ, tam diuinæ Artis peritiâ præcellant. Obterendæ ſunt omnes voluptates, relinquenda otia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, ſermo eſt pæne familiarium deſerendus. An Guillemeus ſi ſe iſti vitæ dediſſet, Regi, adoleſcens & aulicæ perſpicacitati, artem & induſtriam ſuam ſic approbaſſet? Guillemeus ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, illa in acie aulicæ dimicationis, aduerſus æmulos, tot annos honeſtiſſime verſaretur, pararet amicitias, bona ſe exiſtimatione quæ omni pretio antiquior illi ſemper fuit, ornaret. Regis ſui, Regis hominum ſuorumque perſpectoris acerrimi, & ſummi Comitatus, aulæ procerum dico, gratia & ſecundiſſimis iudiciis, tam proſperé, tam inoffenſe floruiſſet, Et Rex minime ille voluptuarius, & oſor licentiæ vehemens ac perpetuus, foueret, non eijceret, amplecteretur, non expelleret, probaret, non aſpernaretur, quem, non dico, cœno illi tuo immerſum, ſed quem illi vitiorum contagio affinem ſuſpicaretur, vt ne tot quorum fama laboraret, extruſos abiectoſque commemorem. Approbe moratum & emendatum eſſe oportebat, qui ej placere poſſet: & qui vinolentum halitum vt nec auunculi tui animam ferre ~~non~~ poſſet, odorem afflatumque vitæ ſolutioris ac nequitiæ ferebat, multo minùs. At numquam iis ornamentis, iis præmiis, & ea nominis honorificentia amplificaret eum, quem tu per tuam illam colluuiem immundiſſimi luti raptare conaris, & tuus qui mihi efflictim &

perdite inuidebat, qui me tam male oderat, quàm ſincere pieque amare debebat, Auunculus: & is quem mea apud Regem Dominum fides & gratia tranquillo eſſe animo non ſinebat, R. per fiduciarios, ne dicam emiſſarios illos ſuos, non me Regis mei animo eius intemperantiæ callidé vafréque ementitâ famâ, eliceret, extraheretur. At nullus tentauit, quia nulla ſimilitudine veri mentiretur, quia fronti ſuæ inuiſam litteram K. calumniaris, inureret, quia ſe inuidiæ ac maleficij palam conuinceret. Regiam Nemeſin quâ multi eo in auſu conflagrarunt, in ſuum caput merito deuocaret, Sciebat enim eos eſſe mihi modeſtæ ac legitimę vitę teſtes, qui per calumniam offici nomini meo numquam paterentur; & à ſpurcitie ac purulentia eiuſmodi qualis tua eſt, qualis tu es, non Regum modo, ſed ſanorum & honeſtorum omnium aures oculiq; longiſſimé abſunt; Atque vt ſemel gloriemur, cum ſępius neceſſe ſit. *Me, primis Vrbis belli placuiſſe domique, cum magnis vixiſſe, inuita fatebitur vſque inuidia, & fragili cupiens illidere dentem, Offendet ſolido,* & vt Horatio noſtro inhęream, *Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt*, abunde multi Primi, non vnus aut alter vixerunt, viuunt, quos iiſdem quibus ille Mæcenatem verbis affari meo iure poſſim, ſecundum optimum, & in me benigniſſime ſemper animatum Dominum Regem meum, *Summum hoc ego duco, Quod placui tibi qui turpi ſecernis honeſtum, Præclaro natum Patre, vita & pectore puro. Si neque auaritiam, neque ſordes, aut mala luſtra, Obiiciet vere quiſ-*

quam mihi, purus & insons, Vt me collaudem, si viuo, & charus amicis, Causa fuit pater his. Ipse mihi custos incorruptissimus. Vir inquam & doctrina & virtute ornatissimus Iacobus Guillemeus, Regum Chirurgi F: Regum Chirurgi nepos, quem virum cum boni & docti omnes, quem medicina omnis, honoris causa meritissimò nominant, tu postremus mastigia, tu insanus cronos onos contemptim imò contumeliosè appellare ausus es. At qualem & quantum opificem? qui Græcis Latinisque literis, Ramo & insignibus quibusque ducibus, qui philosophiæ cognitione non leuiter imbutus, sed penitissime tinctus, ad Hippocratis & Galeni artes venit Medicorum filius, quò paterna ipsum & auita laus vocabat. Nemo enim putet manum tantum & nudum quoddam artificium ad illam Iatricæ, eamque antiquissimam partem Regios maximè Chirurgos attulisse, sed cum seueriori lege temporibus illis viueretur, essetque sæculum vt castigatius disciplina, ita studiorum liberalitate politius, interioribus literis excultum esse oportebat, qui eum locum atque munus tueri cum dignitate posset. Igitur à meliorum artium studiis, dederat se in cōtubernium Ambrosio illi Paræo, cui morum commoditate ac dexteritate ingenij sic placuit, vt ei pro filio esset, cui artis mysteria, sic vt heredi futuro aperiret. Quod pio gratoque animo prosecutus est eo in opere, quod ego supra duas editiones magnis auctibus, & altero pœne tanto auctius seruo, vsque eo dum

exſculptæ figuræ ſint, quæ præceptorum rationem oculis ſubiiciant. Is decedens, vt ingentem nobis luctum, matri autē mœrorem inſolabilem, ita ſingularis fidei, eximiæ peritiæ, fidelis ac felicis operæ publicum, quo domeſticum leuaretur, deſiderium reliquit: rem autem, Deo gratia, & lautam & recte in primis ſancteque partam, quam & mulier fortis mater augendo ſeruauit, nos, vitio culpaue minorem nec fecimus, nec facturi ſumus. Et vt matri etiam ſua laus, ſua commendatio tanquam à filio pia & neceſſaria, tanquam ab externo & alieno ſincera, certa, veraque conſtet: peruixit vniuira ad annum nonageſimum ſuum, matronalis boni & decori totius, ac vitæ melioris prænunciæ εὐθανασίας compos. Cujus ſanctimoniæ ac pietati non fucatæ, tum in egenos benignitati, maximè qui non ſponte, nec vitio miſeri eſſent, in temporariam etiam mercedem, diuino munere conceſſum eſt, poſteritate ſua vt viua frueretur à C. & xx. ortis ex ſe mater conſalutaretur: in queis omnibus haberet, vt parciſſime loquar, nihil quod accuſaret, cum viros ampliſſimis honoribus præditos, adoleſcentes optima cum ſpe, filias nepteſque ſplendidiſſime nuptas, puellas bonæ magnæque ſpei deſtinatas, ſui amantes, ſui metuentes, ac reuerentes omnes, non ſine pia gratulatione ac veneratione autoris Dei videret. Et tu eam, mea ſcilicet cauſa, viri ſui clienti auunculo tuo ſupplicaſſe dicis, quæ ne vitam quidem ſuam à ſceleſtiſſimis latronibus, illis in tenebris Reipublicæ

miseris precibus redimere sustinuisset, quæ nulli mortalium, rei mortalis causa, certo scio, supplex accideret, non se vt suos-ve fortunæ riuus inauraret; cuius virilem animum, non maligno quodam errore fortunæ, muliebri corpore inclusum, sed in ea tantum viri, mentis, animi, sensus & iudicij, prudentis cuiusque suffragio, fuisse dicam; vt cum ipsius stirps domusque tam late pateret, latius multo antiqui exempli, priscæ grauitatis & Christianæ, sanctimoniæ fama permanasset, vt optimæ cuique exemplar, sæculo, sexus censura esset. Quæ non metuo ne libentius quam verius commemorasse videar; & paternæ maternæque laudis particulam delibasse, cuius ad nos, Dei virtute non degeneres, hereditas pertineat.

Nunc à meis ad me: non enim ad te, in quo non modo nihil hominis, sed ne sanæ quidem pecudis est, quando vtrumque est necesse, venio. Lenonem, (abominor te, referens ac detestor) furenter, efferatè, rabiosè, vociferaris; Nec mirum, qui mentis tuæ non sis, si quid in te mentis vnquam fuit, qui de laqueo deque saxo tamdiu cogites, vnde falsum testem ipse te præcipitem des; qui constringare, retrahare, reducare à præcipiti exitio, quò te omnes intus receptæ furiæ agunt, raptantque amentem & cæcum. Nam qui te matris, vxoris, sororis, filiæ lenonem, nescio quàm verè, quam falsò, sed esto, falso dixerit, veri tamen similius, vt existimant qui me norunt de te dixerit, quàm tu in me furiosé

mentitus es, cuius domi non magis, nisi proximæ necessitudinis mulier visitur, quàm cis Alpheum per Olympia. Quid, si quis furorem tuum non insectans, sed miserans, hæc quibus vilissimi scruti non enim scripti tui: vesania fidem addit, conferciat? Ex quo videlicet Fustis ille capiti tuo, post scelestas calumnias & contumelias tuas impactus fuerit, ita tibi mentem de sua sede ac statu demotam esse præcipite amentia, sic de potestate, de consilio, de ratione exiisse, vt interdum foribus, sæpe parietibus incurses, vagere turbulentus ac væ-pallidus, consistas nusquam, & imaginosa intemperie sic teneare totus, vt quibus angor, mœror, & morbus es, agnati gentilesque, risum inter lachrymas tenere non possint: cum tibi interdum cœnum & pus esse videaris, ac præmetuas ne mantilia linteaue cætera impures ac collutules, Alias, matellionem esse te ac iubere in te mictum vt omnes veniant, persæpe coprona siue secessum ac stercilinium factum: quo velis domesticas sordes omnes conuerri ac confluere. Quin & aliquando in publicas siue Patroclianas sellas mutatum, blandè inuitare prætereuntes, vt in te tuumque caput, non aliò commeare dignentur ad requisita naturæ scilicet: Nec minus congrua imagine, effractam tibi fuste fuste illo caluam, & assulatim comminutam, cerebrum dissiluisse, nullas eius tibi reliquias, ac ne capituli quidem ad imam ceruiculam superesse. Quæ miserantis animo, non exprobrantis, loquor, monstrosiora non sunt, quam

quæ

quæ maſtropia tota & productione tua in me es obſcœniſſime Cotyttus Sacerdos ementitus; quæ tam nefarie impura ſunt, vt ne à pudente ac verecundo referri quidem poſſint: vt foricario illi & æſchrurgo ac arrheturgo tuo, præterquam quod ea monſtri natura eſt, mandaſſe inſuper videare, vt ſi qua eſſe poſſet tetrior etiam fœdiorque quam harpyiarum fœdiſſima illa ventris prolumes, in eam pure quouis ac putore corruptior exiret, in eam ſe totum verteret, oggereret mihi offunderetque peſtem ſuam eiuſmodi, cuius à mentione humana modeſtia abhorreret. Id quod vel tu, vel ille quiſquis eſt tui ſimillimus, fateor, effeciſtis. Nemo enim niſi ex eadem infamiæ fæce, non obfultis naribus, auerſis oculis refugit, vos & veſtra abhorrens, indignanſque tantum infandæ æſchrurgiæ licere. Nemo vero honeſtus eo minus mundum ornatumque me deputat, quem immundiſſima illa colluuies nulla parte attigerit, ſed in ſemetipſa redundarit. Nam ad illa minoris abollæ maledicta mendaciaque veſtra, pro me item, vt ad ſæuitiam & immanitatem iſtam, res ipſa, & mores mei, lux ipſa meridiana & omnium oculi reſpondent. Inuri me calamiſtro, quod factum numquam eſt: nec indecoro puluere ſordidus ſum, nec præfeſtinatam, vt multi, nec alteram mihi canitiem accerſo; nec quiſquam offucias ſemper exoſus eſt magis, vos vt non Muſæ literæque, non ipſa humanitas peius oderit, quam ego, ſimplex munditiis, fucum & fallax quicquid eſt, averſor, eſte procul

occinebam ſæpicule, etiam adoleſcens, eſte procul Iuuenes, vt femina comti, *Fine coli modico forma virilis amat.* In veſte, quæ ab huius noſtri ordinis inſtituto numquam diſſenſit, ſi mihi minus cum homine ſanctiſſimo vſurpare licet; paupertatem ſemper dilexi, numquam ſordes, at illud licet, ſimplicitatem amaui ſemper, ſordes numquam: galericulum ſeu comam aſcititiam appoſui numquam, nec capillo mentior, vt tu ore, lingua, manu pollutus mentiris: nec de iis futurus vmquam ſum; Quos pudet ætatis longæ, quos ſancta ſenectus Offendit: verticem ſericea tunica leuiter ſuffulta ea prætegit, in quo & M. Hippocratis ſapientiæ paremus, qui principem illam in homine partem, quæ arx ſit & domicilium rationis, pileo protegendam exemplo quoque ſuo docuit: natiuo & ſuo capillo cætera muniuntur ſatis, qui me non deſeruit, vt à tuo forſan recaluaſtri capite, nequam atque improbo jamdiu refugit, vt quoad poſſet, maleuolam malitiam tuam, ne quem falleret, omnibus denudaret. Si radimur, vetuſtiſſimo Chriſtiani delectus mori legique obſequimur, qua diſtrictè cauetur, vt comam ſibi demi, barbam radi qui nolint, inuiti detondeantur, deradantur. Sed quid ad te Chriſtianos ritus profanum allégo, qui nefario commento id operam dederis, vt te omnibus apertiſſimorum probris mendaciorum ac maledictorum contaminatum, ſole hoc, luce hac coargueres; cum elatrares, egutgitares ea quæ omnium oculi notitiaque falſi

damnarent, elinquandus vsque ab radicibus, aut confestim in commune id, quod à latendo vel lauando nominant, id quod te imaginare esse, imo es (sæpius iubent quod semel fieri volunt) demergendus. Tum de tuo in me largus scilicet ac effusus, spurcissimam mihi luem tuam vetera stipendia præmiaque affricare conaris, à Iuiuio Chirurgo, qui cũ mihi homine nullus vsquam vsus intercessit, curatum: quàm impudenter de morbo, tam falsò de Medico. Pimpinellam ego perspectæ fidei ac peritiæ & mihi amicum, & domi antea meæ assiduum chirurgum adhibui eo in incommodo valetudinis, cuius historiam Guillelmus Verus quasi obsignatis tabulis ac testimoniis consignauit. Nunc vero quando eam mihi necessitatem importunitas tua imponit, referatur paucis. Cum præter morem & modum, & plusquam pro virili parte, illa in Regis ad Villam regiam ægrotatione vigilando, excubando, sedulitate, assiduitate, diurnis nocturnis operis Regi me Domino impendissem, mensium duorum, excubiis vigiliisque ad somnum exui mihi non licuisset, cum laxamenti aliquid & necessariæ remissionis, vexatæ, fessæ, fractæ vires corpusculi desiderarent, vt nos alia ex aliis in fata vocamur, nec sponte licet componere curas, è vestigio vt Rex conualuit, planè quasi ad bella, vt Alexander, & catenatos labores reualuisset, dat se in Rupellanam expeditionem. Partes meæ fuere sequendi, obsequendi. Ibi mihi illo cœlo & aëre, qui statiuorum esse castrorum solet, pro quiete quâ tantillum reficerer,

ac reſpirarem, non geminatus modo, ſed multiplex labor incubuit, cum & Regi adeſſem ex religione officij, & is me à ſe, ad hos & illos ſibi caros, illuſtres ægros dimitteret. Ferreum eſſe oportebat, qui tot laboribus non frangeretur, qui tanto in contagio morborum, eâ loci & tempeſtatis intemperie perſtaret incolumis, febrem incidi non localem modo & temporariam, quales vulgo ſæuiebant, ſed ea malignitate quæ decubitu in meſenterium, abſceſſum pepererit. Qui ſe ita demum erupit, vt quam diu contractus fuerat, tam ſe diu lenteque exſoluerit. Annuum pœne id incommodum fuit. Tædebat & diuturnitatis & doloris quicum luctabar aſſiduè. Is me grauis, aſper, longinquus, ſic extenuauit, ſic afflixit, vt quia Dominico miniſterio carendum erat, amicorum quoque & familiarium aditu ac conſuetudine mihi vltro interdicerem: nulla vt pars vitæ non ingrata eſſet, quæ omnem ita ſuauitatem, & vitæ vitam excluderet. Hinc anſam arripuit illa hominis cuiuſdam non tam credulitas quam obtrectatio. Cuius ego hominis nomine abſtineo, quia eius cómiſſi veniam à me olim ſupplex deprecatus eſt, & ego me, vt Chriſtianum, vt hominem decet, exorari facile paſſus, ſartam animi læſuram refricare non amo. Ille clanculum primo ſparſit, tum in Regis aures inſuſurrare auſus eſt fictam à ſe, per eam & morbi & abſentiæ longinquitatem, citiùs quam creditam fabulam, quæ in eius ſtatim conuicta dedecus vertit. Ea lues eſt, quæ in te ſcilicet inueterauit, qua tu non famam meam, quæ illæſa perſtitit,

ſed

ſed te, miſer poſt tanto polluis: & vt palam conſtet, vt dubium nemini eſſe poſſit, tua tua eſſe, luſtra, ganea, proſtibula, vitia ventris & gutturis, probri, nequitiæ, obſcœnitatis, impuritatis, ac ſpurcitiæ omnis non nomina tantum, ſed & perpetuas, vt in cœno conuiciorum volutationes, ſic omnem illam purulentiam expreſſiſti, vt quæ de tuis illa fœdiſſimis vlceribus prorumperet, eius tu contagionem atque peſtem, vt inimicis, nefarij deſperatique quibus inguinaria fluit, allineres, affricares. Rumorem impudentiſſimum cuius tu annos ſex & xx. mortui veſpillo es, fouerat mea illa ex dolore corporis, & mœrore animi ſolitudo; irrupere inſignes viri, qui liberius obiurgarunt, quid ſic excluſis amicis, & morbum alerem, & inimicis latus aperirem? ab Aula qui tam abſit diu, ei maledicos numquam deeſſe; Regem quidem nihil crediditſſe, imò reſpuiſſe, ac falſi prædamnaſſe, verumtamen maleuolos, quæ ne ipſi quidem credant, exſuſurrare, diſſipare, vt noceant. Parui amicis & curioſis, hoc eſt minus beneuolis, patui familiaribus, tum memet mihi, & Regis Domini officio reddidi. Meminere qui me inter cæteros amicè inuiſerunt Illuſtriſſimus Dux Liancurius, Cubicularis tunc Nobilitatis Primicerius, & nobiliſſimus Sanguinus ordinarius tum comes, nunc Regis ordinarius Diœcetes. Ij, non vt oculis ſuis crederent, ſed vt oculati teſtes, figmentum impudens contunderent, venerunt, non exploratores, ſed fidejuſſores, viſa perſpectaque, Regi,

de me ſecus ne ſuſpicato quidem renunciarunt: extincta eſt calumnia, cuius tu, ætas iam eſt ſepulta, cadauer, buſtuatius canis, tam veſana eſt maledicentiæ fames, eruiſti. Ab eadem eſt famelici canis inuidia, quod elatras, extractum me conductitiis ædibus, éque Germani clauſtro, ob licentiam vitæ ſolutioris. Exquire, latrator maliloque, de vniuerſo illo collegio ſodalitioue, quæ migrandi mihi ex vetere domicilio cauſæ fuerint. Cæcos & ſurdos fuiſſe illos oportet, annos totos tres & xxx. qui nec viderint, nec audierint, quæ tam peruagata fuiſſe vis, quam peruulgatus iam eſt tuus iſte furor: ſi malus eſt, cur vteris? vt apud ſummum oratorem eſt: ſi bonus, cur accuſas? Meritò illi ſodalitio quiuis objiceret. Vos eum annos iii. & xxx. ſolidos non tuliſtis modo, ſed fouiſtis, amplexi eſtis, conuictu eius non raro vſi eſtis: nunc demum poſt Gallicum Druidarum ſeculum, tamdiu carum, probatum, ſpectatum vſque, numquam deſpectum, miſſum facitis. Abſentem, deſideratis reuocaturi ſi fieri poſſet, ſi non commodius multo idque in religioſæ familiæ ædibus habitaret: quod coniunctum veſtrum eſt cum viciniæ honeſtate atque ſplendore deſiderium; vt eos taceam, quorum nobis tacitam & tectam opem, inſpector idem & remunerator Dominus commendat. Vides vt venenata, quæ in nos cæcus furor tuus tela coniicit, ea vitæ meæ Vulcaniis armis repulſa in te, dum præceps & amens, inſtas vrgeſque, reſiliant.

Pari vecordia & perturbatione mentis, ex Aula di-

missum me ob illos quos de tuo mihi affinxisti mores, calumniatus es. In quo non sycophantam modo te, sed & ceritum lymphatumque traducis; fumos efflas videlicet Cacus, quibus meridianum solem offundas. Nam meridie si lucet, talpis autem & sponte cæcis, hoc est improba se ac misera cæcitate damnantibus mera dies nox est, liquet annos me totos v. & xx. inuito plerumque ac inuidente auunculo tuo I. Heroardo ita stetisse, vt malignis oculis veluti lemam is splendor obduceret, me vt circumflaret inuidia, non emoueret, quam assiduitate, sedulitate, ac omni religione officij vincerem; & quò se Regis in me Domini gratia magis intenderet, eò contentius eniterer, eam vt fidelibus studiis obsequioque retinerem, augerem, confirmarem. Verumtamen Dei munus est gratia in oculis Regis, maxime si innoxia ea, si bonis vsui sit, ex nemine autem crescat, & homines promereri magis studeat, quam ipsa prouehi. Et illa quidem, ad quam omnium vota aspirant gratia, ne fortuita videri possit, sed iudicium potius quam voluntas, gradibus etiam in me ornando amplificandoque processit. Patri successorem in Chirurgi sui officio libenter vidit, & maiori protinus spei destinauit. Chirurgum primarium, quę prima se occasio dedit, sponte suapte, ingemiscente intra inuidum sinum auunculo tuo, fecit. In Scholam Parisiensem nomen dare voluit, vt esset quem Magistrum nostrum Doctorem infulatum, vt gratiosè iucundéque, sic legitimè nominaret. Iis me, nem-

pe gradibus ad Primarij Medici ſui dignitatem attollebat. Vt placuiſſe Regiæ perſpicaciæ videatur Romanorum ille mos Principum, inque iis optimi Traiani, qui maiora Comitia tanto ante ordinabat, & quos facturus erat anno ſuo Conſules, in legitimum annum Prætores ab Ædilitate deſignabat, ſummum vt honorem, virtutis, induſtriæ annorumque gradibus caperent; cuius illis ſpes, eam ſi rectè factis ſecundaſſent, velut legitimis tabulis pacta deſponſaque eſſet; Quod Rex pari deinde benignitate ac iuſtitia præſtitit. Et diſſolutum, temulentum, profligatum ac perditum iſtum, ſagaciſſimus inſpector non peruideret, oſor vitiorum acerrimus ferret, ab oculis ſuis abeſſe numquam pateretur, nec in comitatu ſolum, ſed & conſpectu aſſiduum eſſe vellet. Neque verò id menſes aliquot; Annos v. & xx. totos magnum humani æui ſpatium: non ceſſante interim auunculi tui maleuolentia, cui honos meus, repulſæ, gratia verò mortis inſtar eſſet, cuius tranquillare animum non aliter poſſem, quam ſi Domini tam prolixæ, tam certæ in me voluntati obſiſterem, Aulâ, imò vita ipſa cedens, vt illius acerbiſſimum odium implerem, iniquiſſimæ inuidiæ ſatisfacerem. At Rex, qui ne tantiſper quidem abeſſe me, ne dum abire pateretur, odioſum ac moleſtum illum, cuique valetudinis ſuæ nullam partem crederet, exeſſe potiùs & morboniam abſcedere iuberet. Cum ei tam diù tam valde ſpectata eſſet ſtudij mei aſſiduitas, vt ſi me forte non viſum, nomina-

tim,

tim, illa inquam honorificentia nominis appellaret, M. quidem N. non video, adeſſe autem certò ſcio. Ita perſpecta fidelitate dediti deuotique animi acquieſcebat. Et in illa videlicet actuoſiſſima & exercitatiſſima Regis vita, cuiquam dare ſe ludo & voluptatibus, aſſiduo eiuſmodi, indulgere ſemet, ac molli otio fouere liceret; qui in eius Domini neceſſario officio verſaretur, cui ludus & oblectatio eſſet laborioſus, exercitus, ac perpes quidam actus; qui biduum numquam in vrbe conquierit, quin liberiore cœlo frui vellet, & vicina rura venatu ſcrutari, cui dies, nox, hyems, æſtas, ſol, puluis, labor, ventus, imber, nix, prtempeſtas eſſet! Et vt lynceos illos Regis oculos effugerem; an etiam inuidos, obtrectatores, maleuolos, qui loco illi gratiæ, non magis deeſſe poſſunt, quam igni vapor, aut fumus aliquis. Et, ſi minus me ab ea effrenatione inſitus pudor & Dei metus reuocabat, non metuerem fulmen, quod Aulicorum terrorem vel maximum eſſe aiunt? non ſaltem frigus, quo tam multi diriguerunt? ſic omnium æmulorum, vt interim maleuolos omittam, aures oculoſque præſtrinxiſſem, vt velut effaſcinati nihil viderent, niſi quod mihi commodum eſſet, nihil audirent? Sed ipſe nimirum ſentis nihil, nihil vides, nihil ſapis, qui tela imbellia ſine ictu, fruſtraque iacias, quæ ſtatim excepta, in te regerantur, tibique in corpore hæreant: quippe dum alterum licentioris vitæ arguis, petulantis linguæ tuæ intemperiem coarguis. Ab eodem eſt tuo cœno

Pelophore, quod imperitum me Chirurgum pipulo differs. Quam ego calumniam non ea exceptione ſummouebo, quam mihi leges iuraque ſubminiſtrant, abundè probatum eſſe quem iudicio ſuo Princeps probauerit: nec de eius eſſe fas dignitate dubitari, quem tanta ſuffragatio, commendatioque prouexerit. Decedam legitima defenſione, mea vt vnius, & propria nitar. Pro me namque cauſam dicent illi mei de Chirurgia commentarij, quos ego per illa videlicet quæ tu licentiæ inſimulas tempora, ex meiſmetipſius obſeruationibus & experimentis confeci, quos pietate adductus, vt paternis veſtigiis inſiſterem, eáque imprimerem altiùs, & iuuandi ſtudio non perfunctoriè conſcripſi, in librum Patris mei de Puerperio, deque Puerperarum, quæ conſectanea tractatio eſt, ac puerorum morbis. Tibi os ferreum occillabit Liber commentarius in Hippocratis aphoriſmos eos, qui ad antiquiſſimam & diu ſolam Medicinæ partem Chirurgiam attinent: inuerecundiam tuam retundet lucubratio mea de oſſibus & muſculis: cui labori, ſi quid Anatomicis lynceis creditur, Momus erit qui obtrectabit, & de ſua malignitate ac inſcientia confitebitur. Taceo quas habui publicas ſcholas, lectiones vocant; Non commemoro quas publicè adminiſtraui Anatomas, quarum celebritate ac frequentia, cum ad eas omnium Philiatrων, omnium ſtudioſorum concurſus fierent, illa ipſa etiamnum theatra perſonant. Quo publicæ famæ præconio tantopere ſum Regi

meo commendatus, vt perſpectum antea probatumque, ſponte Regij animi ac iudicij, Primarium ſibi Chirurgum eſſe, annos duo & xxx. vix egreſſum, iuſſerit: cum peritiâ ſuppleri ætatem crederet, & huius ſuffragium, Regia benignitate impleret. Ab eodem eſt ſucco lolliginis, quod Medicinæ ſcientiam meam detractas: quæ ſi olim in iuuene floruit, viguit, placuit, ætate certè ac perenni vſu ſtudioque imminuta non eſt. Quis autem pro iuuene me, illa in luce, illa in frequentia, qua maiorem, quâ illuſtriorem Scholæ celebritas illa non vidit, de vniuersâ Medicina reſpondebat; Cum vnus ſtarem omnia contra Tela Latinorum? Quis tùm mihi armiger adfuit, quis ſubſtes? Quis reſpondendi partes vicarius excepit? Quem mihi feſſo ſuffeci? Quem ſubſtitui? Quis mihi ſubadiuua optioue ſuccenturiatus eſt? Non ἀκονιτὶ mihi, non ἀμαχητὶ laurea illa, tametſi gratis, ſtetit: non Doctoris emeritum id nomen, neque purpura venale nec auro, citra pulueris tactum atque iactum, non inquam ἀμογητὶ partum eſt. Quod tu nummulatione dum redemptum mentitus es, feciſti quod deſperati damnatique Sycophantæ ſolent, vt dùm infamis litera fronti eorum inuritur, iudicum probrum, cum eius quem falſo crimine appetierunt inſectatione coniungunt: crimen ſe non probaſſe, eoque damnatos eſſe ſucclamant, non quia ipſi improbe impudenterque calumniati ſint, ſed quod ille iudicium redemerit. Sic autem habe. Non ſicubi gentium (vbi autem, ne id quidem

ignoras)venalis ſit, non doctrinæ, ſed Doctoris apex, illis in ſcholæ Pariſienſis olympiis, illos apud lectiſſimos, huius Græciæ, ſiue Iatricæ Amphictyonas promercalem ſtare non poſſe. Contenderit, depugnarit, vicerit oportet, qui magna iſta Olympia coronetur. Nam pecuniæ quis locus eſſe poſſit, qui ne gratiæ quidem poſſit? Quanta enim mercede centum & plures eo, graues integroſque corruperis, vt ſuum tibi dedecus, tantulo emti gratificentur; qui iudicent aduerſus animi ſui mentem, fidem ac religionem, nec reuocentur ab illa fœditate flagitij, publicæ conſcientiæ quæ priuatæ reclamet, incorrupta voce, ſcholæ verecundia, circumſtantis coronæ oculis, auribus, iudiciis? Quid porrò mereri velint, vt alieno ſe opprobrio fruſtra onerent; vt eam in ſe maculam ſuſcipiant, quæ ſempiterna hæreat, nullo aut lomento aut trito eluatur? Quid autem ſciſcat cenſeatue? mutum illum & elinguem, qui nec in acie manum, nec in ſtadio pedem, nec in palæſtra lacertos mouerit, qui ad omnes aduerſariorum petitiones velut deſtitutus in Martio campo ſtipes ſteterit, ommutuerit, ac ſe ne tantillũ quidem commorit, ne dum promorit, acrem, fortem, facundum, diſertum, in palæſtra denique Mercurium, in Muſarum choro Apollinem; inter Eraſiſtrateos, Herophileos, Methodicos æmuloſque cæteros rediuiuum quendam Galenum extitiſſe? Norunt repudiati & repulſi quantæ molis ſit, quanti negotij, vel primi examinis ſubire tentamenta, & audere Templi eius fores, non virgis

virgis vt priuatarum ædium oſtia Romani Magiſtratus pulſare, ſed vel leni tinnitu ac ſuſpenſa manu & anima demulcere. Quot enim te, omni ex parte meliores potioreſue, & cum à facundia, tum à medicâ, quæ Curto tibi curtiſſima eſt ſuppellectile paratiores, à primò ſtatim aditu abſpulſi rejectiq; ſempiternum ſibi exilium conſciuerunt, & ad aliam confugêre receptricem exulum ciuitatem, in quam pretio prece cooptarentur? Quid illos deinde actus, illas pugnas, & decretorios, vt in palæſtra, congreſſus conflictuſque referam; in quibus vir & Athleta palmarius adeóque pācrantiaſtes, qui ſe his hellanodicis non egregiè probauerit, ſi vel aureus Midas venerit, audiet à circumſtante ſtudioſorum cœtu, exeſto, &, *procul ô procul eſto profane.* Tu verò Pelobolus Coprologus, Æſchrologus imus, vel ſummus, de cane, Decanus (quod interdum mali genij nomen eſt) quantus ſis canis cellarius, inueteratus dierum malorum, octogenarius ſycophanta, cum tuo Aphodenta, tu quatiere foras velut ictus ab Hercule Cacus, pleno ſacculo, vacuo fatuoque iſto cerebello ad oraculum hoc Medicum ſi adire auſus ſis. Nulli ergo in hoc Medici Honoris templum niſi per Virtutis, introitus patet, quâ introductum quâ admiſſum me ac primo quidẽ loco atque gradu, ac velut delectus eius ſigniferũ, ita gloriari mihi fas puto, ſi cum Antiſtitis Scholæ pia grataq; veneratione, felicitatis meę ſenſum coniungam. Non ego igitur, aut alius emit quiſquam, quod vno illo quo Deus vendit

omnia, labore venale eſt. Contra me Rex meus pro Regali ſua iuſtitia, munificentia & benigno in me animo, Ordinarium ſibi Medicum ingenti autoramento Francorum L. Millibus redemit, bene poſitum munus ſuum ac beneficium perſæpe ac libenter prædicauit, cum ſupra vires etiam adniterer, vt eum ne largitatis ac benignitatis ſuæ vnquam pœniteret. Quæ, vt altrix eſt ſui bonitas, & beneficium ſunm amat, ibi ſtare non ſuſtinuit, & in ſecundo gradu me conſiſtere paſſa non eſt, quin, vt Chirurgum primum vltro crearat, Doctorem Medicum Pariſienſem, id agens idque cogitans, eſſe voluerat, Ordinariū Medicum, Extraordinaria liberalitate compararat, Primarium Medicum, non codicillis, ſed Diplomaie non δυνάμει, ſed ἐνεργείᾳ non titulo tenus ac nomine, ſed vſu, re, actu, ope, operaque eúmque vnum ac ſolum, remoto ſocio eſſe vellet. Non ita, ſeueriſſimus totius honeſtatis exactor, ſi quid ei de ſentina illa in quam totum te vnde me perfunderes ſcilicet, immerſiſti, ſuboleret. Odorabatur autem ſagaciſsime, & ſi quæ ad illum vel tenuis aura perlaberetur, non credebat ſtatim, qui aulæ ſuſurros, rumuſculos, &, quę pia officia vocant, intime noſſet, ſed rimabatur per ſe, expiſcabatur, explorabat, comperer at; Ilicet, exequias ollo quibus commodum eſt ire, iam tempus eſt, ollus ex ædibus effertur. Et illam tu tam impudenter, tam impie poſtremus homuncio, Regiorum Iudiciorum ſanctitatem, beneficiorum amplitudinem, gratiæ conſtantiam, atten-

tando attaminandoque me si posses, imo lacerando proscindendoque violaris? sed qui veritatis ac verecundiæ iuratus hostis sis, qui vni cotytto impudentiæ ac spurcitiæ cultor addictus sis, mortalem à te majestatem lædi nihil mirum est, qui æternam & immortalem vsquequaque contemnas, proculces, proteras, affingendo, ementiendo, pejerando, venenatum dentem infringas quam possis ex pręcepto veteris calumniatoris, vt si morsum non intimaris, at caninum virus exspumes quantum queas; sic aliquẽ me hoplomachum chirurgũ, Themisonem aut Hermocratẽ medicum criminaris, qui ferali manu, lethali cura plures occiderim quam sanarim. In quo solens more tuo facis quod impurę ac effrontes mulierculę, quæ in rixa iurgioque id cuius sibi consciæ sunt maledictum statim occupant, effundunt, ingerunt ne primæ illo conspuantur. Itidem tu, incertum medicus imperitior, an vespillo funestior, palmas istas tuas & victorias alienis postibus affigis, quę se tuas esse deque valituris & victuris, nisi te carnificem adhibuissent, partas & relatas clamant. Ego vero qui Medici fidem operamque, præpotentis Dei vim & virtutem sanationemque esse sentiam, homo enim curat, Salus ipse persanat, numquam Altissimi medicinæ opificis mihi opus arrogaui, in Autorem semper retuli, referamque quoad vixero. Verumtamen ne in amplissima copia ab illustribus & principalibus exemplis testimoniisque decedam, eque his seligam, qui tuos Bithyæ Scythæ, vel Afri Thibij

effaſcinantes ac mortiferos oculos præſtinguant ; En ad quorum nutum contremiſcas, qui oris tui duritiam contundunt , calumniam tuam deteſtantur Regius ille ſanguis Metenſium Princeps & Antiſtes H. Borbonius , Illuſtriſſimi Suureus, Mortui Maris Marchio , Dux Liancurius , Polemarchus Auquincourtius , Sanæ Terræ Toparcha, Polemarchi Pater , is ipſe à Firmitate Polemarchus , Buiſius, Beringhamus, Buiſſonius , Tot denique tantique, qui fidam & & fauſtam opem hanc tam diu experti , reuocent me identidem, nec ſeruare decem annorum propoſitum non ſinunt; profeſſi non libẽter carere cuius conſilio auxilioque, bono cum euentu , ſic enim ipſi loquuntur , vſi ſemper ſint. Quod honori meo nuperrime tributum ab illo vt hoſtium ſic ætatis & calculi victore Polemarcho Eſtræo non tam glorior quam lætor. Qui cum ei curæ ſe quam ejerat Hippocrates, eximendæ ſibi per celeberrimum illum Lithotomum Giraltum lapideæ cócretionis fortitet, vt omnia ſemper commiſiſſet, adeſſe ſibi me, & in tanto diſcrimine, tam periculoſæ alea operæ , regi à me valetudinem ſuam voluit ; euaſit diuina ope , octogenarius victor eualuit, valet, & nos inuicem animi cauſa bonus & felix reuiſit. Glorias facere videar , ſi offuſum te ac præſtrictum illo , qui me ſui admonet , te condemnat , inſignium virorum delectu ac numero inſuper obruam opprimamque Regi Domino, trihus in grauiſſimis, & pæne extremis morbis, ita volenti iubentique , otioſe interim ſpectante ac tacite ingemiſcente,

cente, sibique præmortuo funus indicente auunculo tuo, sic aduigilaui, adstiti, adfui, vt saluus ex iis atque sospes, valetudinem suam secundum propitium numen, curæ, fidei, assiduitati artis meæ, acclamante Aula vniuersa, sæpe sit gratulatus. Cuius antiquæ iam Aulæ superstes quantum est, feliciter expertæ operæ meæ, testimonium aduersum vos magna voce adfirmat. Ab eadem est vitiositate succi, quod aliena me opera, alieno ingenio vti passim elatras. Quod si mihi maxime opus esset, non est autem, condimus enim pro nostris opibus mœnia, & quod apud alterum est Comicum, vt quimus aiunt quando vt volumus non licet, sed & facilem mihi materiam facultatemque naturæ tuæ importunitas & criminum flagitiorumque multitudo largitur, verumtamen, id si necesse haberem, non conducerem emeremque de lapide, id quod fecisse te si nescis, omnes sciunt, vltimos agasones & bastactas, bajulos dico, imo bipedes asinos, & omnium bipedum vilissimos, non furti manifestos, non infami iudicio notatos, non falsi damnatos, non ignominiosos, non Medicis Scholis prohibitos & abstentos, non barbaros solœcistas, non omnium flagitiorum postremos, non omnium probrorum, omnium turpitudinum Copreas, non monstra inscitiæ, non ex cœno conuiciorum & spurcissima fæce conflatos, nautea maceratos ac subactos, non qui obscœnas operas conuerrendo luto publicisque sordibus euehendis, locant, non infimorum φεῦ φεῦ operum molitores, non qui conducunt foricas, siccan-

dam eluuiem, ſentinã exhauriendam, cloacas repurgandas & quæcumq; veſtra nomina dum appellare cogor, abominor. Qui tui, Curte, defenſores, tui patroni, dignum patella operculum, & labris ſimiles lactucæ ſunt, quos tibi tu, ringendo, latrando, vlulando, conuiciando feſſus, qui pro te tuum opus conferciendi luti reſpergendique facerent, corrogaſti ſurrogaſti, ne lingua meretricia, ne manus impura ceſſaret. Ego verò, de me deque ſcriptis meis arbitrium amicis prudentibus & doctis illis, bonorum & ſapientum exẽplo permittere ſoleo, qui nequaquã id in ea ſibi id iuris, quod illis ego attribui, ſumũt- nam à ſe intacta, quod ego nolebam, remittunt. Tùm vero acriùs elimo caſtigoque quod minus placet, ſi quid tamen placet, quod non multa dies & multa litura coercuerit, quale eſt ſubitarium & feſtinatum opus, quod importunitas tua, inuito, & ſi vtrum vellem liceret, ſanequàm repugnanti, ſed & minus valenti, ac moleſtũ rheuma procuranti expreſſit, in quo, ſi quid toto eſt quod furias tuas extimulet, furorem acuat, rabiem inflammet, Tu voluiſti, tu feciſti, tuo capiti ſuiſti, tu ſementim feciſti, multiplicem vt meteres. Tu, in placidum & quietum ferus incurriſti, rabidus irruiſti: declinarat ille primos furentis incurſus; Tu, quam tibi laruam diſſimulationis indueras, detraxiſti detritam & obduratam frontem nudaſti, vt, qui eras, proderes te ac perderes. Auunculi tui per me quidem ſepultos ac immotos cineres reuelliſti, eruiſti, diſſipaſti, ingrati, perfidi, falſi fallaciæ parricidij alieniſſi-

mi denique coloris reum postulasti: qui maledicta illa non à se depulit solum, sed in sempiternũ dedecus vestrum omnia retulit necessario retuditque. Menses totos septem, ô septimestrem abortum, pus ac venenum, per te inque te, vomica, collegisti, per venenarios vt Iudæi olim per elephanticos passim Galliarum puteos tabo infecere, contraxisti, quod honestati nominis nostri allineres. Quod, contra, sentis, si quid in te sensus reliquum in tanto esse furore potest, tibi tuisque inhæsisse. I nunc, I verbis virtutem illude proteruis. Quod superest, neque te in hanc vitam opifex Deus induxit vt in malignitate, maleuolentia, maledicentiaque inueterasceres, contabesceres: neque me, vt fœdissimis probris, vt spurcissimis & impudentissimis conuiciis aures vsque præberem, & ea necesse haberem aut agnoscere, quod grauius est, quàm ferrum in viscera recipere, aut reiicere ac referre, quod si necesse non sit, fas esse non putem: Neque te, annum vltra octogesimum natura perduxit, vt nihil demum saperes nec resipisceres; qui enim sapit is profecto in horas resipiscit. Discipulus enim prioris est posterior dies: & docet diem nox, & dies noctem: &, nostri nosmet pœnitet, mutamur in horas, & vt in flumine numquam eadem in aqua manum tingas, sic in eodem homine, si tamen eodem, vix depungas vbi sistas: vt melior tamen sit, cui meliora in dies magis magisque, optimus cui optima constanter placeant; beatissimus & Deo proximus cui semper ea placuerint. Quid autem tam dextro pede conci-

pis, vt te Conatus non peniteat? In se nemo inquirit, nemo descendit, quin si excutiat sedulo se ac scrutetur, mulra damnet quæ antea probarit, & quæ probarit multa improbet, plura desideret, addat dematque sui Censor seuerus ac integer plus de se nemini quam credat sibi. Et innumera eiusmodi, quæ sui memores, quæ hominis prognari, sapientes magnifice prodiderunt, Ac ipsum videlicet sapere, strenue resipiscere est. Et, homini profectò nemini Dei munus id contigit, quin rectiùs se ac inoffensiùs, in hoc vitæ breuissimo & impeditissimo curriculo perrexisse velit. *Vidi iam Iuuenem*, canit ille, *premeret cum serior ætas, Mœrentem vacuos præteriisso dies*. Et vniuscuiusque senis hæc cantio est, & illa, *ô mihi præteritos referat si Iupiter annos*, Vt Dæmonum esse non hominũ & dicatur & sit, malæ mentis illa, mali animi obstinatio, quæ cogitata illos reflectere in melius non sinat, eâ obstinatæ voluntate malitiæ obduruerunt. Debemur morti nos nostraque, at vita omnis & ipsa mors Deo debetur, qui sanabiles fecit nationes hominum, & ipsa miserrimi corpusculi conditione admonet, ne qui thesaurũ, hoc est immortalem animum, eiusque dotes tantas, fidem viuam, ac rectam spem beatæ immortalitatis, in vasis fictilibus feramus, in mortali & caduco corpore immortales inimicitias geramus. Mecum, vt voles modò ipse tecum (de quo pejus omnino, quam de vllo aduersario meritus es) modo cum bona mente, cum pudore ac honestate redeas in gratiam. Et sera numquam est ad bonos mores via.

Respice

Respice te aliquando senex, & qui Christianum te non vnum è multis, sed edecumatum, vtinam vere, prædicas, hominem certe memento te; à morte semper homines tantumdem absumus, multo propius senes, proxime vero qui mortalis æui cardinem extremum premit, & cum incetta juueni hæc vsura vitæ est, tum capulari & decrepito diuturna esse non potest, male de immortalitate sperat, qui de mortalitate moribundus non cogitat. Et tu omnibus probris, contumeliis, maledictis, calumniis conflandis, comminiscendis, conciendis, spargendis, per misellum homulum alterum te, perque cæteras sordes institorum tuorum, intabescas, immoriare, intereas; & Christiani sensus pars in te vlla sit: Nos vero qui in diem & vix ad horam fortasse viuimus, mortem cui innascimur, immortalitatem quã credimus, quam speramus æternitatem cogitemus.

FINIS.

LIBRI DE NATVRA, CAVSIS, & LEGITIMA CVRATIONE Febris pestilentis

HIERONYMI DONZELLINI
Philosophi ac Medici Veronensis,

In quibus etiam de Theriacæ natura ac viribus latius disputatur.


APOLOGIA
Per Eudoxum Philaletem edita aduersus Thessali Zoili oppugnationes.

Dulce bellum inexpertis.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS apud Andream Bochinum, & fratres. M. D. LXXI.



ALBERTVS CIMERLINVS MEDICVS VERONENSIS LECTORI CANDIDO.

S. D.



VM ANTE aliquot menses excellentissimus D. Hieronymus Donzellinus, cuius summum ingenium, ac splendidissimam doctrinam nemo satis admiratur, rogatus ab xcellentissimo Iosepho Valdanio, suam sententiam de natura febris pestilentis, quas pestichias vocant, ac eius remedio epistola compræhensam ad illum misisset, eaq; à multis perlecta, digna illis videretur, quæ in publicam lucem emitteretur; ita apud illum egerunt, vt, quod cupiebant, impetrarent. Quæ autem potissimùm causa illum impulerit ad id faciẽdum, in sua præfatione indicauit. Ea est vt eruditorum hominum iudicio exposita, discuteretur, ac si quid minus rectè dictum in ea esset, duce ratione emendaretur ac corrigeretur. Ea itaque edita, multi ad illum literas dederunt, quibus eius sententiam summopere probarunt. aliquot etiam modestè indicarunt, in quibus ab eo dissentirent; & sibi ea in parte satisfieri petebant. Cùm autem quæ obiecta erant, non recta illum ferire, ac nisi facile sanabile vulnus inferre viderentur: illis ita respondit, vt integra atq; illæsa permanserit eius sententia. Vnus tantùm fuit Thessalus Zoilus, qui datis ad illum literis ita arroganter, importunè, ac immodestè egit, vt Donzellinus sua illum responsione non sit dignatus. Huic Eudoxus Philalethes Medicus eius propinquus ac familiaris respondendum duxit. Cæterùm cùm hoc scriptũ ab aliquot Medicis in antiqua medicina doctissimis maximè commendaretur, & in eo quiquid scripsit Donzellinus in suo libello & latius explicaretur, & firmioribus rationibus confirmaretur; ita vt iusta eius apologia meritò censeri posset, visum est illud edere, ac omnibus spectandum proponere: Idq; duplici nomine. cùm vt Zoilus aliquando intelligeret suis rationibus fuisse responsum; ac si qui alij de eisdem dubitarent, in eadem ipsi etiam responsione adquiescerent: tum vt melius omnes cognoscerent, quibus rationibus adductus Donzellinus, de illo argumento ita sentiret. Cuius consilij ne quid te lateret, te hic duximus admonendum. Vale.

Errata ſic corrigito.

Pag.	2.	b.	et huiuſmodi.	te huiuſmodi
Pag.	3.	a.	et ſophiſtam.	te ſophiſtam
	10.	a.	annone.	annonæ
	12.	a.	futurorum.	futurum.
	13.	a.	putredo conſequi.	putredo conco qui.
	14.	a.	coloris.	caloris
	15.	a.	à multo.	à multa
	15.	b.	norant,	norunt,
	17.	a.	infeſto.	infecto.
	Ibid.		originem dicit.	originem ducit.
	19.	b.	in fine vndecimi.	in fine decimi.
	22.	b.	ſupereſſe.	ſuperaſſe;
	24.	a.	fit priuata.	fit ex priuata.

EVDOXVS PHILALETHES THESSALO ZOILO, MEDICVS MEDICO, S. D.



CVM proximis hisce diebus officij causa Hieronymum Donzellinum veteri amicitia, & affinitate mihi coniunctum, domi salutarem, is mihi statim in manus dedit epistolam, quam tu ante aliquot dies ad illum miseras: dixitq; eam à domesticis suis sibi redditam fuisse eadem die ante horã, cum è suo propinquo rure redijsset, eamq; vix dum à se fuisse perlectam: cupere autem vt ego quoq; illam viderẽ, & quidnam de ea sentirem indicarem. Ea euoluta, cùm longiorem esse intelligerem, quàm vt eo pręsente percurrere eam possem, vt domũ mecum eam ferre mihi liceret, ab eo impetraui. Domũ reuersus, eam diligenter legi ac relegi, & vt meum de illa iudicium exactius ferrem, accuratius etiam considerauì. Cùm autem Donzellino iam reddenda videretur, illum denuò conueni ac restitui: ac de mea sententia interrogatus, dixi, in eo scripto me animaduertere plus esse peruicaciæ quàm iudicii, plus arrogãtiæ quàm doctrinæ, plus deniq; vitii quàm virtutis. Quæ verò tu illi opponis, me leuia ac futilia reputare: ac mirari me, quòd ea vertas in cõtrouersiam, quę aperta sunt & cuiuis obuia, modo deposito liuore & animi pertinacia, diligenter ea & legat & intelligat, quæ ipse scripsit. Vtcunq; autem se res habeat, tuæ epistolæ opus esse omnino respondere. Donzellinus verò contra, se grauiori-

bus negociis occupatum esse, quàm vt posit hoc præsta re: & si etiam posset, se tamen nolle cum homine maligno litigare & contendere: neq; bonas horas velle perdere in rixis & contentionibus; se facile videre, & huiusmodi habere cerebrum, vt ne Mercurius quidẽ cum toto Musarũ choro persanare illud posset: neq; te quærere veritatẽ, sed tantùm litigiis & cauillationibus delectari: ac nolle se eiusmodi hominem sua responsione dignari. Ego verò respõdi, suo illum scripto se obstrinxisse, vt cuiuis cõtradicenti respõderet. Quare hoc iam non posse legitimè detrectare. Tum ille libellum suum in manus accepit, & hæc verba ex eius præfatione legit. A qua si quis dissentit, nõ veto quominus suas rationes in medium producat; non ero pertinax, si meliora afferentur; cedam libenter modo modestia in disputatione adhibeatur; & remota sophistica, ex æquo & bono disceptetur. His perlectis, adiecit. Ego modestiam postulo in scribẽdo, at tu vides, qualem modestiam adhibuit in hac epistola. Quare huiusmodi hominum scripta non sum pollicitus me admissurũ; si velit litigare alios quærat, me quidem non habebit, qui velit cum eo rixari. Tum ego. Si nemo respondebit, in causa deserta triumphum aget, ac te inopia rationis victum, non respõdere existimabit. Quòd si ea in re tibi obfirmatus est animus, ego profecto non permittã, vt ille putet, se in hac causa superiorẽ esse. Tam enim mihi facile est eius oppositionibus respondere, vt te vehemẽter rogatum velim, mihi licere, magnũ hunc gigãtem inuadere: fortasis ero paruulus ille Dauid, qui colosseum gigãtem interfecit. concesit ille, sed ea cõditione, vt intra modestię ac moderationis fines me continerem: ac ne committerem, vt in eo meritò repræhendi posim, in quo tu maxime videris repræhendendus. Id verò me facturum recepi, quantum tua merita permittent. Hac venia impetrata,

lætisimum

lætisſimum mihi animũ ſenſi, ac putaui diem illum mihi fœlicisſimum illuxiſſe: quare quemadmodum ille, qui in arenam deſcendit cum hoſte dimicaturus, gladium, quo te confodiam, rationem ſcilicet legitimam veritatis parentem in manus accipio, ac te aggredior.

In primis autem illud in vniuerſum præfandũ reor, me ſentire, tuam epiſtolã meras tantũ nugas, nænias ac anilia deliramenta cõtinere, nihil ſolidi, nihil veri, rixas tantùm & contentiones ſerere, ſuo parente dignas.

Te verò inſignem eſſe veteratorem ac vitilitigatorẽ, qui cùm in bonis literis parum profeceris, egregiis tantùm viris laceſſendis gloriam tibi ſtudeas comparare: Quem ſcopum ſolùm ſophiſtis propoſitum eſſe Ariſtot. docuit; vt meritò & ſophiſtã appellare posſim. Philoſophi certè moralis nomine te indignisſimum facis; qui eius, quam profiteris, nobilitatis immemor, procaciter admodũ ac intemperanter Donzellini viri eruditisſimi cogitationes figmenta poetica appellare nõ es veritus. Quã verò naturalis philoſophiæ, ac medicinæ ſis ignarus, ex meis confutationibus, quas aduerſus tua deliria afferam, paulopoſt apparebit. Ne autẽ incautus in arenam deſcendas, amice moneo, non cum frigido aut maleficiato, ſed cum Veronenſi tibi negocium fore.

Ne quid aũt putes à te rectè aut verè ꝓnuntiatũ, ſingula quę ſcripſiſti aut ineptię aut falſitatis plena ſum demõſtraturus, vt niſi ꝑfrictę frõtis fueris, tu teipſum ſis condemnaturus inſcitiæ, ruditatis, audaciæ, malignitatis.

Si ego Zoile tui ſimilis eſſe vellem, qui nugis ac nęniis delectarer, in primis tuum illud rhetoricum artificium exagitarem, quo vſus es in illa tua inſinuatione: cùm dicis; perlecto Donzellini libello te tanta fuiſſe delectatione perfuſum, vt in cœlum ſis abreptus ac diuinam, vel melancholicam potius quandam ecſtaſim paſſus fueris: verùm vbi à ſomno aut potius veterno es experrectus, 1. prorrh. Hip. 14.

perrectus, te multa in eo deprehendisse, quæ & dubia essent & perplexa: atque ita tuis oppositionibus viam præparasti. Quasi verò non multa hic sint mendacia. cum tu scias, perlecto primùm Donzellini libello, te ad amicum literas dedisse, quibus illum admonebas, nihil te in eo noui inuenisse, sed eadem illũ, quæ antea Valdanius, scripsisse: quibus tu minime adquiescebas: vbi igitur est diuina illa ecstasis, vbi præ gaudio in cœlum raptus? At color est rhetoricus (nam tu in ea arte plurimùm vales) quo tu argumentaris. Si Donzellini libellus vsq; adeo est diuinus, quantò ego diuinior, qui repræhendere illum possum? sed paulò post videbis quàm ineptus sis repræhensor. scilicet, sus Mineruam edocebit. Sed tibi quoq; delicias facis, ac speras te tuis rationibus adducturum esse Donzellinum in tuam sententiã, qua in re ineptissimus es, ac intolerabilẽ præ te fers arrogantiam. scilicet, & nos poma natamus.

Dicis etiam in tua illa admirabili (si dijs placet) insinuatione, te esse veri inuestigatorem & christianum: ad primũ dico, satius esse, te ab ea venatione ac labore desistere; in malignam enim animam non intrabit sapientia. ad alterum, credo te fuisse baptizatum, sed ea lotione cuius vis & efficacia non diu in te permanserit; naturæ enim contumacia citò illam excussisti. cùm enim modestia maximè deceat christianos, tu omnium es immodestissimus, ac odij veneno cor habes delibutum.

Illud verò ex te libenter audirem, quid tibi volueris, cùm Donzellinum philosophum appellasti. si philosophi nomine bardum ac stupidũ hominem intellexisti, vt vulgus solet, te plebeium facis, ac longe hallucinaris; est enim homo perspicacissimus, & cuius non sis dignus calciamentorum soluere ligamenta. Quòd si per philosophum intelligis eruditum, prudentem, cordatum, ac ingenij luce præditum; cur eius cogitationes vocas

figmenta

figmenta poetica? Cùm autem tua epiſtola Zoile omni rhetorico artificio ſit exornata, aduerſus ea, quæ in prooemio poſuiſti, hæc dixiſſe ſat eſto: ad reliquas eius partes accedamus. In quibus tractandis, eum ordinem ſeruabo, vt vbi initio tuas rationes fideliter enarrauero, ad eas mox ſim reſponſurus.

Prima oppugnatio.

MOrbi populares ſecantur à Donzellino in benignos & malignos, & per malignos exitioſos interpretatur. contra: Malignitas & pernicies ſunt diuerſa, igitur male illa confundit. ea eſſe diuerſa Galen. docet in prorrheticis, vbi repræhendit Hippoc. Libro. 1. qui pro lethali malignum dixit. Præterea lethalis dicitur, qui aut ſemper aut plurimùm interimit; malignus com. 14. autem ſalutis ſpem penitus non tollit; ergo diuerſa. Ad hæc malignitas morem morbi notat, exitium vero cruditatem & peſſima ſymptomata cum virtute debili. diſtant igitur à ſe inuicem illa duo.

Mirabilis eſt in natura rerum ſympathia, vt cùm videmus magnetem ferrum attrahere, philoſophi cauſam ſcrutati, dixerunt, ob ſimilitudinem illud fieri. Ego itidem dicam, cùm tu in eo libello reperiſti malignitatis mentionem, ſimilitudine quadam tui cerebri cum illa te attractum fuiſſe, vt in eo loco tanquam in proprio elemento, aut ſus in cœni volutabro verſareris. Galenus appellat Hippocratem bonorum omnium in medicina authorem: & in ſuis commentarijs non tantùm doctrinam, ſed etiam ſermonis proprietatem ſæpius admiratur. Hunc ſecutus Donzellinus errare nõ potuit. Dices, ille liber non eſt genuinus Hippocratis. Hoc certe nunquàm probabis. de eo quidem dubitauit Galenus, non tamen certò affirmauit, illum non eſſe Hippocratis. Sed quicunque ille fuerit, antiquus & magnus

gnus vir fuit, & Galeno maior atq; prçstantior, alioqui eius Librum interpretari nõ esset dignatus. Quis enim indignioris se scriptoris interpretationẽ aggrediatur? Tantum itaq; virum qui sequitur, non errat. At Galenus illum repræhendit. Dico eadem ratione seipsum repræhendisse, qui in primo de crisibus cacoethes accepit pro lethali. Cap. 5. De sputis enim loquens ita dixit. Quando igitur hoc citò apparuerit, morbum facit breuiorem. cùm verò nullo modo educitur, aut crudũ, indicat morbum in longius debere protendi. Si autem prauum educetur sputamen, periculum imminere significat. Si autem etiã cacoethes fuerit, mortem minatur. Hæc autẽ vltima vox minatur, male posita est ab interprete, nam græca litera dicit significat, ne forte in illa voce cauilleris. dicit enim δηλεῖ, non autem ἀπειλεῖ, quo verbo vtitur Galenus, cum vult dicere, minatur.

Licet autem litera declaret, illic cacoethes idẽ significare quod θανατῶδες, aut ὀλέθριον, ex his tamen quę paulopost subdit, facile apparet. Quæ tu videre poteris in fine capitis, nam sexies repetit vocem ὀλέθριον, eodem significato, quo antea dixerat κακοηθὲς.

Cacoethes pro lethali accepit, & vsus est etiam alio loco Galenus, initio scilicet Libri de Euchymia, vbi dicit. Quibus horum nihil accidit, interiere omnes ob vehementem & cacoethem febrem. Si omnes interiere, ergo febris cacoethes fuit lethalis. Galenus item in procemio primi Epidem. dicit. Itaque patet ex vulgarium morborum esse genere eos, qui malignissimi sunt, & pestilentes appellantur.

Ne autem putes Hippocrati in loco ex prorrheticis citato temerè aut inconsideratè excidisse eam vocem κακοηθὲς, pro lethali, accipe alium locum in 2. comment. eiusdem Libri textu 40. vbi eodem significato eam vocem vsurpat; dicit enim. Cordis dolor cũ hypochõdrio contento,

contento,dolorq́; capitis,malignum. Hoc autem significare mortale ipse paulopost docet,dicens. An repente hi moriuntur? & Galenus interrogationem tollit in sua interpretatione,affirmans, ꝓculdubio tales morituros.

Vt autem omnem tergiuersandi occasionẽ tibi adimam, lege secundum textum tertij libri prognosticorũ Hippocr.& eius commentarium; nam tanquàm in proprio loco vera significatio earum vocum εὐήθες,& κακοήθες. à Galeno tractatur. Hippocrates dicit; simplicissimæ seu benignissimæ febres cum signis securissimis firmatæ,quarto die,aut citius desinunt. Maleficentissimæ κακοηθέσταται, verò seu malignissimæ, cũ pessimis signis factæ,quarto die,aut citius interimunt. Quid dices Zoile,hic tibi omne sublatũ est subterfugiũ, liber est genuimus Hippocratis,de quo nemo vnquam dubitauit,Galenus non repræhendit,sed ipsemet vsurpat.

Cùm igitur & Hippocratem, & Galenum secutus sit Donzellinus in ea diuisione, non erat vt tam intemperanter in illum inueherereris. Vides enim insignem in te esse rerum & verborum inscitiam, cũ insigni etiam animi malignitate coniunctam.

Dicis malignitatem Galeno in libro de crisibus significare morbi morem.fateor.sed illud te scire oportebat, quod Aristoteles dixit in elenchis sophisticis, libro tibi familiarissimo; plures esse res, quàm verba, atque ideo homines cogi, vt vna voce ad plura significanda vtantur. Quod profectò si ignoras,ad grammaticos merito es relegandus.

Ex his patet,te ineptum esse ratiocinatorẽ,cùm falso colligis, ex quibus vero verius constat, has morborum differentias non parum inter se distare. ex falsis præmissis falsa conclusio sequitur Zoile.

Sed tu resipuisti tandem, addens; nisi forsan nomine quodam communi te vsum fuisse,fatearis; quod postea

B bipartiri

bipartiri adhuc oporteat in malignum in ſpecie, quod non omnem ſalutis ſpem tollit, & lethale. Et profectò ſi tu æquus lector fuiſſes, in ea reſponſione adquieuiſſes, nec mouiſſes camarinam, ſed tu litigijs delectaris, etſi ineptus es litigator.

Ne autem degenerares à natiua animi tui malignitate, quam ipſe attuliſti diuiſionem, licet verisſimam, Oeſtro quodam percitus, culpas ac repræhendis. ſcilicet vt declares, in te quadrare illud.

Naturam expellas furca, tamen vſq; recurret. „

Quid verò tibi in mentem venit Zoile? damnare diuiſionem probatis authoribus omnibus familiarẽ. cum ſcilicet genus in duas ſpecies diuiditur, & quia earũ altera caret nomine, generis nomen illi adcommodatur. Hac vſus eſt Ariſtoteles initio prædicamenti de qualitate, cùm diſpoſitionis nomen genericum ſpeciei aptat; cui opponit ex aduerſo habitũ. Galenus itẽ in fine 10. de methodo, colliquãtium febrium genericum nomẽ ſpecificæ vocis inopia illi adcõmodat, ꝙ per aluum ſenſibiliter liquatam ſubſtantiã excernit, cui opponit maraſmodem febrem ipſam etiam colliquantem, ſed inſenſibiliter excernentem id, quod liquatur. Iterum Galen. in 1. de acut. curat. comment. 9. Epidemii generalẽ vocem ſpeciei illi opponit, quã peſtis nomine deſignauit. Quare cùm hæc diuidendi ratio ſit frequentisſima, non erat vt illam accuſares. Quid igitur prima hac tua contradictione effeceris, non video, niſi quod animi tui vulnus & inſcitiam prodidiſti.

Tu tãta cõtradicendi libidine teneris Zoile, vt furẽtis in modũ quiduis obuiũ arripias ad præliũ, furor arma miniſtrat. Tanta ẽt ſcribẽdi voluptate titillaris, vt q̃uis ad ſcribendum ſis ineptisſimus, ſcribere tamen velis.

,tenet inſanabile multos „
Scribendi cacoethes. „

Hem

Hem audis. opportune mihi accidit hoc carmen. Nam etiam Poetæ, contra id quod tu scripsisti, iudicant cacoethes idem esse quod lethale; dicit enim cacoethes esse insanabile. sed de hoc satis.

Oppugnatio secunda.

DIcis, te non videre rationem, qua Donzellinus collegit, mites morbos, cũ vagãtur, epidemios vocari; lethales verò pestilentes. Morbos.n.in locis à te citatis ex Hippoc. Epidemijs ab eo describi qui maligni erãt & pernitiosi, multiq; ex illis moriebantur. quos tamen (vt tu dicis) Galenus noluit esse pestilentes. 1. Epidem. commẽ. 2. Text. 25.

Vah, vnde nã nobis prodiit tam magnus Gigas, qui non tantùm Donzellinum audet oppugnare, sed ipsum quoq; Galenum aggredi non veretur. Quæ enim tanquam Donzellini dicta repræhendis, ipsius Galeni sunt verba primo libro de acutorum curatione, comment. 9. Quod verò dicis, te non videre, hoc vident alij, Veneti scilicet, Patauini, ac Veronenses medici; qui scriptis ad Donzellinum literis, eius sententiã plurimùm cõmendarunt. vt intelligere iam possis, in tanta prudentium virorum multitudine, te vnum delirare, ac cæteris vigilantibus, alto sopore oppressum te somniare. Apertè Galenus, apertè etiam illũ imitatus Donzellinus loquitur, ac dicit: morbum vnum multis hominibus communẽ euenire vno tempore. qui, si mitior fuerit, generis nomine epidemius vocetur, si autem pernitiosus, pestis: ac pestem definit Epidemiam lethalem. Epidemia igitur est genus. species verò pestis, & mitior popularis morbus. Ex hac doctrina nonne sequitur, mitiores morbos, cùm vagantur eodem tempore, esse epidemios. pernitiosos verò pestilentes? Si tu non vides qđ alii vident, tu proculdubio cæcus es. At dicis, Hippocrates describit morbos perniciosos, qui multos inter-

 ficiunt,

ficiunt, nec tamen Galenus eos vocat pestilentes. Dico ex pestis definitione à Galeno posita loco citato, si illi morbi, quos describit Hippocrates in epidemiis, & populares sunt & lethales, necessario sequi, illos esse pestilentes. nec aliter posse Galenũ dicere, nisi sibi velit repugnare. Et quamuis tu dicas, Galeno non placuisse illos esse pestilentes, locum tamen non indicas, vbi negauerit eos esse pestilentes. Inscitè igitur ac ineptè in fine tuba canis, ac tibiam inflas: nec epidemios omnes esse benignos, nec malignos omnes populares esse pestilentes. Nam, quod intendebas, tu minime probasti. Sed certa est, & insuperabilis Galeni doctrina, quam temere ac frustra conaris oppugnare.

Oppugnatio tertia.

DOnzellinus asserit Galenum curasse synochum putridam phlebothomia ad syncopin facta. Te verò dicis nullibi apud Galenum legisse, sed ne quemquam audisse, qui legerit, Galenum tale quid fecisse in synocho putrida, licet illud fecerit in non putrida vsq; ad lipothimiam, non autem syncopin, quæ plurimùm inter se distant.

O bellum hoc, potuit dici nil aptius vnquam.
Etsi antea mihi dubium non fuit, ex hoc tamen loco certo certius cognoui, te perfunctoriè Galenũ perlegisse, 9.Meth.4. aut obliuiosum esse, aut vero tanta contradicendi rabie agitari, vt ea, quę nosti, dissimules. In eadem pagina Galenus recitat duas historias alteram de synocho nõ putrida, de putrida alteram, in vtraque dicit se misisse sanguinem ad lipothimiam; Tu vero impatiens lectionis, priorem legisti tantùm. Sed iureconsulti dicunt, stultum esse iudicare, nisi prius tota lege perspecta. Sed tam peruicax es ac importunus, vt omnia temerè facias ac nihil consideratè. Credo Zoile te nunquam legisse, aut

ex nimia

ex nimia cerebri fluxibilitate tibi excidisse. Sed illud intolerabile videri potest, quòd quæ tu ignoras, alios etiam putas ignorare; & ne solus inscitiæ noteris, alios etiam in consortium tuæ ruditatis pertrahere nō verearis. Affirmas enim te neminem audiuisse vnquam, qui tale quid legerit apud Galenum. O lepidum caput. Itáne magnificè de te sentis Zoile, vt, quod te latet, alios etiam latere putes?

Quò verò magis tuam ignorātiam omnibus patefacias, conaris etiam probare, nequaquam faciēdum esse, quod Galenus magna & ratione & ægrotantis vtilitate se fecisse scribit, in synocho scilicet cum putredine non esse faciendam phlebothomiam vsque ad lipothimiam, pro quo duæ à te rationes afferuntur. earum hæc est prior. In synocho putrida (ex Galeni sententia) tantum sanguinis relinquendum est, quod sufficiat, donec morbus finiri possit. Sed si sanguis mitteretur ad lipothimiam non sufficeret. ergo tanta quantitas nō est mittenda. Altera ratio est ista. Neq; obstructio, neq; putredo curatur phlebotomia; ergo tanta sanguinis quantitas non est euacuanda.

9.Meth.4.

11. Meth. 14.

Eodē loco.

In primis dico Galenum in loco à te citato vndecimo methodi nūquam vetuisse phlebothomiam ad lipothimiam factā, vt tu dicis. Quod si fecisset, sibi ipsi contrarius fuisset; cùm in lib. 9. illud ipse præstiterit, ac proprio etiam opere ac præcepto iusserit faciendum.

Ad rationes tuas dico in eo te hallucinari, ꝙ putas facta phlebothomia ad lipothimiam, nō relinqui tantum sanguinis, qui sufficiat ad spacium curationis. quod tamen Galenus iudicauit: alioqui in 9. libro in illo seruo tam copiosam phlebothomiam non fecisset. cur autem ita Galenus iudicarit, ea est ratio. quod in polyhæmis, & polysarcis, in eucčticis, in robustissimis uiribus, ac ætate calidiore synochus generatur, atque ideo etiam facta

9.Meth. 3 & 11.Met. 14.

facta phlebothomia ad lipothimiam, superest adhuc sanguinis copia sufficiens ad morbi finem. sic itaq; primæ rationi sit satisfactum.

Ad alteram rationem dico, Galenum verè dixisse, putredinem & obstructionem propriè ac per se non curari phlebothomia; at per accidens & consequio quodã; tantũ abest, vt Galenus negarit, vt potius sæpissimè illud docuerit in eo, 11. a te adducto. lege igitur eius libri caput, 4. licet per totum illum librum sæpius idẽ repetitur: videbis Zoile futuram putredinem & obstructionem phlebothomia inhiberi, & factam curari, sed ex accidenti: cùm solius boni sanguinis copia nimia est in in corpore, si fiat phlebothomia, nõne & putredo & obctio ne fiat impeditur? cùm verò fit, aut iam facta est, nonne partim phlebothomia vacuatur, partim humorum agitatione obstructio tollitur, & humores ventilantur ne putrescant & calor venarum temperatur, quo semiputridi emendantur, putridi verò concoquuntur, & à natura expelluntur? nonne hæc omnia beneficia præstat phlebothomia? quæ licet per se ab alijs remedijs fiant, nihil tamen obstat quin per accidens etiam à phlebothomia præstari possint. parùm profectò profecit in philosophia ac medicina, qui id quod est per se non potest distinguere ab eo, quod est per accidens. qua vna ratione multa in omni arte ambigua explicantur.

Notare etiam voluisti Donzellinum, qui syncopen dixit, cùm lipothimiam dicere debuisset. fœlicissimè iam agitur cum mortalibus, nam tertius è cœlo cecidit Cato. non iam ille Censorinus, sed Censorius, ac dignus

Quem veneranda tegat vestis, ac purpura palla.

Etsi Donzellinus Græcis potissimum scriptoribus operam dedit, cùm tamen Medicus sit, Medicina autẽ præter Græcos, multos ẽt habeat authores Arabas ac Barba-

Barbarolatinos, de ea arte benemeritos, oēs sibi duxit plegendos. scis tu Zoile, qui diu es in illa barbarie enutritus, & Arabas, & Barbarolatinos solitos esse duas illas voces confundere, quorum (licet fortassis inuitus,) vestigia secutus Donzellinus ipse quoque eas confudit. sed si putas illum ignorare syncopes ac lipothimiæ discrimen, non mediocrem illi iniuriam facis. neque tamen puto, te tam inique de illo sentire, de quo viri docti omnes magnificè sentiunt. Quòd si aut tu, aut alius quispiam de hac re hæsitaret, ego facile possum probare, longè vos decipi aut hallucinari.

Argumentum est à minori ex loco topico. Tu, qui iuuenis es, & bonarum literarum ac melioris medicinæ ignarus, illud nosti. ergo multo magis Donzellinus & senex & in optimarum artium studijs ab ipsa statim infantia educatus, illud nouit.

Diuinus profectò fuit Donzellinus, qui in sui libelli præfatione, cùm in nostri seculi mores inueheretur, diuinauit, non defuturos sophistas & sycophātas, qui eius scripta cauillarentur ac suggillarent. sed eo carmine solari se ipsum potest,

„ Virtus repulsæ nescia sordidæ
„ Intaminatis fulget honoribus.

Horat. lib. 3. Ode. 2.

Oppugnatio quarta.

DOnzellinus dicit, simplicem synochum putridam non esse lethalem; contra. si per putredinem simplicem intelligit leuem, ac paruam, consentio. si verò simplicem, idest sine venenosa qualitate, dicis esse falsum. nam si vehemens fuerit putredo, licet non venenosa, tamen (vt tu asseris) lethalis erit.

„ Mirabar si quid recti dixisset Amyntas.

Tam stupidus tibi est animus, vt nihil veri possis

percipere

percipere. Synochum putridam grauem morbum esse, ac periculo non vacare, fatetur Donzellinus; quòd verò lethalem negat indignaris, nec tamen probas. Quæ tua ista est authoritas Zoile, vt nullo adducto probato authore in tui dicti confirmationem, tãquam iudex arbitrarius sedes pro tribunali, & tanquam authoritatem habens, sententiam pronuntias, qualem illi iudices, qui de causa nihil intellexerunt.

Ego puto Donzellinum maximis rationibus innixũ, dixisse, synochum putridam non esse lethalẽ: cùm enim Galenus dicat, eam febrem plurimùm in polysarcos & polyhæmos incidere, & rursus repetat hæc verba. porrò supra dictum à nobis est, eiusmodi febres in virtutẽ imbecillam nõ incidere, quippe synochus bene habiti corporis & calentis ætatis propria est. Cùm etiam dicat, in hac febre pulsus esse maximos, æquales ac vehementes; minime dubium est Galenum sentire eam febrem non esse sua natura pernitiosam, cùm tot subsidia habeat ad salutem. Quòd si montes putredinis velis cogitare, illud erit rarissimum, & quod non nisi malignissimus homo in argumentum possit reuocare.

11. Meth. 14. & 9. 9. Meth. 3.

Si Galeni sententia lethalis morbus aut semper aut plurimùm interimit, eiusmodi esse synochum te probare oportebat aut experimento, aut testibus, aut rationibus. Tu cùm sis iuuenis experimentum adferre non potes, qui fortasse nullum vidisti, cùm Galenus paucos viderit. Testes nullos adducis, qui dicant synochum esse lethalem, quinimo Galenus ex his quæ de ea dixit, salubrem facere videtur. At rationem habes, quia vehemẽs putredo potest interficere; sed vbi tam multa sunt ad salutem subsidia, non facile magna putredo generatur: aut si id aliquando contingat, insolens erit ac rarum. At si morbus esse lethalis debet, semper aut plurimum idem euenire necesse est.

1. prorrh. 14.

Locis supra citatis.

Vides

Vides Zoile quo te rapiat litigandi libido, legisti quidem Galenum, sed Cato dicit; legere & non intelligere est non legere.

Oppugnatio quinta.

DOnzellinus non recte damnat phlebothomiam in febre pestilenti. nam id repugnat rationi, & optimorum authorum sententiæ. Si humoris malignitas fit ex obstructione, hęc verò ex multitudine, ratio dictat vt tolli possit obstructio, prius tollendā multitudinem. Præterea si putredo finiri nō potest nisi coctione; ergo quæ eam impediunt tollenda. ea verò est multitudo, qua natura grauatur, & meatus obstruūtur, igitur secanda vena, vt humorum moles minuatur, & meatus aperiantur.

Sed probatissimi etiam quiq; scriptores mittunt sanguinem in hoc morbo, Hippocrates, Galenus, Paulus, Aetius, Celsus, Auicēna, oēs deniq; melioris notæ Medici. turpe est autem à tam grauibus viris dissentire.

Ne quid autem causæ desis, Donzellini etiam rationes, repræhendis. Cùm enim dicit, obstare virium imbecillitatem; Respondes, si id obstaret, non esse credendum magnos illos viros id latuisse: quare non id fuisse præcepturos, sed eius contrarium potius.

Addis deinde, duplicem esse imbecillitatem, per oppressionem naturę vnam, per resolutionem alteram, ac sæpè errare medicos, qui alteram pro altera accipiant. In vtraque autem iis phlebothomiam administrari, sed in priori copiosam in posteriori repetitam.

Multo autem minus omittendam phlebothomiā dicis metu agitationis, cùm eam non timuerint maximi illi Medici: nec eam vsque adeo magnam fieri, vt in pharmacia.

Tandem Donzellinum sui oblitum asseris sibi con-

tradicere. Cùm enim humorem facientem febrem pestilentem, dixerit esse furiosum, illum tamē phlebothomia nō esse agitandū dicit, sed in quiete permittēdum.

Horat. in ar te poet.

Scribendi rectè, sapere est, & principium, & fons. At nunc,

Scribimus indocti doctiq; poemata passim.

Scio Zoile cùm scriberes hanc oppugnationem, existimasse te in alijs quidem fore superiorem, in hac verò te gloriose triumphaturum. sed mihi crede vti in alijs fuisti ridiculus, ita in hac eris ridendus.

Relegauit Donzellinus lectores sui libelli ad Galeni libros, ex quibus suam de febre pestilenti sententiam desumpsit. At tu aut illos legere noluisti, aut verò non intellexisti, aut malignè, studio contradicendi garris.

Quo autem melius & clarius hæc disputatio procedat, cogor hic quædam præmittere. In primis autem dico, pestichias vocatas esse morbum epidemium, ac popularē, eodem enim tempore multos præhendit in eodem loco. dico etiam esse perniciosum, quia plures interimit. Id tu negas, cùm Brixiæ non magna vsque adeo ciuitate constanti fama feratur, paucis mensibus mortua esse hominum duodecim millia: cùm eadem die supra centum mortui sint: cùm in eadem vicinia viginti, & eo plura eodem die funera sint exportata: cùm Medici decem aut duodecim vitam cum morte commutarint.

Sed ex Brixiensibus illis medicis viris excellentissimis, qui superfuerunt, vnus scripsit, ac edidit librum contra Valdanium nostrum Veronensem clarissimum Medicum, in cuius initio scribit, febres illas passim suā ciuitatem vexasse; quæ verba docent morbum fuisse popularem. Addit deinde, vulgus cùm videret multos interire, & res eiusmodi videre non esset assuetus, valde ægrè tulisse, & conquestum esse de medicis, malè de

illis

illis ſentiens, ac ſi non iuſtam diligētiam adhiberent in cognoſcendo, & curando morbo: ita enim vulgus putaſſe, ſi medici recte illum cognouiſſent, & curaſſent, nō tam multos fore interituros: illum etiam morbum nouitatem appellat: quæ omnia declarant & plurimos eo morbo laboraſſe, & ex illis plurimos perijſſe. licet igitur aliter poſtea idem ſcripſerit, verisſimum tamen eſt morbum illum fuiſſe epidemiam pernitioſam: quas tamen peſtichias fuiſſe conſtat, & eo nomine oēs appellarunt.

Præterea dico hūc morbum ex praua victus ratione ortum habere, non autem ex vlla aeris conſtitutione. cùm n. eo potisſimum tēpore graſſetur, in quo ingēs eſt fames & annone penuria, mirum nō eſt ſi idem accidat, quod Galenus narrat initio libri de Euchymia; ſcilicet, quòd multi ob inopiam prauis cibis vtentes ægrotent. Galenus enim de prauis & corruptis cibis loquens, dicit. Tales cibos hodie quoq; vrgente fame plures coacti comedere, à putridis ac peſtiferis febribus interierunt. Tales enim cibi aut non concoquuntur, ſed crudi manent, aut corrumpuntur, aut pesſimam cacochymiam ingenerant. Si crudi manent, audi quid dicat Galenus. Maximè autem ad cacochymiam & morbos generādos facit cruditas asſidua, ſiue ea boni, ſiue mali ſucci cibos ſequatur. Liquet tamen deteriorem eſſe in mali ſucci cibis. Qui cùm bipartiti ſint: in his, qui ſuccū gignunt tenuem, morbi fiunt acuti vnà cum malignis febribus. Hæc Galenus. Quòd ſi corrūpantur: Audi rurſus Galenum quid dicat, Nullus. n. ad tātum vnq̃ dementiæ veniat (te vno Zoile excepto) vt ignoret quantum inſit in eo mali, ſi contēti in corpore humores in venenatas (ita enim vertendum eſt φαρμακῶδεις) qualitates degenerent. & alibi. At quia humores corporum, & victus prauitate erant putredini obnoxij, hinc febribus peſtilentibus origo data eſt. Si verò cacochymiam ingene-

In fine lib. de Euchy.
Initio eiuſdem lib.
1. de diff. feb. 4.

 rent,

Initio lib. de Euchy. rent, de ea ita Galenus. cùm enim plures morbos ex ea natos recensuisset, in quibus ēt fuerunt febres quāplurimæ, tandem dicit. Quibus horū nihil accidit, interiere omnes aut cum manifesta visceris alicuius inflāmatione, aut ob vehementem & malignam febrem. Per cacoethen autem febrem perniciosam & lethalem intellexisse ex eo apparet, quòd dicit, omnes interijsse. Cùm autem verisimile sit in multis fieri etiam plenitudinem 1. de diff. feb. 3. illam, quæ vires superat, de ea hæc Galenus. In altera plenitudine, quæ ratione potentiæ dicitur, citò ad corruptionem humores deueniunt, quoniam non amplius superantur, nec concoquuntur probè; cùm ea, à qua conficiuntur, vis inualida existat.

Dices tu hic fortasśis: etsi promiscua plebs & pauperes ex inopia cogātur comedere cacochyma, diuites tamen boni succi cibos comedunt, nihilominus illi etiam eodem morbo fuerunt correpti. Respōdeo, etsi diuites euchymos cibos ingerant, ita tamen sunt voraces, ita intemperantes, vt plurima scateant cruditate, hi præsertim, qui ciborum varietate vtuntur in eadem mensa, & in otio degunt. Quę autem mala sequantur cruditatem, paulo ante ex Galeno fuit dictum. vbi etiam asseuerabat non tantùm eam cruditatem esse perniciosam, quæ fit in cibis cacochymis, sed etiam euchymis.

Sed quid dicis, diuites vti cibis euchymis, cùm fructibus horarijs, oleribus, salsamentis, lacticinijs, fungis, suilla ac bubula carne, alijsq; huiusmodi se quotidie impleant, atque ingurgitent: ex qua intemperantia non tantùm cruditas, sed corruptela, pesśima cacochymia, obstructio & putredo generatur: ex qua demum venenati prodeunt humores. Eiusmodi autem viuendi ratione alij vtuntur ob animi sordes, alij ob voluptatem, alij vt bonis cibis satiati, gulæ & appetentiæ, irritamenta suppeditent. Quare si plebs ex paupertate, di-

uites ex

uites ex vitio & intemperantia eandem sibi perniciem accersunt.

Sed denuo repugnabis dicens. fames anno superiori vniuersam Italiam depopulata est. cur igitur non in tota Italia,sed paucis in locis tãtùm hic morbus viguit? Dico non ita paucis in locis pestichias fuisse molestas: nam & Venetijs, & Tridenti, & Romæ, & alijs multis in locis plurimi laborarũt. Et cùm ex vario solo, ex ventis, ex situ locorum diuerso, cibi etiam cacochymi sint magis aut minus mali, & corpora magis aut minus ad noxiam parata; ex moribus etiam & consuetudinibus, institutis ac viuendi modo, alibi alijs ac diuersis, diuersæ etiam in corporibus dispositiones oriantur, mirum non est, si non vbiq; idem morbus grassetur.

His positis, dico in pestichijs non esse secandam venam. Primò, quia in tali morbo non esset secanda nisi 1. in principio. Probo, quia postea virtus est imbecillior quam vt eam ferre possit: & quia natura postea solet ad cutim extrudere venenatam materiam, & facere exanthemata, à quibus morbus nomen accepit. erumpentibus autem papulis, nemo est, qui dicat, secandam venã, sed imitandam naturam ac cucurbitulas adplicandas. Verùm in principio, vt supra fuit positum, crudi humores sunt in prima corporis regione; qui facta phlebothomia rapiuntur ad venas, magno ægrotantium damno. & multis in locis Galenus vetuit phlebothomiam, ea cruditate existente in illis locis. vt libro Therapeutico per phlebothomiã, &, 4. de tuẽda valetudine. Idem etiã Paulus lib. 2. cap. 36. Secundò, in huiusmodi morbo 2. peccat ferè degrauans plenitudo. De qua Galenus hæc dicit. Si infesta sit degrauans plenitudo, non omnino molienda sanguinis detractio est. fieri enim potest, vt crudus per corpus collectus sit succus, in quo aduertendum diligenter est, quantum valeat robustaq;

Therap. per phleb. 6.

ftaq́; ſit virtus, & quantum humor ipſe ſit refrigeratus; nam exoluta ab id genus affectibus virtus, (nota hæc verba,) adhibita ſanguinis misſione, in extremum malum recidere ſolẽt, vt nequaq̃ poſtea reſtitui posſint. Quod vbi euenit, periculum non leue conſequitur; potisſimùm ſi febris accidat ſtatu æſtiuo, ſtomachoq́; male affecto. Hæc Galenus. Vires autem eſſe inualidas in ea plenitudine in loco ſupra citato, ex primo de differentijs febrium affirmat Galenus. cuius initium. In altera plenitudine, quæ ratione potentiæ dicitur, &c.

Cap. 9. Idem etiam in Therap. per phlebothomiã, cùm dicit. Neq; enim vbi tanta crudorum humorum copia cumulata eſt, vt ſecandam venam prohibeat, ratio redarguitur; nam iſtis virium robur non adeſt.

3. Tertiò, ex ſuprapoſitis ac ſtatutis conſtat, peſtichias eſſe morbum pernitioſum ac ſua natura lethalem. De huiuſmodi autem morbis Galenus dicit, morituros eſſe ſolis prognoſticis relinquendos, & 11. methodi. In quo enim deſperata omnino ſalus eſt, imprudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti. & paulo poſt. Verùm nos tempora præſidiaq́; his ſcribimus, quos ſeruari ſpes eſt, quãdo ægris, qui inſanabiles ſunt, ijs nec tempus vllum opportunum, nec præſidium eſt; Ergo nec phlebothomia. In comment. etiam aphoriſ. ſcribit. Nam in morbis exitialibus non modo quando ſunt ſuo vigori vicini, ſed etiam in prioribus temporibus nihil mouere oportet. Recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet attingere, ſed relinquere: & morbi finem tantummodo prænuntiare. Túne igitur Zoile infamabis auxilium nobilisſimũ phlebothomiam? tu morituros phlebothomabis?

Part. 2. aph. 29.

O caput anticyris tribus inſanabile.

4. Quartò, Galenus initio Libri de Euchymia, laudat eos Medicos, qui in illis febribus peſtilẽtibus ex deprauato

uato victu & cacochymia ortis, sanguinem non mittebant: dicit enim. Cumq; medici nonnulli paucis omnino quibusdam sanguinem mittere auderent (nota auderent) morbi initio, (si quidem non iniuria remedij huiusce vsum reformidabant, propter virium iam antea factam imbecillitatem) nulli eorum animaduerti sanguinem profluxisse probum.

Quintò, robur virium potissimum requiritur in phlebothomia, at in pestichijs desideratur: qui morbus cùm eādem originē habeat, qualē ille, de quo Galenus paulò ante dixit, Medicos illos rectè abstinuisse à phlebothomia propter virium imbecillitatem, facilè est videre de similibus idem esse iudicium. Ex alijs etiam locis ex Galeno superius adductis idem patet: in quibus dicit. In crudis humoribus, in cacochymia, in humorum corruptela, & in plenitudine grauante vires esse imbecillas, aut sanè momentaneas: quas tamen Galenus postulat validas, & in præsens, & in futurorum. Quòd si in hoc morbo occulta quædam ac perniciosa veneni vis inest, vt probatum est supra & magis adhuc infra probabitur, minime dubium est, aut esse iam debiles, aut mox futuras. 5.

Postremò, Galenus, 9. de Methodo, agēs de synocho dicit. Aufero itaq; ab homine eousq; de industria sanguinem, quoad animo linqueretur. maximum planè vbi vires valentes sunt, continentis febris remedium. id quod tum ratione tum experientia didici. 6. Cap. 4.

Cùm itaque Donzellinus in suo libello & rationes & clarissimorum Medicorum experimenta pro suæ sententiæ confirmatione adduxisset, tu tamen illis nō adquiescis: Ego itidem nouas rationes posui, quibus vel inuitus cogeris adsentiri. Donzellini experientiam ego plurimi facio, cùm annos iam triginta Romæ Illustrissimi Durantis Cardinalis Medicus familiaris, Venetijs, in

aula

aula Cæsaris, & Veronæ medicinam factitarit: & iam in medicina veteranus dici posſit, plurimosque nobilisſimos Medicos nouerit, quorum actiones & praxim diligenter animaduertit.

Cùm itaq; finis Medicinæ ſit non cognitio, ſed actio; ea verò in ſingulis verſetur, quorum iuuenes ſunt per

1. Ethic. 1. ętatem inexperti ac imperiti (vt Ariſtot. dixit) ſit etiã, vt

Eodẽ loco. ea iudicare non posſint. nam (vt idẽ docuit) vnuſquiſq; rectè iudicat ea, quæ nouit, & eorũ bonus eſt iudex. Tu verò Zoile cùm ſis iuuenis, & in ſingulis nondũ ſis verſatus, ea non potes cognoſcere, quare neq; iudicare.

6. Ethic. 9. Omnes etiam in medico prudentiã requirunt: at eam eſſe in iuuene Ariſtoteles negauit, cuius rationem asſignans, dicit. cauſa hæc eſt, quòd etiã in rebus ſingularibus prudentia verſatur, quarum cognitio vſu comparatur. Adoleſcens verò vſum rerum non habet, quippe quem temporis longinquitas ſit allatura. Rurſus audi

Cap. 8. quid Ariſtot. dicat, 6. Ethicorum. Neque verò rerum vniuerſarũ modò prudentia eſt, ſed debent ei notæ eſſe etiam res ſingulares. Ad agendum verò idonea eſt. In rebus ſingularibus autem omnis actio verſatur. Itaque tum hic nonnulli inſcii ſunt ad agendum ſcientibus aptiores, tum in alijs rebus ij, qui ſunt vſu periti. Nam ſi quis ſciat carnes leues eſſe ad concoquendum faciles, & ſalubres, leues autem quæ ſint ignoret, bonam valetudinem non efficiet, ſed potius efficiet, qui ſcit auium carnes eſſe leues & ſalubres;

Prudentia autem in agendo poſita eſt.

Danda igitur opera eſt, vt vel vtranque cognitionem habeamus, vel hanc potius quàm illam.

Audis Zoile q̃ magnifacit Ariſtoteles experientiam?

Arrige aures obſecro, nam video te aliquanto ſtupidiorem.

Sed initio etiã ſuæ metaphyſicæ clarius adhuc tuam arrogantiam

arrogantiam retundit. qui cùm sis iuuenis, senibus & expertis uis præferri. Sed audi Aristotelem; Ad agendum itaque nihil videtur experientia differre ab arte. Quinimo videmus expertos magis id quod intendunt consequi, quàm illos qui rationem sine experientia tenent. Causa verò est, quòd experientia singularium, ars verò vniuersalium cognitio est, actiones autem ac generationes omnes sunt circa singularia. Non enim hominem, sed Calliam & Socratē sanat, qui medetur. si quis igitur rationem absq; experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autem sub eo particulare est ignoret, sæpenumero errabit à sanando. Tu igitur Zoile neq; prudens, neq; expertus esse potes cum sis iuuenis, sed tui officij fuerit prudentibus ac expertis auscultare. Solus & artifices, qui facit vsus erit.

Rectè igitur ille, qui dixit. Difficile admodum est benè confidere in Medico iuuene non experto.

Aristoteles in sua Rhetorica dixit, humanum corpus à trigesimo anno ad trigesimum sextum vigere: intellectum verò vim suam maximā obtinere anno quadragesimo nono: septenario scilicet climacterico. Scalariū autem annorum magna semper apud doctos viros fuit authoritas. quare, cùm tu sis iuuenis, multùm adhuc tibi potest crescere intellectus; ac tantum tibi deesse putes, quantum ab illius fatalis anni perfectione per ætatem es remotus.

Sed iam tuas rationes expendamus, & ad lapidem lydium illas adfricemus ueritatem scilicet; videamusq; sint ne aureę, an argenteæ, vel potius orichalcum referant, qđ Aristoteles in elenchis, de paralogismis dixit.

Primò statuis, tollendam esse multitudinem, vt tollatur obstructio, & putredo cōsequi possit à natura supra residuum fortiore. Optimè sanè ratiocinaris Zoile; sed eorum in censu mihi videris numerandus, de quibus

Aristoteles dixit, Ad pauca respicientes de facili enunciant. Tu vis videri theoricus & practicus, sed mihi crede, tu es generis neutri. Ne fiat phlebothomia obstat virium imbecillitas, obstat etiam cruditas humorum in prima corporis regione, vt supra fuit demonstratum: quibus præsentibus nemo aut veterum aut recētiorum voluit venam secari. Non enim sola indicantia, sed & contra indicantia Galenus iubet obseruari. Tu verò illa non potuisti peruidere, quia, sub pectore læuo

9. Metho. 10.

Nil salit Arcadico iuueni.

Secundò dicis Donzellinum pugnare cum sapientissimorum hominum, quos nominas, sententia. Respondeo, meliorem eorum partem, cùm iubēt venam secari, loqui de præseruatione, vt Paulus, Aetius, Rufus, & alij multi: qui autem de curatione intelligūt, illi omnes supponunt pręcepta generalia alibi tractata, quorum illud potissimū est, quòd in phlebothomia virium robur requiritur. Nos autē supra ostendimus, in pestichijs vires esse labefactatas. At tu dicis, si in hoc morbo vires essent debiles, tam graues viros id non latuisset; quare phlebothomiam non pręcepissent, sed potius vetuissent. proculdubiò illud sciuerunt, & vti supra audiuisti ex initio libri de Euchymia illi Medici propter imbecillitatē virium à phlebothomia abstinebant, & Galenus eos laudat. Quòd si id quod in præcepto generali fuit dictum, id semper in singulis capitibus non repetunt, intelligi tamen volunt, etsi vniuersalia semper singularibus non adcommodant. Aliquid enim putant relinquendum lectori, quod suo marte debeat intelligere.

Vides Zoile tuas cogitationes esse insomnia vigilantium, vt Aristoteles solebat appellare: insomnia inquā, non quæ per corneas, sed per eburneas fores transmittantur ac euolent.

Præterea controuersia nostra est de febre pestilenti, quæ est

quæ eſt citra peſtem, & non ex aere, ſed ex victu deprauato pendet, & peſtichiæ appellantur. At authores à te adducti loquuntur de febre peſtilenti, quæ eſt in peſte ex aere, non autem de peſtichijs. Quare nihil ad rem faciunt, quæ dicis.

In ea verò parte mihi videris admirabilis, vbi egregiè de duplici virium imbecillitate philoſophatus, dicis, te valde vereri, ne Medici ſæpè errent in diſcernenda virium debilitate, quæ fit per oppresſionem ab ea, quæ fit per reſolutionem. Id verò puto te dixiſſe & cognouiſſe, quia fortasſis illud tibi iuueni inexperto ſæpe vſu venit, vt in eo hallucineris. Cùm alijs doctis & exercitatis minimè contingat: quibus promptum eſt alteram ab altera internoſcere.

Tu igitur ex hac tua ſubtili ſpeculatione vis colligere, in peſtichijs curandis errare eos medicos, qui ideo abſtinent à phlebothomia, quia putant vires eſſe imbecillas per reſolutionem, cùm tales ſint propter aggrauationem ac multitudinem, quæ per te tolli debet per venę ſectionem.

Quaſi verò coniungi non posſint duæ hæ virium imbecillitates, & dè facto coniungantur in hoc morbo. Cùm enim praua materia ſit cumulata, quę facit plenitudinem ad vires, & ita vnam imbecillitatem, ex ea etiã ſequitur altera. Nam cùm materia, quæ grauat, non ſit bonus ſanguis, ſed prauus humor membris ingratus, ſequitur partes eſſe reſolutas, tum ex continua coloris naturalis actione, tum etiam ex vi morbi.

Ac ita vtraque imbecillitas coniungitur, ut in hydrope ac alijs morbis, in quibus & mala & copioſa materia eſt collecta. quæ uti multa facit imbecillitatem per aggrauationem, uti uerò mala cùm non ſit alendis partibus idonea, alteram facit imbecillitatem per reſolutionem.

Est præterea tertia causa debilis uirtutis, quæ est pernicies, mala qualitas, ac venenũ, quo vires omnes prosternuntur, & spiritus corrumpũtur, ac cor potissimum male afficitur.

Quare facile est videre, nisi quis sit talpa cæcior, in hoc morbo triplicem esse causam imbecillitatis virium; si rectè superius dicta expendantur: quare qui sanguinem mittit, iugulat ægrotantem, vt supra nobis dicebat Galenus. Ego profectò valde vereor, ne sit necesse vt tibi secetur vena, iuxta illud Satyrici.

Therapeu. per phleb. 6.

Currite iam Medici, mediam pertundite venam.

Ex qua scilicet fluat sanguis è cerebro melãcholicus.

Ad Critonis historiam, dico, si vllo vnquã casu à phlebothomia fuit abstinendum, in hoc maxime fuisse, si Galeni doctrinã sequi velimus. Primo, quia in eo fuit plenitudo vires grauans, vt ibi Galenus dicit: quam totam cùm natura à principibus partibus non potuerit ad pedẽ extrudere, ea regurgitauit ad caput: deinde fuit maligna & cacoethica, vt Galenus docet & tu fateris: quis ergo dubitat vires initio ita fuisse iuualidas, vt nullo pacto phlebothomia conueniret? Deinde morbus fuit ab initio lethalis; aut igitur Hippocrates rudis, qui illum non cognouit, aut si cognouit soli prognostico fuit relinquendus. lethalem fuisse illud docet, quòd secunda die hominem interfecit. Quare si Galenus sua præcepta vult esse rata, cogitur fateri, in eo casu nequaquã faciendã fuisse phlebothomiam. Nulla igitur fuit causa, cur Hippocratem reprehenderet.

Multò verò rationabilius quis mirari potest Galenũ: qui dum Hippocratem vult excusare, dicit, illum non semper initio morbi fuisse accersitum, sed morbo iam progresso. Ego libenter interrogarem Galenum, quid per morbi initium intelligat. Ipse enim triplex fecit morbi principium, pro primo morbi insultu; pro primis tribus

1. de cris. 6. 7. 8.

bus diebus;& pro ea morbi parte, in qua morbus adhuc est crudus. In historia Critonis, si vult excusare Hippocratem, quia non fuit à principio vocatus, de primo insultu non intelligit, quia nemo Medicum vocat nisi post illum insultum, qui est momentaneus. De secundo etiã minus intelligit, quia in eo fuit vocatus, at excusatio dicit, illũ non initio, sed progresso iam morbo, puta in augumento fuisse accersitum. Criton autem mortuus est secunda die; ergo in principio fuit vocatus, non autem progresso iam morbo. De tertio aũt principio non potuisse illũ intelligere, patet, quia citò mortuus est, materia cruda, & ita non euasit illud tertium principium.

Deinde non video quem locum habeat Hippocratis repræhẽsio, quam facit Galenus; nam illa supponit, Hippocratem fuisse vocatum in principio, & tamen postea dicit, illum venisse progresso iam morbo; quæ verba significant augumentum. Sed hoc etiam falsum est, nam Criton mortuus est in principio siue secũdo, siue tertio modo accepto. nullum igitur locum habet neque accusatio, neque excusatio Galeni, imo falsa est in hac saltem Critonis historia.

Vides Zoile tuam inscitiam. Tu arripis verba, res autem non consideras. Id verò accidit, quia tu neophytus es in medicina, & etiam quia,

Frigidus obsistit circùm præcordia sanguis.

Dicis postea, cùm vires imbecilles sunt ex oppressione, copiosam phlebothomiam esse faciendam. O Zoile, quis vnquam à te tam absurdam vocem expectasset?

Ite malam venti celeres dispergite vocem.

In oppressione virium ob multitudinem boni sanguinis, iubet quidem Galenus copiosam phlebothomiam administrandam. At vbi vires oppressæ sunt à multo quidem, sed cruda, cacochyma, maligna materia, vt in hac febre supra probatũ fuit, Galenus dicit hæc verba.

Exoluta

Exoluta enim ab id genus affectibus virtute, si mittatur sanguis, in extremum malum recidunt ægrotantes, vt nequaquam postea restitui possint.

Quid verò tibi in mentē venit Zoile, cùm negas, phlebothomiam nō agitare sanguinem in venis? imo maiorem à pharmacia, quàm à phlebothomia fieri humorū agitationē? In te profectò quadrat illud poetæ carmen.

Furor arma ministrat.

9. Metho. 4 Galenus recitat, facta phlebothomia in illo iuuene, qui synochum patiebatur, statim secutam esse alui relaxationem, vomitum, sudores copiosos. Quòd si dices id verum esse in phlebothomia ad lipothimiā facta, in alijs nequaquam. Respondeo, etsi nō tanta fit, fit tamen pro
11. Meth. ratione sanguinis euacuati. Idem etiam dicit, phlebothomia ventilari sanguinem, ob motum humorum aperiri obstructiones, in phlebothomia seruādam esse rectitudinem κατὰ ἴξιν, vt motus sanguinis fiat ad partē opportunam & à parte læsa: quæ omnia hominibus non prorsus stupidis declarant, magnam per phlebothomiā in sanguine fieri agitationem; Tu solus in media luce palpas tenebras Zoile.

Quod verò dicis in pharmacia, quàm in phlebothomia magis agitari humores in venis existētes: (etsi hæc comparatio nihil ad rem nostram facit) respondeo, si de veterum medicamentis validissimis ac elaterijs intelligis, fieri fortasse potest, vt verum sit, quod dicis. Sed si idem intelligi vis de nostris, quibus quotidie vtimur, correctis & castigatis, aut per se clementibus ac benedictis, nego & pernego, ac tu turpiter hallucinaris.

Postremo dicis, Donzellinum sui oblitū esse, qui cū dixerit materiā pestichiarū esse furiosam, postea illā dicit nō esse phlebothomia agitandā. Vsq; adeo'ne es tam perfrictæ frōtis, vt tam inuerecūdè audeas loqui de viro, quem oēs, qui illū norāt, amant, colūt, ac venerātur?

Galenus

Galenus comment.2.aphorismo, 29. dicit, circa initia eorum morborum, in quibus speramus ægrotũ conualiturum, tentandũ est afferre maiora remedia, de quibus Hippocrates dixit, si quid videtur mouendũ moue. Sunt autem hæc, maximè quidem venæ sectio, nonnunquam verò & purgatio. postrema hæc verba de materia turgente omnes interprætantur, & ita interprætandum docent Hippocrates & Galenus aphoris.22.& 24.primę particulæ. Galenus etiam alibi docet morbum quemlibet salubrem oportere decurrere per quatuor tempora. Ex his colligo, cùm materia in morbo acuto furit, nõ totam furere, sed eius partem tenuiorẽ tantùm & acriorem & calidiorem; reliquam verò, quæ morbum quidẽ facit, sed non adeo ferox est, quietam in suo foco ac loco permanere. Alioqui sequeretur, euacuata per pharmacum turgente materia, in ipso statim principio morbũ salubrem terminari. quod absurdum omnino dictu est. Idem etiam & Hippocr.& Galenus voluerũt. Hic enim dicit aphoris. intelligendũ esse de his, qui seruari debẽt, cùm dicit, in principio morborum, si quid videtur mouendum, moue; in vigore autem quietẽ seruare melius est. Ecce hic volunt initio materiã euacuari, quæ scilicet furiosa est. Reliquæ autem coctionem expectari, donec per sua tempora absoluatur. Cùm igitur Donzellinus dixit, pestichiarũ materiã esse furiosam, verè dixit; de ea parte intelligẽs, quæ in motu est, furit & agitatur. Idem etiam dixit, non esse quiescens venenum agitandum; de reliqua intellexit, quę reliqua morbi tempora facit, & quieta manet vsq; ad concoctionem & morbi finem, quam ipse antidotis absorberi, discuti, alterari aut à natura adiuta antidotis euacuari, & è corpore tãdem superatam vult exturbari.

1. de cris. & de toti9 mor. t.

Vbi hic est cõtradictio Zoile? eam Aristot. in Elẽchis uoluit esse eiusdem ad idem, eodem tempore & modo.

Verùm

Verùm tam craſſum tibi eſt cerebrum, obtuſumq; ingenium, vt iſta non intelligas.

Quare tibi amice conſuluerim, vt te traderes in Pythagoreorum diſciplinam ac ſcholam, in qua per quinquennium ſileres, interimq; operam dares non tantùm philoſophiæ & medicinæ, quarum omnino es rudis: ſed multò magis grammaticæ. nam facile apparet, te in ea quoq; parùm profeciſſe, vt tua ſcripta non tantũ Cleanthis, ſed ne Scopæ quidem, Cantalicij aut Mãcinelli lucernam ne minimum quidem redolere videantur.

Oppugnatio ſexta.

DOnzellinus affirmat, Galenũ 11. Methodi docere curationem febris putridæ, in qua ſimplex tantùm eſt putredo; non autem qualitas venenata ac peſtilens. Id falſum eſſe pluribus tu rationibus probare contendis.

Prima febris peſtilens non differt à reliquis putridis niſi magnitudine & excellẽtia putredinis. ergo qui tractat de omnibus putridis, agit etiã de peſtilentibus, quę eiuſdem naturę ſunt cum illis.

Secunda ſuperfluum eſt putredini addere qualitatẽ venenatam, cùm ſola putredo ſufficiat ad hominem interimendum: eſt enim via in corruptionem & mortem. Si igitur venenum illud eſt ſomnium, in peſtilenti febre ſola eſt putredo, ergo qui agit de putridis agit etiam de peſtilentibus.

Tertia eædem cauſæ & eadem curatio cõuenit & putridis & peſtilentibus, ergo Galenus in eodem libro de illis egit, cauſæ ſunt humorum multitudo, craſſities, lẽtor, prohibita tranſpiratio. Curatio verò concoctio, euacuatio, ventilatio. Quæ omnia tam his, quàm illis videntur conuenire.

Dicis poſtea, duplicem eſſe putredinẽ, vnam quæ fit ex dictis

ex dictis nunc causis internis: alteram verò, qua aer inquinatus, corruptus, ac venenatus per inspirationẽ cor inficit, & tanquam veneno vitiat ac labefactat. De priori illa omni actũ esse in 11. methodi, de posteriori verò in fine decimi pollicitum esse Galenũ, se peculiari quodam libro tractaturum. Quare errare Donzellinum, qui febres pestilentes ex causis internis, & pestilẽtes ex aere venenato in eodem genere posuit.

Incidit in foueam præceps quam fecerat ante.

Etsi in omnibus alijs tuis dictis inscitiam tuã plus satis patefecisti, in hac tamen oppugnatione longè magis. Tu nihil aliud crepas quàm tuum illud, pestilens qualitas non differt à communi putredine nisi vehementia, magnitudine aut excellentia, maioris tandẽ ac minoris ratione. Hoc certè fuit Galeni dictum, sed à te prauè vt reliqua omnia intellectum. Neq; enim Galeni sententias ponderas, sed numeras tantùm, & per transennam, aut vitrum contemplaris.

Ego Zoile statuo, vehementem putredinem esse venenatam qualitatem, idque ex Galeni sententia. Id tu negas. At ego vi rationum eò te compellam, vt velis nolis illud fatearis. quinimo ex tuis verbis te conuincam. Quò verò omnis tibi tollatur tergiuersandi occasio, & quoniam insignem in te video ingenij crassitiem, animiq; stuporem, clarioris doctrinæ causa, triplicem facio febrem pestilentem. Prima pendet ex victu deprauato, cacochymia & causa interna. Secunda ex aere corrupto & pernitiosa qualitate infesto. Tertia ex vtraque causa originem dicit. de quibus omnibus Galenus agit initio libri de febrium differentijs. Cap. 4. In omnibus hisce generibus febris pestilentis non solam putredinem, sed deleteriam ac venenatam qualitatem esse dico; idque firmissimis rationibus sum probaturus.

Febres pestilentes primi generis ex cacochymia &

causa interna sunt illę, de quibus meminit Galenus initio libri de Euchymia. Illæ item quas nominat libro de differen. febrium primo, dicens. Fit enim & aliquando ob eos, qui sunt in corpore humores, ad putrescendum paratos, cùm breuem aliquam occasionem ad febris originem ab ære ambiente acceperit animal.

Secundum genus intelligit eodem in loco, cùm dicit, magna aũt ex parte oritur febris pestilens ex inspiratione aeris circũstãtis à putrescibili euaporatione infecti.

1. de febr. differ. 4. Tertij autem generis illa fuit, quam Thucidides descripsit. Nam vt Galenus inquit, vtraq; causa & interna & externa illam genuit. Priorem enim causam notat Galenus, cùm dicit; At quia humores corporum ex victus prauitate erãt putredini obnoxij, hinc febribus pestilentibus origo data est. Externam verò & alteram causam ponit, cùm dicit. Fortè autem per continuum ex Aethiopia quædã putredinis fluxere cõtagia, ijs, quorũ corpora erant ad patiendũ parata, febriũ causæ futura.

In hisce omnibus antequam demonstrem esse perniciem venenatam, in primis explico, quid sibi velit Galenus cùm nominat putredinem excellentem, validã, magnam, vehementem. Galenus 6. de locis affectis: primo de febriũ differentijs, 6. Epidem. 3. de præsagio pulsuũ, vbi agit de vehemẽti humorum corruptela, etsi semper eius causam faciat putredinem, non obscurè tamen declarat, per insignem illam putredinem se intelligere venenum. Vt cùm agit de concreti sanguinis grumis: vbi grauia ac pessima symptomata recensuit, quæ sequũtur sanguinem in grumos conuersum, admirabundus dicit. Vt mirari aliquis possit, quæ nam sit huius euentus causa. Quippe cùm omnium, quæ in corpore sunt, sanguis maximè sit familiaris, quomodo ex suis vasis effusus, tãti mali authorem se præstet, vt & putredo partiũ & mortificatio ipsum sequi possit. Cùm itaque numerata su-

pra ab

pra ab ipso symptomata ipsi Galeno digna admiratione videantur,& manifestè venenum demõstrent, illud tamen putredinis nomine Galenus appellauit.

In venenum autem verti thyrumbos, illud etiam docet, quòd eodem in loco Galenus puris mentionem facit, à quo tamen nulla grauia symptomata facta esse dicit. Hic itaque putredo Galeno venenum significat.

Cùm verò Galenus agit de vterinis affectibus, & ea symptomata recenset, quæ sequũtur menstrui aut seminis corruptelam, apertè docet, illa in venenum verti. Alioqui locum non haberet illa quæstio, an spõte in nobis gigni possit talis corruptio, vt lethalibus venenis æqualem aut similem vim & qualitatem habeat.

Illic tamen Galenus perpetuò putredinem nominat, sed quam ita interpretatur, vt apertè velit per eam venenum intelligi. putredinem autem vocat, quia ab ea initium habuit corruptela & venenum; Excellens igitur putredo illi est venenum.

In duobus verò illis locis vbi per excellẽtiam putredinis, febres pestilentes à reliquis differre dicit, sine cõtrouersia loquitur de pestilenti febre & putredine, quæ fit in pestilentijs ex aere corrupto & contaminato, ac vt tu etiam appellas, venenato. Nominat enim Atheniensem à Thucidide descriptam, quam dicit ex Aethiopia per continuum aerem fuisse delatam: & diuturnam illam ac magnam suæ ætatis pestilentiam. Tu verò etiam fateris febres pestilentes ex aere contaminato esse venenatas. igitur si Galenus illic vocat excellentem putredinem, quæ fit in illis febribus, necessario sequitur per eam intelligere venenum.

3. de præsag. pulf. 6. Epidem. 1.

Idem etiam Galenus primo de feb. differ. cùm plures pestilentias recensuisset, tum quas ipse vidit, tum quas Hippocrates descripsit, tãdem dicit. Eorum aũt summa Cap. 4.

& cephaleon, vt ipsemet Hippocra. ostendit, erat putredo. De pestilẽti autem aeris statu in eodem capite, hæc dicit Galenus. In pestilenti verò aeris statu inspiratio potissima est causa. Item. Magna autem ex parte ex inspiratione incipit aeris circunstantis à putrescibili euaporatione infecti. Illam autem infectionem paulopost dicit ex lacuum, paludum, stagnorum aut cadauerũ eua-
Cõmen. 4. poratione prodijsse. Hanc verò euaporationem, 2. de natura humana, dicit; totius substantiæ proprietate, nõ simplici aliqua qualitate nostra corpora vitiare. Quę autem totius substantiæ proprietate nos lædũt & corrumpunt deleteria sunt & venenata. Paulus etiã cùm lib. 2. cap. 35. nominat putredines pestilentes intelligit venenatas. tum Galenus ad Pisonem, dicit; pestem vti ferã furere, ac nos per anhelitũ trahere vim deleteriam. Igitur de primo ad vltimum sequitur, illud cephaleon ad quod omnia, quæ in pestilentijs contingunt, Galenus & Hippocrates redigunt, putredinẽ scilicet, esse venenũ. Et cùm dicit, hanc putredinẽ ab alijs differre per excellentiam, hanc excellentiam constat iam clarius luce meridiana, esse pernitiem ac venenũ. Si modo quis in Galeni & Aristotelis consequentijs tractandis sit educatus ac institutus. Tibi verò qui Petri Hispani, Pauli Veneti, aut Tartareti consequentias tantùm nosti, fortassis aliter videbitur. Sed talpa cæcior est, qui hæc non videt.

Pręterea Galen. in fine 10. de methodo dicit, se in alio libro acturũ de hecticis pestilẽtibus, & de putridis pestilentibus. cùm aũt in eo Libro diligenter sit persecutus ea omnia, quæ pertinent ad exactam earum hecticarum considerationem, quæ à simplici qualitate pendent; certum est si alibi de hecticis est disputaturus pestilẽtibus, id nõ alia de causa facturum, nisi quia vltra caliditatem secum adiunctam habent venenatam pernitiem. ergo cùm de putridis diligenter tractarit in vndecimo, non

alia ratio

alia ratione nouum de pestilentibus putridis tractatum pollicetur, nisi quia illæ supra putredinē includunt venenum, vt etiam hecticæ.

Dices, fateor pestilentes putridas ex aere in pestilentijs, venenum continere. Cui dubium. At qui de illis loquitur Galenus, cùm dicit, illas differre ab alijs putredinis excellentia. Illa igitur nihil aliud est q̃ venenum.

Iam verò demonstremus in omnibus generibus feb. pestil. supramemoratis inesse hoc venenum. In primo genere, qd' fit ex victus prauitate, illud reperiri, docet Galenus initio Libri de Euchymia: vbi de illa pestilentia, quæ nō ex aere, sed ex cacochymia originem duxit, scribit in hunc modum. Nullus vnquam ad tantum dementiæ venit, vt ignoret, quātum insit in eo mali, si contenti in corpore humores in venenatas qualitates degenerent. Vertendum autem esse venenatas, & non medicamentosas (vt interpres) ex proximè sequentibus patet. & Galenus. 6. de locis affectis cap. 5. per pharmacodes intelligit venenatos, & ita vertit interpres ter aut quater, quatuor tantùm aut quinq; versuum spacio infra ea verba, quę incipiunt. Reliquum est, vt inuestigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit tam vehemens &c.

In Libro etiam de Theriaca ad Pisonē, in historia de Mithridate sexies vtitur ea voce pharmacū pro veneno.

Eandem etiam Galenus in eo initio Libri de Euchymia tractat quęstionem, quam & in 6. de locis affectis disputauit, de venenis, & de sympathia & antipathia rerū, quæ nullum haberet locum, nisi existimasset ex illa cacochymia, vnde orta fuit illa pestilētia humores in perniciosam ac venenatam qualitatem fuisse mutatos.

Dicit etiam in eo loco, febres illas pestilētes fuisse lethales vt omnes ex illis interirent; quæ manifestum venenum demonstrant. Vocat etiam Galenus eodē loco

eas febres

eas febres pestilentes, cacoethes, quam vocem supra indicauimus Galenum & Hippocratem accipere pro lethali, pernicioso ac venenato.

Secundum verò feb. pestil. genus ex aere scilicet, esse venenatum & tu fateris, & supra à nobis fuit demõstratum. Quare cùm tertium genus ex illis duobus constet, quale fuit Thucididis pestilentia, & ea, quæ Galeni ætate diu grassata est, quæ idea illi fuit similis (vt inquit Galenus) patet hoc etiam genus esse venenatum.

Sed iam ad nostram cõclusionem accedamus, quam cùm Donzellinus veram, tu falsam dicis. In vndecimo scilicet methodi non tractare Galenum febres pestilentes, sed tantùm simpliciter putridas. Hanc autem etsi Dõzellinus in suo libello satis ꝓbauit: ego quoq; nouis rationibus probandã puto, anteq̃ tuas rõnes dissoluã.

Febres pestilentes cuiuscunq; illæ sint generis præter putredinem adiunctam habẽt perniciosam qualitatem (vt supra probatum fuit) hoc autem Galenus in eo libro nunquam nominauit: ergo de illa nihil cogitauit. Cùm enim illa qualitas peculiarem scopum faciat in curatione, de ea non fuit silendum.

2. Galenus in fine vndecimi de Methodo promittit, se scripturum alium librũ de febribus pestilentibus. Certum est aũt illum librum non esse vndecimũ, dixisset. n. in sequenti libro se de illis acturũ: & cùm dicat in eodẽ se disputaturum de febribus colliquantibus, & hecticis pestilentibus, de quibus nõ egit in vndecimo, aliũ omnino librũ ab eo diuersum intelligit: neq; enim verisimile est si Galeno propositũ fuisset agere in vndecimo de febribus vllo modo pestilẽtib. quin eo in loco illud dixisset. sequitur itaq; & in alio lib. illum de eis disputasse, & in vndecimo nequaq̃. Dicis tu, in vndecimo egit de pestilentib. ex causa interna, in illo alio verò de pestilẽtib. ex causa externa. Sed cùm Galeno nota fuerit hæc distinctio,

ſtinctio, quare generaliter dixit de febrib. peſtilẽtib. ſine vlla diſtinctione? Artem diuidendi optimè nouit Galenus; nec verba illi defuerunt, quibus ſuam ſententiã explicaret; vir alioqui loquaciſsimus & plus ſatis facũdus.

Si Galenus in vndecimo egiſſet de febrib. peſtilentib. ſuperuacaneus omnino fuiſſet ille alius liber, quẽ ꝓmiſit. Cùm.n. per te de illis egerit, quæ pẽdent à cauſa interna, illæ autem, quæ fiunt à cauſa externa, per Galenũ à te citatum & interpretatum ab alijs nihil differãt niſi per excellentiam putredinis: ſequitur neceſſariò, per te Galenum egiſſe de omni febre peſtilenti: in quo tamen ne verbum quidem fecit de tali febre. Dices fortasſis, Galenum partitum eſſe duo illa genera febr. peſtilent. & in vndecimo egiſſe de priori, in illo alio verò de poſteriori. Id paulò ante refutauimus. ſed nunc denuò dicimus, in fine 10. Galenũ polliceri librũ, in quo agat de omnibus febribus, quæ in peſtilentijs contingunt. At in peſtilentia Thucididis, & in illa magna, quæ fuit Galeni tẽpeſtate Atheniẽſi idea ſimili, & in ea etiã, quę deſcribitur initio libri de Euchymia, febres fiebant ex cauſa interna. ergo in eo de illis egit. ergo nõ in 11. vt tu dicis. 3.

Præterea, ſi per te febris peſtilens vtriuſq; generis nil aliud eſt quàm excellenter putrida. ergo de illis vtriſq; egit in vndecimo. ergo alter inutilis. Sed quia putrida ſimplex ſiue euithes, & putrida cacoethes ſunt diuerſæ: Ideo Galenus præter vndecimum in quo de ſimpliciter putridis, peculiarem pollicetur de peſtilentibus, quemadmodum etiam de hecticis diximus.

Vides Zoile quàm ineptus ſis ratiocinator, & quam perfunctoriè Galeni dicta legas, & perperam intelligas, ac falsò interpreteris? Tu facis hyſteronproteron, qui vis docere, antequam diſcas.

Iam verò tempeſtiuum eſt, vt tuas illas diuinas rationes penſitemus ac diluamus. Id verò tam facile fuerit,

vt non

vt nõ manibus, sed pedibus potius illas simus soluturi.

Primæ illius consecutio negatur. Probatio verò inanis est bulla. Nam diuersam esse earum naturam supra demonstrauimus.

In secunda verò quod dicis, superfluam esse qualitatem venenatam, cùm sola putredo sufficiat ad mortem ac perditionem. Idem est ac si diceres, in bello necessariæ non sunt bombardæ, quia gladij sufficiunt ad homines interimendos. & in ciuitatibus necessariæ non sunt cruces, patibula ac suspendia, nam secures ad delinquẽtium necem sunt satis. Confundis Zoile cum putredine corruptionẽ, ac si via alia nulla sit ad interitum q̃ putredo. quasi nihil deterius homini accidere possit q̃ putredo. Corruptionem Aristoteles genus facit, putredinem verò speciem. Quę enim putrescunt corrumpuntur, non contra. Nam ligna, quę cremantur, non putrescunt. Quare putat ille, res oẽs interire & corrũpi, aliàs sensim dissoluta tẽperie, inductaq; putredine: aliàs tota illius substantia ab externis quibusdam causis offensa.

4. Meteor.

Frequentissimę sunt apud Galenum hę duę voces, σηπεδὼν, & διαφθορὰ. putredo scilicet & corruptela. leuius malum est putredo, quàm corruptela. putredo frequens est & quotidiana, à qua etiam facile homines releuantur. At corruptela cæcam habet perniciem ac venenum, mortemq; affert vt plurimum. Tu nihil in homine cogitas putredine deterius: At Galenus διαφθορὰν longè deteriorem facit: Si enim putredo est via ad corruptionẽ, hæc ipsa est corruptio; & illa facile inhibetur, hæc verò nequaquam. Quare à tua illa erronea opinione iam resipisce. neq; enim qualitas illa venenata vana res est, sed quæ præter putredinem, sæpius quàm putes, homini accidat. Quare non sequitur (vt vides) qui egit de putridis egit etiam de pestilentibus. Est enim pernicies illa ex putredine vlterius ꝓgressa, ortum iam venenum

nenum, quod etiam ſine illa oriri poteſt.

Ego profectò puto te voluiſſe Hippocratici nomen tibi comparare, cùm dicis, in febribus peſtilentib. à cauſa interna nõ eſſe venenum, idem eſt enim ac ſi negares illas eſſe peſtilentes: ac omnes morbos communes iudicares eſſe ex aere. Sed quid Galenus contra Hippocratem ſcripſerit 1. Epid. & 2. de natura humana lege. Qui vnam putredinem epidemiorum, peſtilentium, contagioſorum & venenatorum morborum cauſam eſſe contendunt, maximis tenebris inuoluti, omnia permiſcent atq; perturbant. Vt qui inueſtigandi ſolicitudine abiecta, vehementisſimos quoſq; morbos, nullo delectu vel ad plethoram, vel ad cacochymiã, vel ad obſtructionẽ, proximè verò ad plenitudinẽ, quæ ex his genita ſit referunt. Non aliud q̃ has cauſas totã diem illos audias intonare ac crepare, ita ſanè rumpantur vt ilia Codro. Magna certè pernities ac deleteria plerunq; hominem rapit, alijs quàm eiuſmodi cauſis inquinatum. Breuis certè & compendiaria, ſed periculoſa nimis iſthæc medendi ratio, quæ ſolas putredinis cauſas animaduertit. Verùm vſq; adeò te oblectat, tenet, ac demulcet hęc putredo, vt nihil aliud quàm putredinem ſpires.

Sed ſimiles habent labra lactucas.

Quæ verò in tertia tua ratione dicis, locum habent in putrida ſimplici. verùm in peſtilenti, in qua ineſt venenum (vt ſupra demonſtratum fuit) feſtinãdum omnino eſt, & accommodatis antidotis venenum extinguendũ, conſumendum, reprimendum eſt. Alioqui naturam deſtruit, corrumpit, demolitur, interficit, vt cuiuis notũ eſt, qui modo non ſit in arte medica neophytus, ſed veneni vim ac naturam norit. Quòd ſi hic etiã putas incidendum, attenuandum, aperiendum, euacuãdum, concoquendum: nònne ſummopere laudanda eſt Donzellini ſententia, qui Theriacam exhibet, quæ hæc omnia

Ad Pamphilianū.

excellentissimè præstat? præterquam quòd venenū absorbet, vt Galenus dicit; sanguinem Theriaca bonum reddit, non quia malam eius qualitatem excernat; sed quia eius cōtumaciam vincat, & ex inimica amicam faciat. Lege caput 15. libri de Theriaca ad Pisonē, videbis quater ab eo repetitum, Theriacam dissecare. (ita enim legendū est, non desiccare, vt textus latinus dicit) attenuare, diuidere, obstructiones aperire, & mellis ac aliorum plurium ratione concoquere; aliaq; omnia facere, quæ tu toties inculcas facienda. Quare vnico auxilio facit Donzellinus, quod tu non potes etiam si centum tibi dilectos syrupos, electuaria, cōfectiones, decocta, iulebos, fomēta, epithemata, emplastra etiam, & cataplasmata adhibueris. vel si omnes pixides, vrceolos, ac ollas pharmacopolarum euacuares. Sed stolido non sapit ista seges. Quod itaque dicis eandem curationem vtrisque cōuenire, hallucinaris. falsum enim supponis, quòd scilicet eiusdē sint naturæ & similes. At supra demonstrauimus, illas esse diuersas ac dissimiles. Et pestilens qua pestilens est longè aliam curandi rationem atque auxilia postulat ac requirit, vt ex dictis patet videntibus, non autem cæcis, vigilātibus, non autem alto veterno oppressis.

Postremò asseris, cùm duplex sit putredinis causa, altera interna, externa altera, de omni interna egisse Galenū in vndecimo, de externa verò in alio tractatu. Supra euicimus firmissimis rationibus, in illo tractatu Galenum compræhendisse omnes pestilentes, quæ tribus generibus continebantur. In vndecimo verò de simplici putrida tractasse. quare non Donzellinus, sed tu erras, qui confundis genera diuersa, cùm ipse prudenter & artificiosè ea separarit.

Scio Zoile, me canere fabulam surdo, sed qui sordidus est, sordescat adhuc.

Vnicus

Vnicus tibi cuniculus remanet, ac latibulũ, in quo te tantisper abdas ac tuearis, quominus te iugulet Dõzellinus. Cùm enim nostra controuersia sit de pestichijs, quas Donzellinus vocat febres pestilẽtes citra pestem: & quatenus separantur à peste, quartum febr. pestilent. genus dici potest, licet vt primum fiat à causa interna, Tu hic dices, de hoc saltem genere Galenus egit in vndecimo methodi. Cùm autem hæ febres per Donzellinũ sint venenatæ; igitur in vndecimo methodi egit non tantùm de putridis simpliciter, sed etiam de venenatis. Nihil minus Zoile. Tu enim fateris (& ita se res habet) in pestichijs nullam esse colliquationem, quam tamen Galenus febris pestilentis citra pestem symptoma facit inseparabile. 3. Epid. 3. Galenus verò in fine decimi dicit, in eodem libro, in quo de febribus pestilentibus tractabit, se etiam de colliquantibus febribus disputaturũ. Quare necessario sequitur, non in vndecimo, sed in illo ꝓmisso libro Galenum de pestichijs ac febre pestilenti citra pestem disputasse. Præterea, ostende locum in vndecimo aut duodecimo methodi, in quo Galenus verba fecerit de febribus colliquantibus. nec tamen symptoma inseparabile fuit ab eo prætermittẽdum; qui præsertim scriptorum omnium fuit diligentissimus. Quare sequitur Galenum in eo vndecimo, de nullo genere febrium pestilentium sermonẽ habuisse. Quod tu tamen tam pertinaciter defendere es conatus.

10. Meth. in fine. 3. Epid. 3. text. 57. & ægroto. 1. & 8. catatopus. 7.

Quòd verò supra dictum fuit, in pestichijs non esse colliquationem, quam tamen febris pestilentis Galenus inseparabile facit symptoma, videtur Donzellini sententiam falsam indicare, qui pestichias vocat febrem pestilentem. Quare, vt hæc etiam dubitatio hic obiter tollatur, Dico; etsi pestichiæ sunt febris pestilens citra pestem ac citra aeris contagium, vt supra probatum fuit; iustissimam tamen esse causam, cur nunc non

 fiat

Gal. 3. Epid. 3. Aegroto. 1. & 10. Meth. in fine. & 8. catatopus. 7.

fiat colliquatio, quæ fiebat Galeni tempestate. Cùm.n. ea tum fiat, quando vrens ac igneus febris calor, nõ tantùm pinguedinem, sed etiam carnosam partem corporis fundit ac liquat; Dico pestichias nunc citius interimere, quam earum calor membra colliquare possit. Huius ratio est non tãtùm quòd citò hominem tollunt ac pernecant; sed quòd nostri seculi tanta est ingluuies, crapula ac intemperantia, vt non tantũ venæ repletæ sint multo sanguine, sed ipsę corporis partes ac habitus totę madent humoribus ac excrementis, quibus depascẽdis ac consumendis occupatur febrilis pestichiarum calor, vt citius finiantur ad salutem aut ad mortem quam solidarum partium colliquatio fieri possit. Atq; hæc est causa cur pestichiæ nostra tempestate nõ faciunt colliquationem, nec fœtorem illum tetrum, qui colliquationibus necessariò cohæret. Vt Galenus 3. Epidem. 3. ægroto primo, licet verè sit febris pestilens. Dicet hic aliquis, eadem ratio Galeni etiam seculo debuit colliquationẽ inhibere. Nam sæpe in suæ ætatis mores ac intemperantiam Galenus inuehitur ac debacchatur. Respondeo, omnem nos omnium seculorum intemperãtiam superesse; & quamuis ille scriptum reliquerit, suæ tempestatis crapulam tantam fuisse, vt nullum excessum pati posse videretur. Illud per hyperbolem à viro intemperantiæ inimicissimo dictum fuisse aio. Veteres enim ita fuerũt sobrietatis studiosi, vt cũ semel Plato ex Sicilia rediret in Græciã, suis pro miraculo narraret, se in Italia vidisse homines, qui bis in die cibo ventrem distenderent. At nunc nemo est tam prudẽs aut sobrius, qui id nõ faciat. Quin non tantùm pueri ac voraces mulieres, sed melior hominum pars totam diem comedit ac bibit; ac summi flagitij loco habetur, oblatũ cibum aut potũ respuere. Sciunt oẽs qualia nunc conuiuia instruantur, & quàm frequentia. Antiqui cœnabant omnes, at non oẽs prandebant;

1. Meth. 1. 6. Aphor. 17.

debant; sed totam diem negocijs impendebant, vt tradunt historiæ; vnde etiam cœnæ nomen est deriuatum, quæ rem omnibus communem significat. sed de re satis per se manifesta latius non est disputandum: Atque hæc parergi loco dicta sufficiant. Ex quibus facile perspici potest, quæ Donzellinus scripsit, tam acri iudicio ac ratione fuisse firmata, vt stabili æternitatis robore sint permansura.

Postremo canis receptui, ac dicis, iam dicta sufficere contra Donzellini libellũ. licet multa adhuc supersint, quæ tenue ingenium tuum diuexent ac defatigent; ea autem quamuis compendij gratia dicas, nunc omittenda: per occupationem tamen rhetoricam adiungis. scilicet, vt de maligna tua voluntate satyrici Poetæ illud meritò dici possit.

„ Et lassata diu nondum satiata recessit.

Ego Zoile etsi te de facie non noui, non leuibus tamẽ rationibus permotus, iudico te esse melancholicum. Si enim vera sunt, quæ Galenus scripsit in eo libro, cui titulum fecit, Animi mores sequi temperaturam corporis; non obscura certè, sed plurima eius temperamenti & humoris indicia in te elucent. Es enim pertinax, malignus ac veluti Timon ille Lucianicus, misanthropos. Et cùm multi sint melancholici, qui falsa quadam imaginatione putãt se esse Reges aut Imperatores, cùm nihil sint minus: Tu ex eorum genere mihi videris; cum tumidus, fastuosus, arrogãs ac superbus sis, ac omnia te scire putes, qui crassa rerum inscitia labores. Sed obstat, qđ Aristoteles scribit melancholicos esse sapientes, cum tu nihil minus. fortassis dici potest, Aristotelem intelligere, cum humor ille est mediocris. Tu verò eo nimis abũdas, & ea cacochymia nimis laboras. 30. part. probl. 1.

Certè si Galeni placita sequi libet, tu es melãcholicus, à prædominio eius humoris atrabilarij, quem Galenus lib. de atra bile.

dicit

dicit esse similem acerrimo aceto, ita vt fermentet terrã. Atq; hinc apparet solutio pulcherrimi ꝓblematis; Quare Zoilus ita mordax est, & oẽs carpit, pũgit ac vellicat; quia.s. acer ille humor ac mordax est, quo eius turgent hypochondria; atq; ideo in eius animũ transit corporis vitium. Sed dubium est, an contra potius, iuxta illud,

Corpora nam vitiant animi contagia tandem.

Vtcunq; sit, necesse omnino est, animum tuũ esse infœlicem, qui in aceto perpetuò natat. Etsi autem acetum multos ac magnos habet vsus, è putredine tamen originem habuit. Quare mirum non est, si animus tuus, vti ex aceti acrimonia mordet, ita etiam ex eius putredine fœtet: etsi tu omnium morborum & contagionum solam putredinem vis esse causam. Sed cõtra. Melancholia facit homines timidos. Iuxta illud Hippocratis. Si metus & męstitia diu durant, pathos est melãcholicum. At tu es audacissimus, vt magnos etiam viros impetere audeas. Solutio. Duplex est melancholia, altera quæ vocatur humor melancholicus, & est fæx sanguinis. Hæc facit timidos. Altera ex bilis flauæ accensione fit ac exustione, quę atrabilis appellatur, & hæc audaces facit, ac nonnunq̃ etiam maniacos & furibundos. Sed satis iam iocati sumus, redeamus ad pensum.

6. Aphor. 22.

Oppugnatio septima.

DOnzellinus asserit febrem pestilentem citra pestem nõ esse ex aere, sed ex praua dieta, licet ea cõmunis sit; cõtra. Repugnat naturę epidemicorum & pestis, quæ ambo fiunt à causa communi.

Si quæ superius à me enarrata & ꝓbata sunt sciuisses Zoile, hæc nunq̃ scripsisses: q̃uis nõ satis intelligo quid tibi velis, & vt intelligaris, Delio opus est natatore.

Si Donzellinus febris pestilentis citra pestem statuit causam commune erratum in victu: q̃uo repugnat eius febris

febris naturæ: nonne causam habet communem? Si putas erratum publicum in victu non esse causam publicã, Galenum habes tibi aduersantẽ, qui initio libri de Euchymia dicit ex victu febres illas pestilentes ortas esse. Idem de febre pestilenti suæ tempestatis, quæ fuit similis Atheniensi, quã primo de febr. differentijs, & 6. epid. dicit ex victu deprauato originẽ traxisse. Sed in primo de differ. febr. bis in eodem capite dicit, ex prauo ciborum vsu oriri febres pestilentes. Idem etiam 2. de natura humana. quid igitur habeas contra Donzellinũ non video. Si enim febrem pestilentem ponit morbũ communem, illi etiam adsignat causam communem: quam cùm tu etiam fatearis Donzellinum posuisse, mirum est te tam vanam oppugnationem posuisse. Cap. 4. Text. 5.

Dogmatizas tu deinde, & magistraliter sedens pronũcias dogma sempiternum. Febrem pestilentẽ citra pestem ego Zoilus dico esse, quæ fit priuata & praua alicuius dieta: & est sporadica.

Melancholizas Zoile, & strenue quidem melancholizas. Morbi sporadici sunt diuersi. Hæc febris vnus est morbus. ergo non est sporadica.

Prçterea, morbus sporadicus, & epidemicus, seu pestilens differunt vt priuatum & publicum. ergo febris pestilens non est sporadica nec priuata.

Prçterea, cùm Galenus huius febris symptoma faciat inseparabile colliquationem: eam mihi ostẽde obsecro in tua illa sporadica febre.

Prçterea, si Galenus in suo illo promisso libro in 10. methodi, agit de colliquãtibus inter pestilentes, nonne agit etiam de ista, cũ sit ꝓpriè colliquans? in eo aũt libro communes tantùm morbi, non sporadici tractantur.

Impegisti Zoile ad illam vocẽ priuatim, quæ in textu latino habetur, 3. Epide. 3. Idq; ex interpretis errore, & tua grçcæ linguç ignoratione. Tu putas, Galenum illic Text. 57.

dicere,

dicere, febres pestilentes citra pestē fieri ex priuata alicuius dieta, atq; ideo infers esse morbum priuatum, qui vnum aut alterum tantùm corripiat, non autem sit communis. sed à vera Galeni sentētia longissimè abes. Dic mihi, qui fieri potest vt febris priuata sit pestilēs? Nōne pestis est epidemia? Nonne epidemia est communis? Qui potest igitur febris pestilens esse priuata?

Deinde, si Galenus ita sit intelligēdus, vt tu interpretaris; cum ipse dicat, colliquationem esse symptoma inseparabile huius febris (per te) priuatæ. sequeretur, eam non conuenire alijs febribus pestilentibus: quam tamē & in eadem litera, & infra comment. 72. dicit in magna illa peste omnibus adfuisse, cum tamen non priuata, sed publica febre pestilenti laborarent. Vera igitur Galeni sententia hæc est. In magna hac nostra pestilētia, colliquatio omnes sustulit: quæ eius febris, quæ propriè pestilens vocatur, symptoma est inseparabile. Hæc verò febris propriè pestilens vocata, cū in peste mortales apprehendat, potest tamen etiam sine peste illis accidere. Hæc genuina est Galeni sententia, si græcos codices cōsulas. cuius hæc est summa.

Colliquatio conuenit, & accidit omni febri pestilēti. febris pestilēs cum vt plurimum in peste oriatur; tamen etiam sine peste oriri potest.

Hic non dicit Galenus, eam fieri ex priuata dieta, sed quod priuatim dixit interpres, propriè est in Græco, & hunc sensum habet. Cum febris generale sit nomē, eius, quæ propriè pestilens vocatur, symptoma inseparabile est colliquatio. Hanc verò, vt dixi, febrem, dicit postea, & cum peste & sine peste posse contingere.

Cùm tu Zoile ob fata tibi irata non calleas græcā linguam, cōsule peritos, ac videbis (vt dixi) ad eam vocem priuatim te turpiter impegisse. Quid igitur sit febris pestilens citra pestem fatearis liberè hactenus te ignorasse.

rasse. ex qua ignoratione prodijt tuum argumentum, quod iam futilissimum apparet.

Oppugnatio octaua.

DOnzellinus dicit, febres pestilentes esse continentes, & tales ab omnibus iudicari. Contra. Ego Zoilus sum medicus excellẽtissimus, & tamen hoc nunq̃ obseruaui. Potius verò eius contrarium apud Hippocr. in Epide. vbi pestilentem constitutionẽ describens, dicit, in ea fuisse febres ardẽtes, quę paribus diebus habebãt accessiones. ergo non erãt continẽtes. lib. 3. cõm. 3. text. 34. & 36.

Intolerabilis in te est arrogantia Zoile. Igitur, quæ tu non obseruasti, ea nullibi aut nulla sunt? es ne tu fortassis tam perspicax, vt te nihil fugiat? Infeliciter ageretur cum alijs venatoribus, si, quæ te fugit præda, nulla esset. Si tu non obseruasti, cùm iuuenis sis inexpertus, obseruarunt grauissimi omnes nostræ ætatis Medici, obseruauit Donzellinus; qui Romæ, Venetijs, in multis ciuitatibus externis, ac tandẽ Veronæ populosissima ciuitate medicinam factitauit; & cum maximis Medicis, ac exercitatissimis, ac doctissimis diu versatus est. Vnicuique autem in sua arte experto credendum est.

Ratio etiã hoc idem docet; nã authore Galeno, synochus est febris, quæ omni mutatione magna vsq; ad iudiciũ caret: pestichiæ aũt tales esse depræhẽduntur. Quòd si aliter sentis, declaras te earum faciem nunq̃ vidisse. 9. meth. 11

At Hippocrates in quadam constitutione pestilenti, dicit, febres paribus diebus accessiones habuisse. Scis tu Zoile, non omnes constitutiones pestilentes esse similes, sed magnam in illis esse diuersitatem. Nostra autem cõtrouersia est de pestichijs, quas Dõzellinus synochos appellauit. Hippocratis aũt constitutio non fuit pestichiæ. Præterea Galenus dicit, illud fuisse rarissimum, & ille vnicus est casus. Non dubito, qua præditus es dili-

 gentia,

gentia, te excusſiſſe omnes libros Epidemiarum, nec tamen plures eiuſmodi, ſed vnicam tantùm conſtitutionē inueniſti; quam etiam Galenus rarisſimam eſse dicit. Theoremata verò medicinalia nō eſse ſempiternæ veritatis, ſed vera vt plurimum Galenus affirmauit 6. Aphoriſ. 58. Vnicum exemplum & ſingulare tollit quidē vniuerſale theorema, ac probat non eſse perpetuum. Sed phyſica, & medica vera eſse intelliguntur, etſi non ſemper, ſed vt plurimum talia exiſtant. Quare nec ratione, nec teſtibus, aut experimento Dōzellini ſententiā confutaſti: ſed vt in alijs, ita etiam in hac tuam ſimul & malignitatem & inſcitiam pateſeciſti.

Oppugnatio nona.

DOnzellinus contagium dicit habere latentē ac venenatam cauſam: Sed multi ſunt morbi contagioſi, in q̄bus nihil tale exiſtit, vt lepra, pſora, ſcabies, pruritus, phthiſis; ergo falsū eſt, qđ ille affirmat.

Poteras tu quidem ab eo labore ſuperſedere Zoile; ac niſi vehemens contradicendi rabies te exagitaret, proculdubio hic ſiluiſſes. ſed aut disſimulas te intelligere, qđ intelligis, vt ita viam tibi facias ad cōtradicendum: aut prorſus cæcus es, & in cimmerijs tenebris verſaris.

Quod omnibus notisſimum eſt, perſpectum habuit Donzellinus; duo ſcilicet eſſe contagioſorum morborū genera, occultum & latens vnum; manifeſtum alterum. Cùm autem viri docti cùm ſcribunt, non omnia, quæ in mentem veniunt ſcribenda ducant, ſed multa ſupponāt tanquam nota; eam diuiſionem in animo retinens, ſui ſyllogiſmi maiorem propoſitionē ponit, quæ dicit. Morbi contagioſi occultam, latentem, & venenatam cauſam habent; intelligens de contagioſis occultis ac cæcis: cuius indicium eſt, quòd ponens exempla, occulta tātum nominauit, gallicam luem, elephantiaſim, hydrophobiam.

biam. vt nisi habuisses animum prorsus cæcum, aut odij veneno delibutum, ex hoc potuisses facile cognoscere propositionem illam, quę tanquàm omnibus confessa ponebatur, esse verissimam, & de cõtagiosis occultis accipiendam. subsumit deinde minorem, dicens; lethalẽ autem hanc epidemiã esse contagiosam docet experientia. Nonne sequitur conclusio, quam ipse infert; ergo latentem causam habet hæc epidemia?

Dices, in minori tu ponis hanc epidemiam in occultis; at hoc tibi probandum fuit. ego enim dicam, eam esse in manifestis. Ac ita quod sumis in minori, non fuit positum in maiori.

Dico Dõzellinum, cùm in minori eam appellarit lethalem, apertè declarasse in occultis contineri. nam cõtagiosi manifesti lethales non sunt. Eam verò esse lethalem, & ipse supra probauerat, & experiẽtia etiam docet, & ego etiam supra demonstraui. Quòd verò de putredine longa disputatione philosopharis; in qua tractanda tanquàm in proprio elemento versaris, strenuè quidem curris, sed extra viam. quare omnis tuus irritus est labor. Fateris enim tu quoque in fine occultum contagium sine putredine reperiri, in quo tanquam cardine, tota Donzellini vertitur disputatio.

Quare vides luce meridiana clarius, quàm importuna sit, ac minime quadret tua illa postilla, & in marginẽ additamentum; quo putas, te ad Elenchum Donzellinum perduxisse. Dicis enim, illum fateri, empycos & tabidos fouere putredinem solam sine veneno, & tamẽ esse contagiosos. Cùm hi morbi inter manifestos numerentur, quid hoc lædit Donzellinum; qui de his non intellexit? Quin si tu micam salis habuisses domi, ex his, q̃ ipse de his morbis dixit, cùm illos esse putridos sine veneno affirmauit; debebas cogitare, illum nõ esse tam supinum, vt non videret, id sibi obijci posse;

 si vt

si vt tu malignè interpretaris, intellexisset. Vsq; adeò ne humiliter de illo sentis, vt qđ tu homo stupidissimus vides, illũ putes nõ videre, qui omniũ est ꝑspicacissimus?

Oppugnatio decima.

DOnzellinus putat, locum Galeni. 9. de simplic. medicam. cap. de terra Samia esse mutilũ, & ex Paulo restituendũ. Galeni enim locus de bolo armena tantùm loquitur. at Paulus Galenũ citans etiã Theriacæ mentionẽ facit. Dicis, locũ non esse mutilum, nam necesse non fuit, quod Paulus citat ex Galeno, ex vnico fuisse desumptum. potuit ex illo loco Paulus accepisse Galeni sententiam de Bolo; ex alio verò de Theriaca. quare non sequitur, locum esse mutilum.

Dici solet, potentia est res ampla, non sequitur tamẽ, potuit ergo fecit. Galeni locum te ostẽdere oportebat, ex quo Paulus de Theriaca sumpsisset Galeni sententiã, illis verbis expressam, quæ Paulus ponit. Neq; probas quidq̃, cùm dicis; Dicam. n. Paulum eo loco vnà collegisse, quæ sparsim Galenus ponit. Nã ego similiter dicam, Paulum ex eo tantùm loco ea desumpsisse, & locũ esse mancum: nam Galeni exemplaria sunt corruptissima: vt norunt qui in illis emendandis operã posuerũt, inter quos Donzellinus non est postremus: qui à Iuntis Græcos codices manuscriptos habuit. Nec video, cur magis tibi, q̃ mihi aut Dõzellino credendũ sit: si tua ac mea simplex assertio sit spectãda, nulla rõne adiuncta.

Sed probo, ex illo tantùm loco Paulum sumpsisse Galeni sententiam, non ex diuersis. Pauli hæc sunt verba. Galenus aũt inquit ad putredines pestilentes armeniacam bolum potu sumptam, similiter & Theriacã è viperis maximè prodesse. Hactenus nonnihil coloris habet, quod dicis, Dicam. n. Paulũ &c. Verùm quæ sequuntur, ex vnico illo loco sumpsisse Paulũ Galeni sententiã, fidẽ faciunt

faciunt certissimam. Dicit enim. Atqui in hac Romæ pestilẽtia dixit Galenus,quibus neutrum horũ profuit, omnes interiere. Hæc sunt eadẽ verba,quæ Galenus habet 9.de simplicibus. tantùm in numero variant;cum.n. Galenus singulari Paulus plurali vsus est,quo declarat, locum esse mutilum ac emendandum:& non tantùm de bolo,sed etiam de Theriaca loqui.

Vides Zoile quàm turpiter hallucineris,& quàm longè à scopo aberrent insulsæ tuæ cognitiones? quæ vix locum haberent in Vtopia.

Oppugnatio undecima.

CVm Donzellinus dicit, si cui pestilẽti febre affecto theriaca fuit exhibita quẽ non seruarit, id eò accidisse, q̃a conditiones ab eo propositæ nō fuerũt seruatæ.maximis difficultatibus se inuoluit. Duo.n. absurda ex eius dictis sequuntur.Prius,ꝙ morbi exitiosissimi fient saluberrimi, si exhibita Theriaca ab illis liberat. Alterum,ꝙ Galenũ ac alios veteres Medicos inscitiæ arguit, qui cùm in constitutionibus pestilentibus Theriacam exhibuerint, non omnes tamen seruatos dicunt,sed eorum aliquos interijsse.

Te supra Zoile iuuenem appellaui, nunc verò cogor puerum in medicina nominare, qui eius prima vix elementa nosti. Anteq̃ tamen seriò tibi respondeam,libet te interrogare, an Rufi Ephesij magni illius ac vetustissimi medici nomẽ tibi sit notum. Certè illum Galenus, Paulus,Aetius ac cæteri Græci magnifaciunt. Et cùm vbiq; honorificam illius faciat Galenus mentionẽ, tum maximè in cõment.ad 6.Epidem. 1.dicit enim. Sabinus
„ verò Rufusq; Ephesius viri in libris Hippocratis diligẽ
„ tissimè versati,magna profectò admiratione digni sunt. Idem etiam Galenus in libro de atrabile ita illum commendauit.

mendauit. Cæterùm inter recentiores optimè de me- ››
lancholia ſcriptum eſt ab Epheſio Rufo, in quo ſanè iu- ››
re dixeris nihil deſiderari ijs, qui ſecundũ naturam au- ››
dientes non contentioſe obloqui in primis volunt. Id ››
quod nõ pauci Iuniorum Medicorum plus nimio affe- ››
ctarunt, hi præſertim, qui ſe Methodicos vocant. Audis ››
Zoile, quàm belle hoc loco ac proprijs coloribus te pinxerit Galenus?

Quorſum hæc inquies? Audi Zoile. Paulus lib. 2. cap. 35. de peſte agens ex Rufo, deſcribit medicamẽtum ad peſtem, deinde eius encomiũ facturus, addit. Rufus ››
dicit. Neminem noui, qui cum hoc potu non fuerit pe- ››
ſte ſuperior. Quid dices Zoile? Paulus non repræhen ››
dit Rufum, vt tu Donzellinum. Eris ne tu tam audax, vt Paulum & Rufum velis accuſare? O lepidum caput. Dices ne illos ex morbo peſſimo facere mitisſimum? Atqui audis illos id affirmantes. Si vacaret veteres medicos excutere, quot putas me inuenturum, qui idem quod Rufus dicant? Sed iam diſce, quod hactenus ignoraſti.

Quoniam omnis motus è contrariorũ disſidio ac repugnantia proficiſcitur: natura dum mundi hanc vniuerſitatem asſiduæ mutationi ſubiecit, ſimul eam neceſſariò varijs disſidiorum generibus, quaſi ſeminibus conſperſit. Atq; vt quatuor rerum primordia, ignem, aquam, terram & aerem contraria inſtituit, ita & vnicuique, quod ex ijs ortu procesſit, aliud quiddam oppoſuit disſidij lege. Nullus igitur affectus ſubſiſtere poteſt in nobis, cui non pariter contrarium quiddam tanquam remedium natura protulerit, nullaque vſquam eſt remediorum penuria, ſed noſtra plerunq; eorum ignoratio. Nullus toto genere immedicabilis eſt affectus, ſed iccirco duntaxat, aut quòd ſupra modum auctus, omnem præſidiorum vim aſpernetur; aut quòd

imbecillæ

imbecillæ iam vires curationis prolixitati succumbunt. Nihil in hac rerum vniuersitate subsistit, cui nõ & simile & contrarium quiddam natura adiunxerit, etiam si nostra diligentia nequit inueniri. Vt igitur morbis ex intemperie contrarias ex intemperie vires; instrumentarijs secundas medicamentorum vires opponimus; Ita sanè occultis totius substantiæ morbis necesse est natura contrarias vires compararit, quæ & ipsæ occultæ sint, & totius substantiæ dissidio illis aduersæ. Etenim tam immanes morbi nũquid proprijs destituti remedijs iacebunt? Siccine naturæ res tantoperè ad vitam necessariæ defecerint? Nihil profectò tale de natura optima rerum parente cogitandum.

Nullum itaq; morbum esse statuo, qui sua natura sit incurabilis. Quòd siqui lethales & exitiosi appellãtur, id eò fit, quòd naturæ suæ relicti, ac auxilijs destituti, interimunt. At natura quibus curari possint auxilia dederat; nos verò aut illa ignoramus, aut nõ vocamur ad curationem; aut non in tempore, aut quòd uires prostratæ sunt; aut errata à Medicis, ægrotantibus, adstantibus committuntur, aut (vt inquit Hippocrates) externè aliquid irrumpit, quod benè institutum curationis cursum importunè intercipiat.

Sed quod dixi, ne putes verum esse, nisi illud ex Galeno & ratione à me fuerit probatum.

Ego nullum morbi genus tam atrox, vehemens ac perniciosum esse puto, quod non pernicie à venenis superetur: præsertim ab his, quæ venenata animalia iaculantur. potissimùm verò à viperino. Sed hæc omnia venena suam habere antipathiam & sua auxilia, quibus curentur, ostendam. Igitur per argumentum sumptum ex loco topico, si quod minus videtur inesse inest, ergo & quod magis, sequetur etiam inferiores ac leuiores morbos curari posse.

Galenus

Galenus de Theriaca ad Pamphilianum hæc ſcribit. ſubiungam deinceps alias temporis præſcriptiones. alia ›› morborum genera, in quibus ſi quis theriaca vti voluerit, nunq̃ fruſtrabitur. Nam percusſis à vipera, vulneratis à ſerpēte, ictis ab aſpide, commorſis à cane rabido, ›› demum læſis ab aliquo animali, quod dentibus, aculeo ›› vel contactu venenum relinquat, recens Theriaca ſatis ›› ſuperque efficax remedium eſt. & paulo infra. Eodem ›› etiam modo illis ſubuenit, qui ex interna cauſa & incerta conſumuntur, tanquam veneno petiti eſſent. Habes ›› præterea hiſtoriam de Mithridate in libro ad Piſonem, qui cum captus bello in Pōpeij poteſtatem veniſſet, nec duci in triumphum vellet; venenum ſumpſit; à quo nō potuit extingui; cùm eius filiæ eodem veneno ſumpto necarentur. Tandem veneno ſuperſtes, inſuperabilis ac illæſus, eo ita petenti à Biſtoco amico enſe fuit interfectus. Eius rei cauſam reddens Galenus dicit, ob Mithridatiæ antidoti familiarem vſum talem eius corpori qualitatem venenis renitentem fuiſſe additam, vt à venenis pati non poſſet. In peſtilentia verò quid præſtet Theriaca, audi quid dicat Galenus ad Piſonem.

Deniq; Theriaca perinde atq; pæonia aliqua medicina & foris impoſita, & intrò ſumpta, præſentaneum auxilium commorſis à cane rabido præſtat; Depræhēſaq; ,, eſt mihi vel ſola in peſtilenti cōſtitutione languentibus ,, poſſe ſuccurrere; cùm nullum aliud auxiliū tam magno ,, malo tunc ita reſiſtere valeat. Nec immeritò, cùm peſtis ,, ipſa ceu fera quædā venenata non paucos aliquot miſerè perdat, verùm totas ciuitates depaſcatur. immutat ,, enim aerem malo quodā modo, vt homines interficiat, ,, qui cùm non reſpirare nō poſſint, contagiū miſeri euadere nequeunt, attrahunt enim in ſeipſos aerem illum ,, infectū, tanq̃ præſentaneum venenum. & paulo infra. ,, Ad iſtum modum arbitror & Theriacam tāquam ignis ,,

quiddam

" quiddam purificans & ipsa esset, illes quidem qui sani
" adhuc ipsam biberint, non ꝑmittere, vt pestilẽtia pror-
" sus capiantur. Illos autem qui iam ægrotent sanare pos-
" se, cùm aeris inspirati malignitatem commutando, tum
" corporis temperaturam corrumpi non sinendo. Idem
" etiam docent ea, quæ scribit ad Pamphilianũ de Aelia-
" no medico; qui cùm in Italia vniuersa pernitiosissima
" quædam pestis grassaretur, ac omnes valde essent solli-
" citi, solius Theriacæ vsum omnibus persuasit, nam cæte-
" ra (vt inquit) nihil contulerant. Tunc itaq; ex his, qui
" ægrotabant quamplures sumpta Theriaca conualuisse:
" paucos, in quibus vis morbi nimium inualuerat, occi-
" disse: reliquos omnes, quos nondum pestis occupaue-
" rat, non modo periculum euasisse, sed ne in morbũ qui-
" dem incidisse: Deinde hæc addit Galenus. Atq; mirũ
" hoc alicui videri non debet, quando, si haustum vene-
" num superat, pestilentiã quoq; vincere possit. Aer enim
" est, qui corruptus cùm sit homines perimit. Demũ (in-
" quit Galenus in eodem libro) vt paucis multa colligam,
" in quibus alia remedia (vi morbi superata) nihil contu-
" lerint, in his Theriaca exhibita, præter omnem expecta-
" tionem egregiè operatur.

Ne autem putes Galenum existimasse theriacam ad sola venena vtilem esse, sed alijs etiã morbis lethalibus, ac vehementibus saluberrimam esse antidotum. audi rursus quid idem dicat ad Pisonem.

" Non solùm reptilium morsibus, & venenorum noxis
" hæc antidotus auxiliatur, sed in maximis etiã alijs ægri-
" tudinibus à nobis experta, salutaris medicina reꝑta est.

Diximus exẽpli causa de Theriaca, tanq̃ de vno, sed alia etiam plura sunt, quæ idem præstent, scilicet vt perniciosos, magnos ac vehementes morbos curent.

Cùm igitur morborum alij leues alij graues ac perniciosi. leues sola natura, nullis adiuta remedijs, curat. de

6.Epid.5. quibus dixit Hippocrates. Naturæ sunt morborũ medicatrices. Grauiores autem ac lethales, si præsidijs destituantur, necant, ac ideo perniciosi appellantur. Sed si ars auxilietur, & opportunis remedijs succurrat, curantur.

Dices tu, si res ita se habet, vt morbi omnes sint medicabiles, igitur omnes qui morborum vi pereunt, culpa medicorum pereunt. Bona verba quæso. Culpa est, vbi affectus est perturbatus, aut praua voluntas, aut ignorantia affectata. Verùm cùm Medici iuxta artis præcepta curant ægrotantes, nec vlla in eis est negligentia, omni vacant culpa. Sed scrupulus adhuc restat. si quis ægrotus extinguitur à morbo, cuius remedium extabat, sed à medico adhibitũ non fuit, quia illud ignorauit, nonne omnis in medicum culpa est transferenda? si remedium illud in arte ac libris Medicorum extabat, aut negligentię aut inscitiæ medicus ille est accusandus. At si remedium nondum inuentum, nec à Deo hominibus reuelatum, excusatione dignus est Medicus; quemadmodum etiam rudis puer, si arithmeticam nõ nouit; aut adultus, si artem nescit, quam non didicit; aut geometra circuli tetragonismum ignorans.

Ex dictis patet responsio ad tua argumenta. Cùm.n. dicis, si Theriaca liberat à morbis lethalibus, ergo morbi lethales sunt saluberrimi: negatur consecutio. Cùm probas dicens, salute finiuntur, ergo saluberrimi, hallucinaris Zoile. ꝙ enim morbus sit salubris aut lethalis, nõ à fine quẽ aliunde nanciscitur, habet, sed à fine & euentu, qui sponte naturæ fit, sumit.

Etsi igitur morbus exitiosus salute finitur, id artis fit auxilio, à qua salus accersitur. at suæ naturæ relictus ægrotum extinxisset. sua itaque natura morbus meritò lethalis dicitur, licet aliunde salus consequatur.

Ad alterum

Ad alterum argumētum, cùm dicis veteres medicos à Donzellino inſcitiæ notari, qui in peſtilenti ſtatu (exhibita Theriaca) nō omnes ſeruatos, ſed aliquos interijſſe dicunt. Reſpondeo id, quod Galenus in hiſtoria Critonis dixit, non ſemper initio morbi, cùm adhuc res eſt integra, vocari medicos; ſed ſæpè progreſſo & aucto iam morbo, ac viribus collapſis; quo ſcilicet tempore nullus iam eſt medicinæ locus. Cùm itaque dicunt aliquos interijſſe, deploratos intelligunt: quibus etiam præſtitiſſet antidotum non adhibere, ne infamaretur. Id verò etiam Galenus dixit in loco ad Pamphilianum ſuprapoſito. qui habet. Tunc itaq; ex his qui ægrotabant quāplures ſumpta Theriaca conualuiſſe, paucos, in quibus vis morbi nimium inualuerat, occidiſſe. Cùm verò Dōzellinus dixerit in ſuo libello; ſi cui adhibita fuit Theriaca, quem non liberarit, id eò accidiſſe, quia conditiones ab eo requiſitæ, non fuerunt ſeruatæ, nonne tuum argumentum ridiculum ac futile oſtendit? Illi enim in promptu eſt dicere, aut non bonam Theriacam, aut nō in iuſta quantitate, aut non opportunè, aut non præparato corpore, aut nō toties, aut morbo nimis aucto, aut viribus proſtratis, propinatam. Quare falſum eſt, veteres ab eo inſcitiæ argui; quòd enim aliqui interierint, id factum eſt defectu earum conditionum, quas requirit, ac ipſi etiam veteres defuiſſe dicunt, vt paulo ante dictum fuit.

Quid verò tibi venerit in mentem Zoile, ſatis diuinare non poſſum, cùm dicis Donzellinum nimio animi affectu & ardore, quo Theriacæ nimis admodum fauet, in ſcrutanda veritate fuiſſe impeditum. Declaras profectò te nunꝙ Galeni libros de Theriaca legiſſe: qui in ea laudanda, ac in cœlum euehenda, omnes dialecticę locos perluſtrauit, ac nullum prętermiſit.

Illam enim cõmendat ab Authore, à Cæsaribus ea quotidie vtentibus, à cõponentibus, ab effectis & efficacia, quòd curat, præseruat, corpus impatibile reddit, vitam sanam, longam, hilarem, trãquillam efficiat, ꝙ à multis, ꝙ à magnis, quod à venenis, ꝙ à venenatis animalibus, ꝙ à perniciosis, pestilentibus ac peste ipsa liberet, ꝙ ciuitati omnium principi Romæ gloriam & existimationẽ magnam conciliet. dicit enim ad Pamphilianum. Nam rem occultare, quæ ad salutem hominum conducat, & qua se meritò iactant, qui in vrbe omnium principe degunt, vt & priuatè beneficio & publicè ornamento affecti ab ea antidoto, quæ communis salutis gratia, pro totius ciuitatis conseruatione parata seruatur, rustici admodum mihi esse videtur. Addit postea. Demum, vt paucis multa colligam, in quibus alia remedia, vi morbi superata, non contulerint, in his exhibita Theriaca præter omnium expectationem egregiè operatur.

Pauca quædam attigit Donzellinus in Theriacæ commendationem, tu dicis, illum nimio ardore cõcitatum, veritatem perspicere non potuisse; quid facies Galeno, qui longè plura attulit? dices ne illum esse insanum? si illi multa licuit dicere in laudanda Theriaca, cur pauca dicere Donzellino non concedis? nonne vides tuã accusationem longè magis Galenum quam Donzellinum impetere ac sugillare? Si Donzellinum pro animi tui libidine tractare tibi libuit; parcẽdum certè fuerat Galeni manibus. Te igitur Zoile pudeat ac dispudeat, Medicorũ principẽ ac coryphæũ reprehẽdere ac sugillare.

Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumq; capax, totumq; helicona dedisset,
Theriacæ memorare queam medicamina veræ.

Quòd verò de Theriaca tam humiliter sentis, vt ægre feras, si quis eam pro dignitate laudet, ea est causa, ꝙ tu probam THERIACAM nunq̃ vidisti; neq; eius miracula es expertus.

es expertus. Id quod inter non minima tuæ vitæ infortunia est numerandum: ex quo etiam non exiguũ damnũ ad tuos ęgrotãtes est peruenturũ. perge igitur, ac vt verè sis Galenicus, sola hiera & oxymelle sis contẽtus.

Restat iam Zoile, cùm tua argumenta funditus sint euersa, vt liuore deposito, sincere iudices, & ab errore resipiscas. facile enim tibi fuerit cognoscere, vtrius cogitationes, tuæ ne an Donzellini figmenta poetica meritò sint appellãda. ac mirum profectò fuerit, si iam dubites, te sõniasse, & delireamẽta, ac nęnias fabulatũ esse.

Non libenter quidem Zoile, sed inuitus feci, ꝙ hæc Medicinæ mysteria tibi reuelaui. Cùm enim diuinæ Artis sacris vix sis initiatus, nec dum ad eius adyta intromissus, indignus eras cui abstrusiora hæc arcana retegerentur. Mihi itaq; veniam dabunt sacræ artis Antistites, nam aliter excellentissimi Dõzellini diuinas cogitationes tueri non poteram. Vt enim ex abditis Medicinæ penetralibus deductę sunt, ita ex eisdem fuerunt confirmandæ.

" Alioqui, vti beneficiũ dãdo accepit, q digno dedit;
" Ita beneficium dando perdidit, qui indigno dedit:
" Ac beneficium male collocatum maleficium puto.

Cęterum cùm ego diligentius considero eas conditiones, quas Galenus in eo requirit, qui cum laude in arte aliqua ac veritate perquirenda versari velit: nullã profectò in te prorsus esse deprehendo. Cùm autẽ illæ sint septem, si vna tantũ absit, audi quid dicat Galenus. Itaq; si vel vnum horum, quæ recẽsuimus in illo desideretur, qui ad viam veritatis introducendus est, non erit admodum sperandum, illum posse sui voti compotem fieri. Si vnius tantùm conditionis carentia te deploratum facit, cùm omnibus careas, deploratissimum esse oportet. Quare certò possum statuere (Galeno iudice) te nomine tantùm esse medicum, re autem nihil minus;

De consti. artis.

Pręsertim

Præſertim cùm illa conditio in te potisſimum deſideretur, quæ tertia eſt in ordine apud Galenũ: ea iubet quibusq; optimis ſuæ tempeſtatis pręceptoribus ſe auditorem præſtare. At tu hac in parte quàm profectò fuiſti malè fortunatus: qui antequam per ætatem de rebus ac diſciplinis ferre iudiciũ poſſes, infelici quodam fato in malos præceptores incidiſti, qui praua doctrina te ita imbuerunt ac faſcinarunt, vt veterem adhuc ſpires inſulſitatem. Verum enim illud eſt, quod dixit poeta.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem ,,
Teſta diu. ,,

Circunferũtur quædã ſcripta, ex quibus animaduerſum eſt à noſtris, te omnia tua delirarmẽta deſumpſiſſe.

Macte puer virtute eſto, ſic itur ad aſtra. ,,
Dignum patella operculum. & quod dici ſolet. ,,
κακου κορακος, κακον ωον. ,,

Cùm itaq; ex natura ac melancholia habeas, quòd ſis pertinax ac ceruicoſus, ea autem ex diſciplina ac præceptoribus fuerit confirmata; mirum non eſt, ſi deliria ſemel imbibita non posſis deponere, nec ſalubriorem cibum ac veriora dogmata admittere. Igitur cùm Galenus initio libri de Euchymia duo faciat medicorum genera, alterum eorum, qui prauè docent, alterũ verò eorum, qui prauè docentur. in priori tu nullum habes locum, qui neq; ex natura, neq; ex induſtria quidq̃ habes ad docendum ſubſidij: igitur in poſteriori meritò es collocãdus, quod cùm Galenus & venia & miſeratione dignum iudicarit: nos quoq; ad vtrũq; parati ſumus, modo aliquod reſipiſcẽtiæ ſpecimen edas. Alioqui veniam denegantes, ſola te miſeratione proſequemur.

Orandus itaq; pro te Deus ille optimus Zoile, vt meliorem poſthac tibi mentem donet. Aut ſi tua prorſus deplorata eſt ſalus, preces pro illis fundendæ ſunt, qui incidũt in tuas manus, vt illos Deus liberet à malo, ſunt

enim

enim profectò malè fortunati.

Quò autem magis tua doctrina ac nomen omnibus inclarescat, ac vt veteris illius Thessali ac Zoili fiat immortale, operam dabo, vt Medici omnes per vniuersam Italiam ac Transalpini quoq; hæc scripta legant ac perlegant: quò scilicet intelligant, quàm nostro huic seculo sit gratulãdum, quod talem ac tantum virum protulit in hanc lucem. De tuis verò ciuibus nihil dico, cùm maximè necessarium sit, illos quorum interest, hęc nosce perspectaque habere; scilicet, vt tanquam alterum Apollinem aut Aesculapium te amplectantur, ac tantum patrię thesaurum, ac veluti oraculum, à quo vetus medicina, iamdiu mortua, in vitam reuocatur, dignis ac meritis honoribus prosequantur, colant, suspiciant ac venerentur. Vale.

FINIS.


MVSEVM
BRITAN
NICVM